M. ACCII PLAUTI COMOEDIAE CUM SELECTIS VARIORUM NOTIS ET NOVIS...




NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
1
5 G
23
ROMA


FARNESI ALFREDO
ROMA

BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE

— OU —

COLLECTION

DES AUTEURS

CLASSIQUES LATINS

AVEC

COMMENTAIRES ANCIENS ET NOUVEAUX

FRAGMENTS INÉDITS, RECHERCHES, DISSERTATIONS, INDEX, PORTRAITS, CARTES GÉOGRAPHIQUES, PLANS DE SIÈGES ET BATAILLES, TABLEAUX, ETC.

PAR N. E. LEMAIRE,

ANCIEN DOYEN ET PROFESSEUR DE POÉSIE LATINE A L'ACADÉMIE DE PARIS.

IMPRIMÉE PAR DIDOT.

SECONDE SOUSCRIPTION.



PARIS,

ON SOUSCRIT CHEZ M. EHRMANN,

RUE DE LULLI, N° 1, PLACE DE L'ANCIEN OPÉRA.

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
A. F. DIDOT, imprimeur de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
DONDEY-DUPRÉ, impr.-lib. rue de Richelieu, n° 47 *bis*.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
Jul. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

M. ACCII PLAUTI
COMOEDIAE

EXCUDEBAT A. FIRMINUS DIDOT,
GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

M. ACCII PLAUTI
COMOEDIÆ

CUM SELECTIS VARIORUM NOTIS
ET NOVIS COMMENTARIIS

CURANTE

J. NAUDET

XLviro in regia inscriptionum academia, professore poeseos latinæ in regio Franciæ collegio, et inspectoribus academiæ parisiensis in regia universitate allecto.

VOLUMEN PRIMUM



PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXX

PRÆFATIO.

En tibi, lector benevole, prodit hujus agminis classici fere postremus ille Sarsinas, quem, si pro antiquitatis majestate ordo duceretur, chori principem habuisses, utique vero inter primos colendum, modo latinitatis ingenium æstimetur. Ipsas enim Musas, si latine loqui voluissent, non alio, nisi Plautino sermone loquuturas fuisse doctissimi veterum literatores censuerunt : Musas quidem, opinor, puellaris verecundiæ non satis memores, at comico lepore certe animatas. Hoc sensit mens dia Molieri, hoc Regnardi festivitas, hoc multi scenicæ rei haud spernendi artifices vel magistri.

Is vero errare vehementer mihi videbitur, qui loquacitatis derisoriæ tantum, cujusmodi laudem Plauto nonnulli facile concedunt, ut cæteras detrahant, fontem illius opera esse, neque eximie aut venuste cogitata dictaque eleganter inde quoque suppetere existimabit. Quam pravum sit tale judicium, hic e multis unus (ne te, lector, moremur) argumento erit locus, quem Molierus e penu Plautina deprompsit :

Un amant fait sa cour où s'attache son cœur;
Il veut de tout le monde y gagner la faveur;
Et pour n'avoir personne à sa flamme contraire,

Jusqu'au chien du logis il s'efforce de plaire (1).

Les Femmes savantes, act. I, sc. 3.

Præterea, quantum ad Romanorum mores domesticos ususque civiles, nempe vitam populi interiorem pernoscendam studiosos Plautus adjuvet, quis nescit prudens istarum disciplinarum arbiter? adeo ut ejus comœdias, nisi oblectamenti causa legeris, tamen tanquam historicæ bibliothecæ grande supplementum ad manum habeas necesse fuerit?

Sed omissa commendatione, qua Plautus apud gnarures non eget (et apud alios quantula nostræ auctoritas!); de hujus editionis consilio et ratione pauca præmonere te, lector, haud supervacanea oratio videtur.

Notitiæ Plautinorum operum id in primis obesse, quod multæ apud eum sermonis quotidiani locutiones ab figuris dicendi poeticis vel oratoriis recedentes, multa romanæ plebi intellectu prompta, nobis paulo abstrusiora, utpote ad res ætate Catonis et Ennî vulgares pertinentia, fallerent legentem, vel impedirent, animadvertimus. Itaque nullum præteriimus locum, quin, si qua difficultas aut ellipsi popularibus loquelis tralatitia, aut joco verbis sententiave implicito, aut formula singulari, aut historia quadam recondita et allusione, offenderet, interpretationem, quantum in nobis esset, non sineremus desiderari, ut hæc editio maxime omnium fieret *explanatoria;* rati

(1) Volt placere sese amicæ, volt mihi, volt pedisequæ,
Volt famulis, volt etiam ancillis, et quoque catulo meo
Subblanditur novos amator, se ut quom videat, gaudeat.
Asin. I, 3, 31.

scilicet, satis a superbioris critices vel temerariæ negligentiæ fastidiis vindicatum Sarsinatem fore, modo ad eum facilis cuique pateret accessus.

Jam nobis iter præmunierant celeberrimi philologi, inter quos principes eminent Gronovius et ætate, nisi doctrinæ fama prior, nostras Lambinus; quem, ut eruditione præstantissimum, sic ingenii acumine insignem, merito sane, et eo libentius sæpe laudabimus, quod eum multi præmonstratorem viæ et δᾳδοῦχον sequuti sunt, innominatum tamen.

Nos, si quid longa cum Plauto consuetudine intelligendis illius carminibus profecimus, hoc, quantulumcumque sit, tantorum virorum partis opibus addidimus, sive, quæ præterierunt, relectis, sive, in quibus labi illis humanitus acciderit, sicubi acciderit, nostra dubitatione subdita.

Neque dictionum modo executioni, sed etiam expositioni rerum operam impendere animus fuit; quid mori populi auctoris ingenium concederet, quid latinum scenæ artificium a nostrate differret, quibus ludorum editoribus, quo histrionum genere choragioque histrionico, qua proscenii structura, quo caveæ consessu Plautus uteretur; ut, si quis has annotationes percurrerit, theatralis rei apud Romanos historiam delibaverit.

Quod ad scripturam attinet, fundus fuit textus recensendi editio Gronovio-Ernestina cum Bipontina Brunckii et cum Bothiana, necnon scripto codice bibliothecæ Reg. Parisinæ membranaceo n° 5568 collata. Neque lucubrationibus præclarissimi Hermanni,

et Cl. Bosschæ et Cl. Lindemanni aliorumque, qui singularias fabulas ediderunt, uti nos piguit.

Plauti numeros, quos ipse profitetur innumeros, illustres apud novos grammatici gymnasium fecerunt sibi, in quo multum susceperunt intricati laboris, multo etiam magis divinandi libidine sibi indulserunt. Quis autem in re tam obscura, tam incerta, certum aliquid et verum proferre se nunc posse confidat, quum scripti codices comœdias uno tractu, distinctione versuum nulla, quasi prosam orationem, insuper fœde corrupto multis locis verborum habitu, vel interversa statione, reddiderint, quumque jam apud sequioris ævi Latinos de constituendo Plauti carmine nonnunquam ambigeretur (1)?

Ars etenim versificandi, prisca illa ætate, nondum ita legibus Græcorum continebatur, quin pro lubitu identidem evagaretur liberius, et inconcinnos atque claudicantes fœtus vel incuria, dum moram lituræ metuebat, vel imperitia, quia rudibus adhuc lingua et prosodia utebatur, ederet. Auctores non solum intra trimetros non steterunt, et omnis generis, omnis mensuræ versus in diverbio commiscuerunt, sed etiam quantitate syllabarum definienda et coagmentandis carminis partibus, modo nolentes, modo volentes, plus vice simplici peccarunt.

Multa, etiam apud tragicos, erant orationi solutæ simillima, quorum carmen, nisi quum tibicen accessisset, intelligeretur. Quid comici, qui sermoni pro-

(1) Sisenna, laudante Rufino, ed. Putsch. pag. 2711.

piora docuere? non solum vocalium hiatu concurrentium elisio fit aut non fit pro arbitrio scribentis, sed etiam per ecthlipsin (1), synæresin (2), diæresin (3), et sexcenta istiusmodi immutantur verba pronuntiando, ut metrum, non ad scripturam, sed ad vulgarem tum loquendi morem exigi debeat : qui quantum ab illa diversum ferretur, Cicero exemplum classicum suppeditabit. Nam quo tempore Crassus bellum adversus Parthos maturabat inauspicatum, et exercitum Brundisii imponebat, forte quidam in portu caricas Cauno advectas vendens clamitabat, ita profecto: *cauneas;* quæ vox, solemni tum literam *u* dicendi usu, sonabat *cavneas*, vel *caFneas*. Hanc in præsenti nemo attendit. Sed post eventum, ut fieri solet, recordati sunt Crassum tristi omine, si mens non læva fuisset, præmonitum futuræ cladis, quasi mercator, non cogitans, sed diis ducentibus, occinuisset: *cave ne eas.*

Plautinas quoque personas, eodem, quo ille caunearum venditor, modo verba contrahentes, vel rursus distendentes, si versus rhythmo suo fundantur, audias. Itaque illos refingere et orationem ex ingenio emendare audacius visum nobis est majusque viribus opus, præsertim quod magis emendantis solertiam ostenderet, quam textus integritatem præstaret. Itaque vulgatæ lectioni acquiescere sæpe, quam con-

(1) Ex. gr. *pop'lus*, *arg'mentum*, etc. p. populus, argumentum.

(2) *Aureo* dissyllabum, *suo* una syllaba.

(3) *Evolüunt*, *solüunt*, *iam*, p. evolvunt, solvunt, jam.

jecturas elegantes quidem, sed non satis manuscriptis comprobatas, recipere placuit. Nam periculum est, ne, dum metro strictius et adamussim magis, quam ipse voluit, reformando consulis, tua, non Plauti, commenta præbeas.

Sed ab orthographia editoribus adhuc usurpata, quæ profecto Plautina ætate posterior est, deflectendi licentia nobis sumpta, pudenter tamen; ita ut antiqui coloris aliquid compareret, neque nimis horridum, nimis obsoletum scriptionis genus legenti officeret. Consilium equidem fuerat, antequam operi manum admoveremus, formam, qualis tum habebatur, scribendi sedulo referre, cujus eximium exemplum præsto est de Bacchanalibus senatusconsultum anno U. C. 566, et leges præcipuas grammatici veteres docent; nullam consonantem geminari (1), pro *i* porrecta fere ubique poni *ei*, adjici *d* plerisque verbis longa vocali desinentibus, oportere, etc. etc. Verum primo tentamine didicimus hoc fieri non posse, quin latinitas illa vix latina et pæne barbara non assuetis videretur, atque sic tædio esset legendi Plauti labor, quem promptum cuique et facilem reddere summopere studuimus.

Ergo quam proxime a vero nostra scriptura aberit, servatis, quantum orationis sinet intellectus, etymorum elementis et nativo verborum themate (2), pin-

(1) Festus voce *Aula*.

(2) Lucilius quod soni emolliri cœperant, forsan querebatur, hoc versu: « Pellicere malunt quam perlicere ». Conf. gramm. vet. ed. Putsch. p. 2227.

guedine sonorum (1), literarum simplicitate, denique quidquid antiquitatem, modo non rancidulam, sapiet (2).

Habes, lector benevole, nostræ curæ prospectum, quam rectam fuisse et ad felicem effectum perductam existimes, opto magis, quam sperare audeo.

J. NAUDET.

(1) « Adnotandum est antiquum sermonem plenioris sonus fuisse, et, ut ait Cicero, rusticanum ». Velius ed. Putsch. p. 2216.

Lucilius (laudante Velio, ed. Putsch. pag. 2220) :

Jam puerei venere, *e* postremum facito atque *i*,
Ut plures faciant ; *i* si faci' solum,
Pupilli pueri : hoc uniu' fiet.

Idem scribit *peilum* p. pilum.

Addes *e* peila, ut pleniu' fiat.

Et alibi :

ut pinguiu' fiat.

(2) « In tertia declinatione, singularis numerus per unam *i* literam scribitur, ut *docilis*, *facilis*, pluralis per *e* et *i*, ut *facileis*, *docileis*; ut ex hoc appareat singularisne sit appellatio, an pluralis ». Scaurus ed. Putsch. pag. 2264.

Simili de causa *illic*, *istic* scribimus, quoties æque valent atque *ille*, *iste*, et *heic*, *illeic*, *illei*, *istei*, quum adverbialiter proferuntur.

Quum literam *u* consonantem aut vocalem sequitur *u*, hanc in *o* mutamus, ex. gr. *æquos*, *servos*, *solvont*, p. æquus, servus, solvunt, more veterum, præterea monente Donato ita scribendum, « quoniam nulla litera vocalis geminata unam syllabam faciat ».

Nota. In limine hujus voluminis, vitam Plauti, et testimonia de illius operibus, et quæ nonnulli docti viri editionibus ejusdem præfati sunt, cæteraque hujusmodi, quæ ad aperturam libri soles invenire, lector, profecto nunc requiris; quorum collectionem ad postremum editionis volumen, quo plenior neque plus justo tamen fieret, reservandam censuimus.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

AMPHITRUO.

DRAMATIS PERSONÆ.

SOSIA, servus.

MERCURIUS.

JUPITER.

ALCMENA *.

AMPHITRUO.

THESSALA, ancilla.

BLEPHARO, dux Thebanus.

BROMIA, ancilla.

* Ea fere semper *Alcumena* vocatur apud Plautum: namque græcum hujus nominis ingenium est Ἀλκμήνη, in quo, latine converso, more veterum, litera *u* literæ *i* vicem obtinet, ut in *maxumus, carnufex, lubet.* N.

ARGUMENTUM*.

In faciem vorsus Amphitruonis Juppiter,
Dum bellum gereret cum Telebois hostibus,
Alcmenam uxorem cepit usurariam.
Mercurius formam Sosiæ servi gerit
Absentis : his Alcmena decipitur dolis.
Postquam rediere veri Amphitruo et Sosia,

*Præfixa sunt singulis fabulis duo argumenta, e quibus alterum ἀκροστιχίδι insignitum, primis deinceps versuum literis nomen fabulæ præfert. Hoc alii Prisciano, alii Sidonio Apollinari, tribuunt, alii etiam e stylo colligunt vel ipsius Plauti esse (vid. Fabr. Bibl. Lat. I, 1), in quo errare mihi videntur; neque tamen ita censeo, quod laboriosus ille lusus in antiquorum simplicitatem non cadat; siquidem et Ennium et ipsos sibyllinorum carminum auctores ea scribendi cavillatione usos fuisse Cicero testatur (Divin. II, 54). Plautus vero magis in fabulis pariendis occupatus erat, unde rerum suarum egestatem quæstu tueretur, quam ut hujuscemodi nugis insudaret. Huc adde quod inter latinitatis antiquæ scriptores nullum invenias qui operum suorum partibus argumenta præmiserit; et hanc curam in se recipiebant vulgo grammatici, aut sequioris ævi poetæ, qui, eruditione magis quam ingenio valentes, aliena inventa periochis, summariis, argumentis adornare studuerunt. Hæc igitur non vere Plautina, at Plautini sermonis imitamenta judicamus; quæ, cujuscumque sint auctoris, tamen haud aspernanda sunt; quum eo tempore quo adhuc multi vetusti codices circumferebantur, facta fuisse fere constet. N.

2. *Telebois.* Teleboæ Acarnaniam et Echinadas insulas incoluere, nomine Teleboæ ducis appellati, sive ille fuerit Lelegis nepos, sive, ut multis placet, a Perseo originem duxerit, Herculi coævus, et sic contra rationem temporum Plautus peccaverit, quod et alias fecit. N.

3. *Usurariam. Uxor usuraria*, mulier ea est, qua quis utitur quamque accipit ad tempus velut mutuatitiam : ut *pecunia usuraria*, quæ ad usum accipitur mutuo. Taubm. — Hoc loco *usuraria* contrarium valet

Uterque luduntur dolis mirum in modum.
Hinc jurgium, tumultus, uxori et viro;
Donec cum tonitru voce missa ex æthere,
Adulterum se Juppiter confessus est.

atque *propria*, mansuro matrimonio juncta, ut apud Virgil. Æn. I, 77: «Connubio jungam stabili propriamque dicabo». Id. ibid. VI, 871: «propria hæc si dona fuissent». N.



ARGUMENTUM

(UT QUIBUSDAM VIDETUR)

PRISCIANI.

*A*MORE captus Alcumenas Juppiter,
*M*utavit sese in ejus formam conjugis,
*P*ro patria Amphitruo dum cernit cum hostibus;
*H*abitu Mercurius ei subservit Sosiæ:
*I*s advenienteis, servum ac dominum, frustra habet.
*T*urbas uxori ciet Amphitruo: atque invicem
*R*aptant pro mœchis. Blepharo captus arbiter,

1. *Alcumenas*. Genitivus antiquus more Græcorum. Virgil. Æn. XI, 801: « nihil ipsa nec auras, Nec sonitus memor ». TAUBM. Vid. Virg. ed. nost. t. IV, pag. 276. — Hanc veterem lectionem *auras* pro *auræ* Servius testatur ad h. l. Conf. et Priscian. VI, 1: « Primæ, inquit, declinationis femininorum genitivum in *as* more græco solebant antiquissimi terminare: unde adhuc paterfamilias et materfamilias pro familiæ solemus dicere ». Et laudat Livium, Nævium, Ennium usos vocibus escas, monetas, Latonas, terras, vias, pro escæ, monetæ, etc. N.

3. *Cernit cum hostibus*. Ennius: « Ferro, non auro, vitam cernamus utrique ». Virg. Æn. XII, 709, *cernere ferro*, pro decernere. TAUBM.

5. *Frustra habet*. Frustratur. ERN. — Qui *frustra habet*, fallit, ut qui *frustra est* fallitur. Conf. Sall. Bell. Jug. 85. N.

6. *Invicem raptant*. Se invicem in jus raptant Jupiter et Amphitruo: scilicet hic minatur deo dicam, ille hominem jam obtorto collo per ludibrium trahere parat. Solennis est locutio *in jus rapere*. N.

7. Vulgo apud eruditos viros invaluit opinio scenas secundam et tertiam acti quarti, in quibus Blepharo utrumque Amphitruonem audit contendentem, insitas alia manu fuisse post Plautum. Unde

*U*ter sit, non quit, Amphitruo, decernere.
*O*mnem rem noscunt : geminos Alcmena enititur.

colligunt nonnulli ex vs. 7 argumentum hoc præfixum demum esse comœdiæ, quum jam alieni panni assuti essent; nam ex legitimis apparere non Blepharonem captum arbitrum, sed Naucratem. Contra vero Gronovius asserit hunc vs. 7 convenire potuisse cum indubitato Plauti opere, siquidem ex principio sc. 3, act. IV, « Vos inter vos partite, etc. » satis intelligitur Blepharonem quoque a Plauto ipso inductum in fabulam arbitrum. Igitur quodcumque de scenis, quas interpolatas dicunt, judicium habeatur (vide nostram adnotationem, IV, 2, 15), ad antiquitatem argumenti labefactandam non valet. N.

ALIUD ARGUMENTUM CAMERARII.

Hujus comœdiæ argumentum est in granditate quadam admodum ridiculum. Traduxit enim Poeta tragicum argumentum in scenam comicam. Atque est fabula illa nota, Jovem adamasse Alcumenam, quæ esset nupta cum fratre patruele Amphitruone. Fuit enim, secundum poetas, Jovis et Danaes filius Perseus, et cum hoc nupta Andromeda Cephei filia. Horumque filii Alcæus, Sthenelus, Mestor, Electryon, et filia Gorgophone. Alcæi autem filius Amphitruo; et Electryonis Alcumena ex filia Pelopis, quam fuisse aiunt appellatam Lysidicen. Quum autem interfecisset Electryonem clava in bovem missa invitus Amphitruo, contulit se cum uxore Thebas, desponsa quidem sibi; sed cui promisisset juratus, se prius velle ulcisci cædem fratrum ipsius, quam nuptiis ejus potiretur. Ii fuerant a Taphiis, qui et Teleboæ, interempti. Adversus hos profectus, qua nocte, bello confecto, rediit, ea concubuerat cum Alcumena Jupiter; de quo Hercules; concubitu autem viri, Iphicles conceptus fuit. Sed Plautus tempora et rem commiscuit, et fabulis involvit. Nam apud hunc decimo mense post nuptias revertitur Amphitruo, relicta gravida domi uxore. Jupiter autem tribus noctibus in unam congestis, qua nocte Thebanum solum attigit Amphitruo, eadem ex Alcumena

voluptatem capit, quam prægnantem fecisset mense ante septimo: atque ea uno postea partu et humanum et Jovialem fœtum enisa fuit. Hæc autem habent insertas varias ac multiplices ludificationes et frustrationes et errores, quibus cum singulari festivitate dilatatur argumentum. Et est fabula hæc imprimis referta facetis dictis atque jocis. Res agitur Thebis.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

AMPHITRUO.

PROLOGUS*.

MERCURIUS.

Ut vos in vostris voltis mercimoniis
Emundis vendundisque me lætum lucris
Adficere, atque adjuvare in rebus omnibus;
Et ut res rationesque vostrorum omnium
Bene expedire voltis peregreque et domi,
Bonoque atque amplo auctare perpetuo lucro,

* Oratio fortasse tibi, lector, æquo prolixior, atque supervacaneis vocibus exuberans videbitur, nisi attendas eum qui nunc loquitur cum magna et strepente multitudine agere, et quidem scurriliter. Hanc ridiculam loquendi profluentiam hilaritas sequebatur, neque, ut legenti placide, ita turbæ inquieti tædio esse poterat. N.

1. *Voltis.* Margini adscripsit MS Palat. tert. *Lingua Umbrorum vertit V in O, Hetrusca contra A in V.* Ern. — *Vos... me... adficere.* Scil. vos a me affici. Notanda est amphibologia hujus figuræ, quæ tamen apud veteres non adeo rara occurrit, et sæpissime apud Nostrum. N.

2. *Lætum. Læti dii,* sunt propitii: ut, *omina* et *exta læta,* quæ *secunda:* contra *tristes dii,* irati, apud Propert. Unde patet, *lætum Mercurium* significare propitium, hoc est, bono publico lubentem, ac lætificantem suos. J. Guliel.

4. *Et ut res rationesque,* etc. Per *res,* negotia domestica et rem familiarem intelligit: per *rationes,* nomina, et quæ in codicem accepti et expensi referuntur. Jam, *expeditæ rationes,* liquidæ sunt et minime conturbatæ: contra, *impeditæ,* ubi plus aliis debemus, quam alii nobis. Lamb. — *Vostrorum* insolens

Quasque incepistis res, quasque inceptabitis;
Et uti bonis vos vostrosque omneis nuntiis
Me adficere voltis, ea adferam, ea ut nuntiem,
Quæ maxume in rem vostram communem sient
(Nam vos quidem id jam scitis concessum et datum
Mihi esse ab dîs aliis, nuntiis præsim et lucro);
Hæc ut me voltis adprobare, adnitier
Lucrum ut perenne vobis semper subpetat;
Ita huic facietis fabulæ silentium,

pro *vestrum*. Mostell. act. I, sc. 3, vs. 123. N.

7. *Quasque incepistis.* Ut voltis me auctare vos lucro in rebus non solum quas incepistis, sed etiam quas inceptabitis. N.

9. *Ea adferam.* Sic oratio componitur: Et ut voltis me afficere vos vestrosque bonis nuntiis, *ita* ut afferam et nuntiem ea quæ maxume, etc. N.


10. *Rem com.* rem publicam. Cf. inf. v. 40, et Horat. od. II, 15, 14. N.

12. *Nuntiis præsim*, etc. Duo præcipua Mercurii munera sunt, nuntium deorum agere, et lucrum mortalibus, imprimis mercatoribus, afferre. A quorum illo ἄγγελος τῶν Θεῶν, *deorum nuntius*, hoc, κερδῷος, *lucri dator*, Græcis dicitur. Lamb.

13. *Voltis adprobare.* Proprie dicuntur *adprobare* opus perfectum susceptores vel redemptores *probantibus* censoribus, vel privatis, qui id locaverant. Huc respicit et Phædrus, IV, 24, 11, de Simonide, qui, quum conduxisset certo pretio ut victori cuidam athletæ laudem scriberet, « Opus approbavit ». Cf. etiam Apul. lib. VI: « ante istam vesperam opus expeditum approbato mihi »; et lib. XXIV, Dig. locat. « Si in lege locationis comprehensum sit, ut arbitratu domini opus approbetur ». Sic erit igitur tralatitio sensu, *hæc adprobare*, hæc probe exsequi, hæc rebus et opere vobis probare ac repræsentare, qualia optatis. Gronov. — Propter longum hyperbaton, (pendet enim usque a prologi principio ad hunc locum sententia) duobus versibus fere colligit et complectitur quæ antea pluribus verbis dixerat. Dein exponitur diu neque sine consilio artificis exspectata apodosis: « ita huic facietis, etc. » Lamb.

15. *Ita... facietis... silentium.* Memento Horatiana: « quæ pervincere voces Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra? Garganum mugire putes nemus, aut mare Tuscum, Tanto cum strepitu ludi spectantur ». Etenim licet idem alio loco laudet veterum modestiam, quorum ætate tibia adhuc tenuis poterat nondum spissa nimis complere sedilia flatu, quo sane populus numerabilis, utpote parvus, et frugi castusque verecundusque coibat; tamen haud facile crediderim etiamtum per multitudinem spectatorum promiscuam licuisse ut histrionia, cunctis ore faventibus et

Itaque æqui et justi heic eritis omneis arbitri.
Nunc quojus jussu venio, et quamobrem venerim,
Dicam; simulque ipse eloquar nomen meum.
Jovis jussu venio; nomen Mercurii est mihi.
Pater huc me misit ad vos oratum meus,
Tametsi, pro imperio vobis quod dictum foret,
Scibat facturos : quippe qui intellexerat
Vereri vos se et metuere, ita ut æquom est, Jovem:
Verum profecto hoc petere me precario
A vobis jussit leniter dictis bonis.
Etenim ille, quojus huc jussu venio, Juppiter,
Non minus quam vostrum quivis formidat malum:
Humana matre natus, humano patre,



intentis, ageretur. Neque Plautus ipse Horatio assentitur, qui nunc populum auritum fieri per præconem jubet, nunc jocose queritur de strepitu virorum tumultuanter loca invadentium, et matronarum cachinnis, et infantium, quos afferunt nutrices, vagitibus. Vide Prologos Asin. Captiv. Pœnul. N.

16. *Arbitri.* Spectatores, judices. Ern.—Arbitrium erat penes spectatores, cui palmam histrioni darent, et an fabula staret. Infra monebit caveatur ne qui favitores per ambitum et turbas judicia consessus corrumpant. Itaque *arbitri* hoc loco sunt judices. N.

20. *Oratum.* Qui internuntius conciliandæ pacis venit, orator dicitur: « Jamque oratores aderant ex urbe Latina », Virg. Æn. XI, 100, 331. Itaque prologus actor qui veniam a populo petebat, recte dicebat se oratum prodire. Terentius Hecyr. prol. II, 1 : « Orator ad vos venio ornatu prologi, Sinite exorator ut siem ». Vid. inf. v. 34. N.

21. *Tametsi, pro imperio vobis*, etc. Vulgo alia distinctio adhibetur: « Tametsi pro imperio, vobis quod dictum foret, Scibat, etc. » Perperam ut Gronovio visum est. Dicta res pro imperio, scilicet imperata, decet Jovem quem verentur. Huic imperio opponit infra vs. 24, « precario petere ». N.

23. *Vereri vos se et metuere.* *Vereri* ut patrem et beneficum: *metuere*, ut maximum et potentissimum. Donatus: « Veretur liber, metuit servus ». Taubm.—Tit. Liv. XXXVII, 37 : « Veremur quidem vos, Romani, et, si ita vultis, etiam timemus; sed plus et veremur et timemus deos immortales ». N.

24. *Precario.* « Petimus precario: poscimus pro imperio: postulamus jure ». Donat.

25. *Dictis bonis*, quæ vos benevolos faciant, comi et grato affatu. N.

26. *Etenim ille.* Hactenus Mercurium de se et Jove loquutum esse, tamquam veris diis, quos vereri homines et metuere æquum sit,

Mirari non est æquom sibi si prætimet.
Atque ego quoque etiam, qui Jovis sum filius,
Contagione mei patris metuo malum.
Propterea pace advenio, et pacem ad vos adfero;
Justam rem et facilem esse oratum a vobis volo:
Nam juste ab justis justus sum orator datus.
Nam injusta ab justis impetrare non decet:
Justa autem ab injustis petere, insipientia'st;
Quippe olli iniqui jus ignorant, neque tenent.

Boxhornius monet; nunc vero tamquam de diis, ut erant, scenicis et personatis, et servilis conditionis hominibus, qui soli olim rem scenicam tractabant, et male tractantes, servilibus pœnis afficiebantur. Perpetua in prologo ambiguitas personæ habetur, nunc deum gerentis, nunc histrionem profitentis; et ex ambiguitate lepida ludificatio. N.

29. *Prætimet.* Quidam hic intrudunt *pertimet;* quod nullo modo admittendum: *pertimere* enim est valde timere: *prætimere* autem est ante timere, quod hic facit Jupiter iste scenicus. J. Grut.

31. *Malum. Malum* hic utrobique serviles pœnas interpretatur Douza. Taubm. — Recte Douza. Narrat Livius (IV, 49) Postumio Regillensi dicente: « malum quidem militibus meis, nisi quieverint », statim tribunum pl. « auditis, Quirites, sicut servis, malum minitantem militibus? » Notum est illud Metelli adversus Nævium epigramma superbissimum, cujus acumen in v. *malum* ita vertitur, ut hominem despicatissimæ conditionis taxet: « malum dabunt Metelli Nævio poetæ ». N.

32. *Propterea pace advenio.* Recte Acidalius interpretatur *per pacem*, ut scena sequenti v. 232. Sic Ovid. Rem. Am. 669: « Tutius est aptumque magis discedere pace ». Et Lucan. I, 191: « si jure venitis, Si cives, huc usque licet ». Gronov. — *Pacem adfero*, ad vos veniens pacem præ me fero. Pleonasmus igitur fit in h. v., ut sæpe alias. « Placide venio et placida propono, ut qui *leniter dictis bonis* agere debeam, ne quum servus cives alloquar, animos offendam. » N.

33. *Esse oratum*, non *oratam;* namque non pro participio positum est, sed verbum est indefinitum. Vid. Gell. I, 7. N.

34. *Nam juste ab j. j. s. o. d.* Ita h. l. omnes enarrant: « Nam datus, *missus*, sum juste ab justis, etc. » quod mihi displicet; namque *datus juste ab justis* non tam lepidus est jocus, quam ingrata tautologia. Ergo velim sic locutionem struere: « juste missus sum justus orator a justis, sc. qui justa petam ab justis ». Si quis durum judicaverit dicere « orator ab justis », quæso reputet nomina verbalia sæpe eamdem regendi vim habere atque ipsa verba unde originem ducunt. E. g. « curatio hanc rem ». Quin, si cum hoc versu conferat v. 33, « oratum a vobis volo », et vss. 35, 36, « ab justis impetrare, ab injustis

Nunc jam huc animum omneis ea quæ loquar advortite.
Debetis velle quæ velimus; meruimus
Et ego et pater de vobis et re publica.
Nam quid ego memorem, ut alios in tragœdiis
Vidi, Neptunum, Virtutem, Victoriam,
Martem, Bellonam, conmemorare quæ bona
Vobis fecissent? queis benefactis meus pater,
Deorum regnator, architectus omnibus.
Sed mos numquam illic fuit patri meo,
Ut exprobraret quod bonis faceret boni.
Gratum arbitratur esse id a vobis sibi,
Meritoque vobis bona se facere quæ facit.
Nunc quam rem oratum huc veni, primum proloquar;
Post, argumentum hujus eloquar tragœdiæ.
Quid contraxistis frontem? quia tragœdiam

petere », pro certo habebit per analogiam non licere ut syntaxis fiat alia. — Lascivit in repetitione, ut risum moveat; neque istiusmodi joci antiquis displicebant. Ennius sat.: « Nam qui lepide postulat alterum frustrari, Quem frustratur, frustra eum dicit frustra esse; Nam si se frustrari, quem frustras, sentit, qui frustratur, is frustra est, si non ille est frustra ». Et quod magis mirum, in Phœnice tragœdia, idem: « stultu'st qui cupida cupiens cupienter cupit »; et in Iphig. tragœd.: « Otio qui nescit uti, plus negotii habet Quam quum est negotium in negotio. Nam quoi, quod agat, institutum est, in illo negotio Id agit, studet ibi, mentem atque animum delectat suum. Otioso in otio animus nescit quid sibi velit ». Ipse etiam Cato Censorius sic: « Fane fieri bonis bono genere gnatis boni consulitis ». Gell. X, 3. Cf. Plaut. Capt. II, 1, 53, et 2, 5. N.

38. *Ea.* Quasi dicat: *huc vertite animum ad ea.* N.

41. *Nam quid ego*, etc. Scilicet auctores inducere in proscenium deos prologi officio fungentes solebant, qui blandirentur spectatoribus romanis, et numinis reverentia fabulam commendarent. N.

44. *Queis benefactis.* Quorum benefactorum tamen omnium meus pater, ut verus Jupiter et rex deorum, auctor atque opifex est. Sic Stoici *architecti verborum* Cic. Brut. 31. Lamb.

46. *Illic* vetus pro *ille*. N.

47. « Pro... beneficiis quanta ipsi meministis, nec enim exprobranda apud memores sunt ». Liv. VI, 44. Namque commemoratio beneficiorum, quasi exprobratio. N.

48. *Gratum a vobis.* Gronovius, bonis quidem allatis exemplis, male hunc locum interpretatur, qui beneficium *gratum* esse id quod gratis datur existimat. At contra si recte

Dixi futuram hanc? Deus sum; conmutavero
Eandem hanc, si voltis; faciam ex tragœdia
Comœdia ut sit, omnibus eisdem versibus.
Utrum sit, an non, voltis? sed ego stultior,
Quasi nesciam vos velle, qui divos siem:
Teneo quid animi vostri super hac re siet.
Faciam ut conmixta sit tragicocomœdia:
Nam me perpetuo facere ut sit comœdia,
Reges quo veniant et dî, non par arbitror.
Quid igitur? quoniam heic servos quoque parteis habet,
Faciam sit, proinde ut dixi, tragicocomœdia.
Nunc hoc me orare a vobis jussit Juppiter,
Ut conquisitores singuli in subsellia

intelligas et Plautum ipsum scena sequenti v. 29, atque Asin. I, 2, v. 10, et Terent. Heautont. V, 1, 61, tum liqueat et h. l. *gratum* significare «id cujus rependitur gratia», et *gratum a vobis id sibi* idem valere quod «ob id vos sibi gratos». *Gratus* vim habet utramvis et patiendi et agendi; modo active significat eum qui gratiam beneficii gerit aut persolvit, modo passive, ut in hoc versu, beneficium gratia remuneratum. N.

57. Vulgatæ *divus*, male; consule nostrum de orthog. præmonitum. N.

59. *Tragicocomœdia.* Hoc nomen, opinor, ut in re insolita, finxit haud segnis neque timidus hujusmodi opifex Plautus, ut novitate verbi expergefaceret animos. Sed si attendas quo deinde discrimine tragœdiam et comœdiam discernat, nempe conditione personarum magis quam fabulæ ipsius indole, compertum erit Romanos nondum callidos fuisse utriusque generis æstimatores. Tota enim hæc Amphitruo lepore comico constabat. Alia fuerunt tum quæ postea ex Græcis imitati sunt satyrica dramata, tum quæ Rhyntonica, nomine Rhyntonis, poetæ græci, nominaverunt; illa dicebantur hilarotragœdiæ, utpote tristitia et festivitate temperata. Athenæus narrat Amphitruonem ab Rhyntone quoque scriptam, qui prior Plauto an posterior fuerit non liquet. N.

60. *Perpetuo.* Junge hoc verbis *ut sit;* «non æquum censeo facere ut hæc fabula sit toto suo tenore comœdia». N.

62. *Heic,* scilicet in hoc dramate, *servus* rem gerit, Sosia. N.

65. *Conquisitores,* etc. Sensus est: Ut speculatores et quasi ὠτακουσταὶ et *auricularii* (ut *Glossar.* vertit) spectatoribus appositi in singula subsellia per totam caveam eant: ut si cui histrioni fautores assignatos animadverterint, ab his togæ auferantur in pignus. Et notum est, histriones invicem de victoria certasse, victoremque muneratum esse. Quæ victoria quia interdum non virtute sed favore parabatur, labo-

Eant per totam caveam spectatoribus;
Si quoi fautores delegatos viderint,
Ut his in cavea pignus capiantur togæ.
Sive qui ambissent palmam histrionibus,
Seu quoiquam artifici, seu per scriptas literas,
Sive qui ipsi ambissent, seu per internuntium,

rat Mercurius, ne fiat id in hac comœdia. Fruter.

66. *Caveam.* Quia amphitheatrum, unde populus spectabat, aut aggere aut compagine lignea exstructum, loco, ubi ludi agitabantur, superius assurgebat, quasi medio excavato, dictum fuit cavea. Circumibant subselliorum ordines, quorum a scena proximi senatoribus tunc dabantur, ultimi plebem recipiebant; unde voces *prima*, *ultima cavea*, pars prior, posterior caveæ. N.

67. *Fautores delegatos.* Mos erat, ut, peractis ludis, histriones, quisque pro merito, præmium aut pœnam ferrent. Plaut. Cist. V, in fine. Nonnumquam etiam libertate donatus abibat quem arte præstantissimum judicaverant. Cic. ad Attic. IV, 15. Suet. Tib. 47. Inde histrionum et pro se et adversus æmulos machinationes; inde coitiones civium, qui vel his plauderent, vel illis obstreperent. Itaque *delegati*, subornati, aderant *fautores*. N.

68. *In cavea pignus capiantur togæ.* Togæ capiantur tamquam pignus. Videlicet siquis turbas concitasset, mulctæ obnoxius erat, non expellebatur; et togam pro pignore in præsentia capiebant conquisitores. Simile aliquid in senatu fiebat, quum senatores contumaciter auctoritati consulum, in curia, obluctantes, coercebantur pignoribus ablatis. Vid. Cic. de Orat. III, 1. Gell. Noct. Att. XIV, 7. N.

69. *Sive qui ambissent*, etc. Ambire palmam alicui idem est atque eniti ambitu, precibus apud judices ludorum, ut tamquam cæteris præcellentem immerito aliquem pronuntient. Non simplex quidem fautorum genus, neque ambitionis ratio. Erant qui voce manuque placita exsequerentur; hoc vulgus ignobile. At principes, opulenti homines, epistolis, aut per internuntios, aut ipsi commendatitiis verbis, dilecto artifici palmam petebant a judicibus. N.

70. *Artifici*, sc. scenico. Taubm. — *Seu quoiquam artifici.* Artificem genere vocat distincte ab histrionibus. Nam multiplex artificum scenariorum turba; erant qui diverbia agerent, erant qui cantica modularentur, erant qui saltarent, erant et tibicines. N.

71. *Sive qui ipsi ambissent.* Ea repetitio est cujusmodi multæ occurrunt in hoc prologo; et cave, ne ad histriones, ut nonnulli videntur innuere, τὸ *ipsi ambissent* referas. H. l. non de histrionibus, qui infra citabuntur v. 82, sed de fautoribus illorum duntaxat agit Poeta. Is totius phrasis sensus est: Jupiter vult eamdem legem ambitus, ut ambientibus magistratum, ita eis incumbere si qui ambissent palmam histrionibus vel per scriptas literas, vel per internuntium, vel ipsi; sive ædiles contra fidem jurisjurandi dederint. N.

Sive adeo ædileis perfidiose quoi duint,
Sirempse legem jussit esse Juppiter,
Quasi magistratum sibi alterive ambiverit.
Virtute dixit vos victores vivere,
Non ambitione, neque perfidia : qui minus
Eadem histrioni sit lex, quæ summo viro?
Virtute ambire oportet, non favitoribus;
Sat habet favitorum semper, qui recte facit;
Si ollis fides est, quibus est ea res in manu.
Hoc quoque etiam mihi in mandatis dedit,
Ut conquisitores fierent histrionibus,
Qui sibi mandassent delegati ut plauderent;

72. *Quoi duint.* I. e. cui dederint. Jurabant autem ædiles qui ludis præerant, se illi, qui optime egisse visus esset, palmam daturos. Lamb. —*Ædileis perfidiose duint. Duint* Vet. pro *dent* et *dederint.* Liv. X, 19 : « Bellona, si... victoriam duis ». *Perfidiose* non e fide sua, sed favore. N.

73. *Sirempse,* etc. I. e. Similem re ipsa legem jussit esse Jupiter quasi magistratum, etc. Sensus est : Ut pœna afficiuntur, qui magistratum largitione et consimili pacto adipiscuntur : ita affici voluit Jupiter eum spectatorem, qui histrioni palmam ambitione conciliarit. Lamb. — Non ponendum *Sirempse lege*, aut *Sirempse in lege,* ut quidam eruditi voluerunt. Adjectivum nomen est *Siremps*, in casu recto, cujus obliquus videtur esse *Sirempse*, quasi *similem re ipsa.* Formula *Siremps lex esto* in antiquis legibus frequens est. Eam adhibuit eleganter Seneca epist. 91 : « Conditor ille juris humani non natalibus, nec nominum claritate nos distinxit, nisi dum hic sumus. Ubi ad finem mortalium ventum est, discede, inquit, ambitio ; omnium, qui terram premunt, Siremps lex esto », i. e. omnibus terrenis, quæque hominum sunt, eadem lex dicta sit : æque discedant, abeant, evanescant. Gronov. *

79. *Sat habet favitorum*, etc. pro *fautorum.* Hic versus conjunctim legendus cum sequenti, in hanc sententiam : Satis habet fautorum, qui recte facit ; si fidi sint, et integri alienæ virtutis æstimatores ii, quorum est præmia et honores dare. Lambin.

82. *Conquisitores*, etc. Superiores conquisitores vs. 65 addendi sunt spectatoribus, ne quid gratiæ tribuant : hi vero histrionibus, ne quis eorum mandet certis spectatoribus, ad eam rem data opera hic et illic dispositis, ut sibi plaudant quasi palma digno : aut malitiosis consiliis perficiat, quo minus alter histrio placeat. Et vult, ut conquisitores in horum uno deprehensum vestitu spolient, et *corium,* id est, tergum, loris discindant. Ræv ard.

83. *Sibi.* Verborum ordo inter-

Quive, quo placeret alter, fecissent, minus,
Eis ornamenta et corium uti conciderent.
Mirari nolim vos quapropter Juppiter
Nunc histriones curet; ne miremini.
Ipse hanc acturu'st Juppiter comœdiam.
Quid admirati estis? quasi vero novom
Nunc proferatur, Jovem facere histrioniam.
Etiam histriones anno quom in proscenio heic
Jovem invocarunt, venit; auxilio eis fuit:
Præterea certo prodit in tragœdia.
Hanc fabulam, inquam, heic Juppiter hodie ipse aget,

versus est, neque commode satis. Junge *sibi* cum *plauderent*. N.

84. *Quive, quo*, etc. Constructio verborum implicata. Scilicet « quive fecissent quo minus alter placeret ».

85. *Corium conciderent.* Sunt qui intelligant *personam coriaceam* raptum fore. Sed valde dubium an Plauto docente fabulas jam tum personas latini histriones gererent. Ut ut vero solvitur quæstio, in mentem Plauti fuisse mihi videtur, ut h. l. diceret *conquisitores histrionibus concisuros* (rapturos) *ornamenta* (omnem vestitum), et *concisuros* (laceraturos) *corium* (pellem) loris, servile pœnæ genus, utpote servis hominibus adhibitum. Plautus, ni fallor, in verbo *concidere* ludum facit, quod significabat *lacerare* nativo sensu, (*concidere loris* Juven. Sat. VI, 413) et translate *capere, divendere bona alicujus ob mulctationem*. Bifariam hic verbum profertur, tum *concidere ornamenta*, licet histrionum non essent propria, tum *concidere corium*. N.

86-93. Lepide Plautus veniam petit, postulatumque tuetur exemplis, ut sibi Jovem in scenam inducere liceat. Et mireris quidem quod Romani talia deorum suorum dehonestamenta per deorum festa et supplicationes proponi non indigne, immo libenter tulerint. Verecundus etiam Terentius inducit adolescentem exemplo Jovis, qui depictus erat in tabula Danaes stuprator, semet cohortantem ad stuprum virgini inferendum. Eunuch. III, 5. Talia paganis exprobrat Augustinus de Civitate Dei, VI, 5. N.

91. *Anno*, anno præterito. Menæchm. I, 3: « Quatuor minis ego emi istam anno uxori meæ ». Trucul. I, 4: « Qui quasi uxorem sibi Me habebat anno, dum hic fuit ». Intelligitur τὸ *abhinc*. Gron.

92. *Jovem invocarunt*, etc. Alludit ad quamdam fabulam, anno proxime superiori editam, in qua inducebatur mirum in modum Jupiter, Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς. N.

93. *Certo.* Paulo plus æquo sensum verbi Lambinus intendit, quum explicat *sine controversia, sine cujusquam reprehensione*. Plautus tantum affirmandi signo utitur: « certum est prodire Jovem ». Cf. ipse Menæchm. V, 9, 50. Stich. II, 1, 86. N.

Et ego una cum illo. Nunc animum advortite,
Dum hujus argumentum eloquar comœdiæ.
Hæc urbs est Thebæ; in illisce habitat ædibus
Amphitruo, natus Argis ex Argo patre,
Quicum Alcumena est nupta, Electri filia.
Is nunc Amphitruo præfectu'st legionibus:
Nam cum Telebois bellum'st Thebano poplo.
Is, priusquam hinc abiit ipsemet in exercitum,
Gravidam Alcumenam uxorem fecit suam.
Nam ego vos novisse credo jam ut sit pater meus;
Quam liber harum rerum multarum siet,
Quantusque amator siet quod complacitum'st semel.
Is amare obcœpit Alcumenam clam virum,
Usuramque ejus corporis cepit sibi,
Et gravidam fecit is eam compressu suo.
Nunc, de Alcumena ut rem teneatis rectius,
Utrimque est gravida, et ex viro, et ex summo Jove.
Et meus pater nunc intus heic cum illa cubat;

98. *Ex Argo patre*. Id est, patre et ipso Argis oriundo. Male plerique omnes *Argo* interpretantur Argivo. Est enim *Argo* ab *Argos*, ut *chao* a *chaos*, *pelago* a *pelagus*, et similia. Vid. Observ. IV, 17. Gron. — Aliter sentit Nonius Marcellus cap. VIII, n. 4, cujus hæc lectio: « Argus pro Argivus. Plaut. Amph. Amphitruo natus Argus ex Argo patre ». Mihi potior videtur Marcelli auctoritas. Nomen patri fuit Alceus (vide Camerarii argument.). Unde Herculi Alcidæ cognomen. N.

104. *Nam*. Non semper τὸ *nam* consequentiam significat; et vim discretivam habet facitque transitionem, quasi *autem*. Vid. Ind. Cic. ed. Vict. Leclerc. h. voc. Pareus et alii volunt *jam*. N.

105. *Quam liber harum rerum multarum siet*. Quam multa ejusmodi licenter agat. *Harum rerum* δεικτικῶς adulteria et stupra significat. Lambin. — Perperam hunc locum vexaverunt, dum comminiscuntur *liberarum rerum*, et alia. Quos refutat Plautus ipse, infr. sc. 3, 12, et Milit. gl. V, vs. ult. N. — Et Arnobius lib. IV: « Si quidem vobis deus Hercules natus est, qui in rebus hujusmodi patris sui transiret exsuperaretque virtutes ». Gronov.

106. *Amator ... quod complacit*. Amator *hujus* quod... vel *si* quod... Neutrum pro nomine mulieris dilectæ; gall. *l'objet aimé;* ut græc. τυφλοῦται τὸ φιλοῦν περὶ τὸ φιλούμενον. Et Horat. « sive quid urimur », od. I, 6. N.

108. *Usuramque*. Vid. adnot. ad argum. prim. v. 3.

Et hæc ob eam rem nox est facta longior,
Dum ille, quacum volt, voluptatem capit:
Sed ita assimulavit se quasi Amphitruo siet.
Nunc ne hunc ornatum vos meum admiremini,
Quod ego huc processi sic cum servili schema,
Veterem atque antiquam rem novam ad vos proferam:
Propterea ornatus in novom incessi modum.
Nam meus pater intus nunc est, eccum, Juppiter:
In Amphitruonis vortit sese imaginem,
Omneisque eum esse censent servi qui vident:
Ita versipellem se facit, quando lubet.
Ego servi sumpsi Sosiæ mihi imaginem,
Qui cum Amphitruone abiit hinc in exercitum,
Ut præservire amanti meo possem patri,
Atque ut ne qui essem familiares quærerent,
Versari crebro heic quom viderent me domi.
Nunc quom esse credent servom et conservom suum,
Haud quisquam quæret qui siem, aut quid venerim.

116. *Ornatum.* Rem omnem vestiariam histrionum vocabant ornatum sive ornamenta; quæ dictiones significant quodvis vestimenti genus, gallice *costume*, etiam vile et sordidum, non exquisitum et nitidum corporis cultum, *parure*. Trinum. IV, 2, 16, « ipse ornamenta (scil. viatoris non splendidi) a chorago hæc sumpsit »; Mil. gl. IV, 4, 41: « facito ut venias huc ornatu nauclerico », i. e. veste gubernatoris nautici. N.

117. *Schema.* Priscian. docet VI, 2, neutra tertiæ terminationis, quæ græca sunt, et addita *tis* faciunt genitivum, ut *hoc poema, hujus poematis*, ab antiquissimis secundum primam declinationem prolata fuisse, et generis feminini; locum hunc Plauti citat, et alium, Persa, IV, 2, 2: « Theatrum lepida condecorat schema », et Pomponium in satira: *diademam dedit* p. *diadema*. Schema est habitus, vestitus, ut fert græca etymologia, neque, ut Scaliger autumat, servilis penulæ genus. N.

118. *Antiquam rem novam. Antiquam* tempore, olim gestam; *novam* hodie comica hac repræsentatione. Ern.

119. *Propterea.* Propter rem quam vobis nunc enarrabo, scil. hoc furtum Jovis. N.

120. *Eccum.* Notetur, *eccum* etiam accommodari absentibus. Grut. — Digito monstrabat domum. N.

123. *Versipellem*, etc. Facete et comicum in modum metamorphoses Jovis memorat h. v. *versipellis*. N.

127. *Ut ne. Ut* abundat. *Familiares*, famuli. N.

Pater nunc intus suo animo morem gerit;
Cubat complexus, cujus cupiens maxume est.
Quæ illei ad legionem facta sunt, memorat pater
Meus Alcumenæ : at illa illum censet virum
Suum esse, quæ cum mœcho est : ibi nunc meus pater
Memorat, legiones hostium ut fugaverit;
Quo pacto sit donis donatus plurimis.
Ea dona, quæ illeic Amphitruoni sunt data,
Abstulimus : facile meus pater quod volt facit.
Nunc hodie Amphitruo veniet huc ab exercitu,
Et servos, quojus ego hanc fero imaginem.
Nunc internosse ut nos possitis facilius,
Ego has habebo heic usque in petaso pinnulas;
Tum meo patri autem torulus inerit aureus
Sub petaso : id signum Amphitruoni non erit.
Ea signa nemo horum familiarium
Videre poterit; verum vos videbitis.

131. *Animo morem gerit. Morem gerere*, *morigerare* est *obsequi*, et *animus* pro *quod animo libet* sumitur (Bacchid. IV, 10, 7. Epid. I, 1, 42). Igitur h. l. dicitur idem atque *libidini indulget*. N.

132. MSS Boxh. *cubat, complexus cujus*, etc. proba vulgaris lectio : *complexus* eam *cujus*, etc. N.

133. *Illei*, pro *illic*, frequentiss. Plauto, Terentio, aliis. Taubm. — *Ad legionem*. In bello, in exercitu. Pars pro re universa. N.

134. *At illa censet*, etc. Vide qua diligentia præmoneat deceptam Alcmenam fuisse. Namque matronam indecoris moribus deturpatam in scena comica veteres non ferebant. Nulla mulier procax et dissoluta exhibebatur præter meretrices. Forsan quoque jocoso deo placet particulatim et irridenter enarrare quibus modis Alcmena ludatur. N.

143. *Petaso. Petasus* a πετάννυμι pileus est viatoribus solem defendens. Apuleius, *pilei umbraculum* vocat. Taubm. — *Pinnulæ*. Diminutivo utitur commode, nam Pseudososia non magnum, neque conspicuum nimis apicem petaso addidit. N.

144. *Torulus aureus*. Docti prolixe disputant de hoc torulo; plerique censuerunt histrionem more Atheniensium capillos congestos in conum et cicada aurea retentos in summo capite habuisse, scil. torulum, quasi contortam cæsariem, *aureum*, aurea fibula nexum. At magis arridet simplicior explicatio qua *torulus aureus* sit funiculus, cingulum auro textum, *un cordon d'or*. Exemplo Ammiani, XXIX, 1, utar : « to-

Sed Amphitruonis illic est servos Sosia,
A portu illic nunc cum laterna advenit.
Abigam jam ego illum advenientem ab ædibus.
Adest, ferit. Operæ pretium heic spectantibus
Jovem atque Mercurium facere histrioniam.

rulo capiti circumflexo ». Ib. XVI, 12 : « Chnodomarius... cujus vertici flammeus torulus aptabatur ». N.— *Inerit sub petaso.* Non adeo depressus fuit in aures petasus, ut torulus, quo caput redimitum erat, non appareret. N.

151. *Adest.* Palm. *Adeste : erit operæ*, etc. Meursius retinet *ferit;* quasi sit ἀρχαϊσμὸς, pro, *fuerit.* Castalio tamen nihil mutandum censet; præsertim quum ad Sosiæ adventantis celeritatem et cupiditatem sese in ædes heriles recipiendi, exprimendum mirifice pertineant duo illa verba, *adest, ferit.* Licet enim nondum propius accesserit, neque fores pulsaverit, tamen Mercurio trepidanti ne quid tale accideret, adesse jam Sosia, et pulsare videbatur. Ern. — *Operæ pretium*, etc. Adveniente Sosia, fabula incipit : ergo Jovem atque Mercurium ipsos quoque mox prodire oportet, quod lepide prologus nuntiat cavillando de duplici deorum scenicorum indole. Ita locum explico: « Ecce adest : nunc *Jupiter et Mercurius*, ambo dii, servile opus *histrioniæ facient* vobis *hic spectantibus*, neque perdent operam, erit *operæ pretium*, siquidem vos oblectare ambo annitentur ». Sunt qui, Bolæo quidem auctore, hunc prologum jucundiorem quam Mercurii et Noctis apud Molierum habeant. Sed eorum pace, quod sentio, fari liceat; tantum acumine ingenii et spectaculi artificio alter ab altero differre videtur, quantum inter hujus et illius scriptoris spectatores urbanitate interfuit. N.



M. ACCII PLAUTI
SARSINATIS UMBRI
AMPHITRUO.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

SOSIA, MERCURIUS.

Qui me alter est audacior homo, aut qui me confidentior,
Juventutis mores qui sciam, qui hoc noctis solus ambulem?
Quid faciam nunc, si tresviri me in carcerem compegerint?

1. *Qui me audacior?* Ridicula sane timidi hominis suam audaciam admirantis exclamatio, quam Rotrovius gallice expressit, Molierus desiderandam præteriit. N.

2. *Qui sciam, qui....* Verborum complexum ita explica: « Quis confidentior me qui, quum mores juventutis sciam, solus ambulem hoc noctis ». *Juventutis mores.* Multa exempla testantur petulanter se gessisse vel apud antiquos illos Romanos juventutem, neque postea ita magistratus invigilasse, ut viæ ambulantibus tutæ satis essent. Noctu discurrebant procaces et ebrii adolescentes, et obvium quemque male mulctabant. Cf. Dionys. Halic. ed. Oxon. pag. 604, l. 34. Juven. Sat. III, 278. N. — *Hoc noctis,* i. e. secundum *hoc* tempus *noctis.* Cic. Attic. XIII, 33, « id temporis ». Αττικῶς est dictum, nocte tam sera atque intempesta. Vid. Trinum. act. IV, 3. Ern.

3. *Quid faciam?* Jam alter metus succurrit. N. — *Tresviri.* Agitur hic de triumviris, qui nocturni dicuntur, et noctu excubias agebant, adversus grassatores et pacis publicæ turbatores. Paullus lib. II de offic. Præf. Vig. D. Ern. — *Me in carcerem,* etc. Tamquam grassatorem nocturnum; sicarium puta, aut qui vecticulariam vitam colat. Ad legem aliquam pop. R. jocus hic respicit,

Inde cras e promptuaria cella depromar ad flagrum,
Nec caussam liceat dicere mihi, neque in hero quidquam auxilii siet,
Nec quisquam sit quin me omnes esse dignum deputent: ita
Quasi incudem me miserum homines octo validi cædant: ita
Peregre adveniens hospitio publicitus adcipiar.
Hæc heri inmodestia coegit me qui hoc
Noctis a portu ingratis excitavit.
Nonne idem hoc luci me mittere potuit?
Opulento homini hoc servitus dura est;

qua cautum fuit, ne cui noctis conticinio per Urbem iter facere liceret; præsertim Plautinis et belli Punici secundi temporibus. Taubm.

4. *Cras e promptuaria cella.* Jocus servilis, quo carcerem comparat penori. Nam *cella promptuaria* est, in quam penus aut utensilia conduntur, et unde ad usum familiarem promuntur. Cellæ qui præsunt, *promicondi* dicuntur. Taubm.

5. *Nec c. dicere.* Mores populi romani perstringit Plautus, dum agit palliatam. Namque ne damnatus indicta causa vapulet, utpote infimæ conditionis homo, Sosia quum timeat, potentes iniquitatis arguit. Sic Romæ vivebatur. N.

6. *Nec quisquam sit quin.* Notanda locutio pro *omnes me deputarent.* Et hoc versu levitatem tangit hominum, non re perspecta, sed præjudicata opinione decernentium, et inopem urgentium.—*Ita* supervacaneum mihi videtur errore librariorum huc irrepsisse, repetitum ex v. seq. namque si scribas v. 5 *auxili* et vocem *siet* in v. 6 trajicias expuncto *ita*, optime constabunt duo iambici octonarii, incipientes a *nec caussam* et in *deputent* desinentes. N.

7. *Homines octo.* Octo enim lictores habebant triumviri isti capitales, qui eorum jussu in damnatum animadvertebant. Hotom. — Conf. Plaut. Asin. III, 2, 28. N.

8. *Ita peregre adveniens hospitio publicitus adcipiar.* Adludit ad eos, qui peregre venientes, honoris causa, publice accipiuntur hospitio; aut fortasse ad id, quod civibus in patriam redeuntibus cœna dabatur. Lamb.

9. *Hæc heri inmodestia.* Hæc omnia quæ dixi, heri procuravit immodestia, qui me, etc. *Excitavit a portu*, h. e. portu exegit, nec ibi quietem ducere passus est. Taubm.

10. *Ingratis*, me nolentem.

11. *Idem.* Neutrum est, et cum *hoc* jungitur; scil. « propter hoc idem ». Gall. *pour la même commission.* Male Gruterus *hoc* pro *huc* vult scriptura prisca. N. — *Luci*, lucente die. Modo adverbium est, modo indeclinabile nomen, sicut *mane.* Plautus: « quum primo luci ». Cist. II, 11, 48, et passim. N.

12. *Opulento homini servitus.* Servitus opulento homini est servitus quam quis servit opulento. *Hoc*, id est, ob hoc, ideo. Taubm. — Subintellige *quod* in vs. 14: « hoc dura servitus quod noctes, etc. » N.

Hoc magis miser est divitis servos;
Noctesque diesque adsiduo satis superque est,
Quo facto aut dicto adest opus, quietus ne sis.
Ipse dominus dives operis et laboris expers,
Quodcumque homini adcidit libere, posse retur;
Æquom esse putat, non reputat laboris quid sit,
Nec, æquom anne iniquom imperet, cogitabit.
Ergo in servitute expetunt multa iniqua;
Habendum et ferendum hoc onus est cum labore.
MERC. Satius est me queri illo modo servitutem; hodie
Qui fuerim liber, eum nunc potivit pater

14. *Adsiduo*, semper. Nonnulli in hac voce cavillantur, et sensum eruere insolentiorem, vocato in partes Gellio, Noct. Att. XVI, 10, laborant, frustra quidem, ut opinor. Volunt *assiduo* esse dativum nominis adjectivi, qui idem valeat atque *dives*. N.

15. *Quo facto*. Id est, ubi facto. Glossæ MSS Plaut. Cod. BOXHORN. — Hæc est sententiæ explanatio : « Quum servis diviti, negotii satis superque semper tibi est, quod dicere aut facere opus sit, ita ut quietus non sis ». Haud insolens ablativ. particip. pro indefinito cum verbo *opus est* : « Mature facto opus est ». Sallust. Catil. 1. *Dicto adest* sunt qui scribant *dictod est*. N.

16. *Dives operis*. Explicant servis, sive operariis. Immo *dives operis* est qui multum operis habet faciundi atque imperandi. Ut, « Nasamoniaci Dorylas ditissimus agri, Dives agri Dorylas », apud Ovid. Metam. lib. V. GRONOV.

17. *Accidit*, etc. Quum *libere* alias fortuitum quid denotet, accedente verbo *accidit*, libidinem hominis extra omnem rationem causamque ostendit. Ut sit sensus : Quidquid accidit, ut homini allubescat, id retur se posse, nec reputat, quid laboris aliis afferat. PISTOR.

20. *Expetunt*. Id est, accidunt. NON. — Usitatum neutra significatione *expetere* pro *cadere*, *accidere* apud Plaut. Amph. I, 2, 32; II, 1, 42; III, 2, 15. Mil. glor. II, 4, 40. Conf. Liv. I, 22. N.

21. *Cum labore*. Epitheton hoc velim *oneri* adjungi, quasi dicat « onus laboriosum ». Molierus, hunc locum imitando, ingeniosius querentem quam verosimilius Sosiam induxit, qui aulici, non servi, miserias enarret : *cependant notre ame insensée*, etc. N.

22. *Hodie*. Hodie demum id muneris delegavit mihi Jupiter, ut servus essem, aut esse me assimularem. ERN. — Post *queri servitutem* supple *quod*, ut præcedentibus sequentia syntaxi conjungantur. N.

23. *Eum*, per emphasim, me talem. *Potivit servitutis*, mancipavit servituti. Videtur ætate Plauti active dictum fuisse *potire*, scil. facere aliquem compotem alicujus rei, et passive nonnumquam *potiri*, venire

Servitutis : hic, qui verna natus est, queritur.
Sum vero verna verbero. SOS. Numero mihi in mentem fuit
Dîs advenientem gratias pro meritis agere atque adloqui.
Næ illi, edepol, si merito meo referre studeant gratias,
Aliquem hominem adlegent, qui mî advenienti os occillet probe :
Quoniam bene quæ in me fecerunt, ingrata ea habui atque inrita.
MERC. Facit ille, quod volgo haud solent, ut quid se sit dignum sciat.
SOS. Quod numquam opinatus fui, neque alius quisquam civium
Sibi eventurum, id contigit, ut salvi potiremur domum.

in potestatem alicujus. Captiv. I, 1, 24, et 2, 41. Epid. IV, 1, 5 et 35. Et congruit *potiri* cum re mala. « Mortis letique potitum », Lucret. IV, 767. Attius in Clytæmnestra : « feras potiuntur plagas ». N.

24. *Qui verna natus est.* Viliores nati servi, quam facti. LIPS.

25. Palat. 6 et Vulgat. legunt *verbo;* quasi dicat : Non re, sed titulo tantum; sum enim Mercurius. TAUBM. — Frigida et vitiosa simul correctio; namque claudicaret versus iambicus octonarius, et festivitas sententiæ periret, qua Mercurius Sosiam deridet, quum dicat se non solum vernam esse factum, sed vernam improbum, verberibus assuetum. N. — *Numero.* Festus explicat *cito.* Hoc loco valet *en subito.* Varro apud Nonium voc. *numerus :* « qui cito facturum quid se ostendere volebat, dicebat numero id fore ». Gall. *à l'instant.* Inde illa dictio deducta esse videtur, quod unitas, numerorum elementum, quasi punctum habebatur; et *numero* dixerunt tamquam *puncto temporis.* N. — *Mihi in mentem fuit.* Ita Bacchid. I, 2 : « ecquid in mentem est tibi? » Non est solœcismus, inquit Gell. I, cap. 7, locum hunc laudans, sed ratione dictum certa et proba, qua et Græci utuntur. TAUBM.

26, 27. *Dîs gratias,* etc. Redeuntes in patriam ex longo itinere solebant precibus et munere pio deos adorare. Vid. Mostell. II, 2, 1. — *Meritis* suis ... *merito meo.* Ludit comparatione bonitatis deorum et suæ nequitiæ. N.

28. *Occillet.* Os pugnis frangat et contundat, ab *occare.* ERN. — Supervacaneæ et improbæ emendationes *ossillet* quasi ab *osse*, vel *suggillet.* Qui occat, glebas frangit; qui occillat, minutatim. Hinc tralatio commoda, et per diminutivum lepidior. Simili modo Pomponius : « num quis hic restat qui nondum labias lirarit (sulcarit) mihi ». N.

29. *Ingrata.* Prol. v. 48. N.

32. *Pot. dom.* Veteres accusativ. cum *potiri* posuere. Cf. Lucret. II, 653; Terent. Andr. V, 4, 17, et supra Attius ad vers. 23. N.

Victores victis hostibus legiones reveniunt domum,
Duello exstincto maxumo atque internecatis hostibus:
Qui multa Thebano populo acerba objecit funera,
Id vi et virtute militum victum atque expugnatum oppidum'st,
Imperio atque auspicio heri mei Amphitruonis maxume.
Præda atque agro adoreaque adfecit populares suos,
Regique Thebano Creonti regnum stabilivit suum.
Me a portu præmisit domum, ut hæc nuntiem uxori suæ,

33. *Victores legiones.* Videtur ætate Plauti in feminino usurpata fuisse dictio *victor.* At certe testatur Priscianus, VII, 14, apud vetustissimos nomina terminata in *or* fuisse trium generum. Ex. g. « bellum posterior, fœdus prior ». Unde et per analogiam colligere possis olim nominibus quoque in *tor* desinentibus defuisse terminationum pro diversis generibus varietatem. N.

34. *Duello.* Duellum, bellum videlicet, quo, duabus partibus de victoria contendentibus, dimicatur. Inde *perduellis.* Vide Nonium et Festum. Sic enarrat Varro L. L. « *Bellona* a *bello* nunc, quæ *Duellona* a *duello* ». N. — *Internecatis.* Penitus interfectis hostibus. Sic *bellum internecinum.* Taubm.

35. *Qui.* Nonnulli scribunt: « Qui ... objecerunt », juncto hoc commate cum priore, *hostibus*, etc. At sic claudicat versus syllaba longior. An Plautus *oppido* addidit *qui*, habita ratione rei quæ nomini subest magis quam figuræ grammaticæ? Nam oppidum h. l. populum, multitudinem hominum repræsentat. Terent. Andr. I, 6, 15. « aliquid *monstri* alunt; *ea*, etc. » Horat. od. I, 31, 21: « fatale *monstrum*, *quæ*, etc. » Verum multi MSS et impressi libri dant *quod*, et hoc modo nodus solvitur. N.

36. *Vi et virtute militum.* More romano loquitur. Sic F. Camillus apud Liv. VIII, 13: « P. C. quod bello armisque in Latio agendum fuit, id jam deum benignitate ac virtute militum ad finem pervenit ». N.

37. *Imperio atque auspicio.* Imperium est ejus qui præest exercitui, auspicium ejus quem penes est summa belli; ille enim solus habet auspicia. Legati pro parte sua imperant et ipsi militibus, auspicio ducis pugnant. Conf. Curt. VI, 6, orat. Alex. N.

38. *Adoreaque.* Antiqui Rom. omnem ex agris proventum vocabant *Adoream.* Et postquam præmium militibus frumentum erat, parta victoria, *Adorea* pro laude accipi cœpta est. Horat. lib. IV, od. 4: « Et pulcher fugatis Ille dies Latio tenebris, Qui primus alma risit adorea ». Taubm. — *Adorea adficere* est idem, quod infra, V, 2, 10, « Immortali adficere gloria ». *Præda*, *agro*, *adorea*, tribus præmiis belli romani. Hæc, apud Liv. III, 67, Quintius ad Quirites: « *præda* parta, *agro* ex hoste capto, pleni fortunarum *gloriæ*que, etc. » N.

40, 41. *Ut hæc... Ut gesserit.* Signi-

Ut gesserit rempublicam ductu, imperio, auspicio suo.
Ea nunc meditabor, quo modo illi dicam, quom illo advenero.
Si dixero mendacium, solens meo more fecero;
Nam quom pugnabant maxume, ego fugiebam maxume.
Verumtamen quasi adfuerim simulabo, atque audita eloquar.
Sed quo modo et verbis quibus me deceat fabularier,
Prius ipse mecum etiam volo heic meditari; sic hoc proloquar;
Principio ut illo advenimus, ubi primum terram tetigimus,
Continuo Amphitruo delegit viros primorum principes;
Eos legat; Telebois jubet sententiam ut dicant suam:
Si sine vi et sine bello velint rapta et raptores tradere,
Si, quæ absportassent, redderent, se exercitum extemplo domum

ficatio ibi particulæ non est una; posterius *ut* est « quomodo ». N.

43. *Solens.* Pleonasmus *solens more meo*, et græcismus *fecero solens* in hac locutione occurrunt; duæ figuræ Plauto admodum familiares. N.

46. *Fabularier.* Id est, *fari*, μυθεῖσθαι. Taubm.

47. *Meditari.* Non cogitare tantum, sed exercere se et præparare ad aliquid agendum hac voce datur. Conf. Virg. Ecl. I, 2, et ipse Plaut. Pers. IV, 2, 4. N.

48. *Ut... ubi.* Idem ambæ voces valent. N.

49. *Primorum principes*, legatos ex proceribus delectos. Si memineris quæ apud Livium et alios rei romanæ scriptores legisti de feciali jure, et qua ratione susciperent, indicerent, gererent bella Romani, deprehendes in hac prolusione Sosiam tum figuris dicendi, tum rerum descriptione, magis Romæ quam Græciæ vernaculum gerere. Nempe ita Plautus palpabatur populo haud ita docto et arguto ethicæ imitationis existimatori, et cui sua et consueta, vel non in loco, magis quam aliena et parum cognita placebant. N.

51. *Si sine vi et sine bello*, etc. Romani, antequam bella susciperentur, feciales ad res repetendas mittebant; quæ quia clara voce fiebat repetitio, dicta est *Clarigatio.* Formulam autem lib. I exponit Livius. Brisson. Formul. lib. IV. Gell. lib. XVI, cap. 4. Ern.

52. *Si, quæ*, etc. Vulgo scribunt: « Si quæ asportassent, redderent », innuentes voci *redderent* inesse vim imperativam, falso, ut arbitror. Nam Plautus *si qua* ibi posuisset; neque dubium erat quin multa Teleboæ rapuissent. Igitur explica: « Si redderent quæ asportassent ». N.

Reductorum, abituros agro Argivos, pacem atque otium
Dare illis : sin aliter sient animati, neque dent quæ petat,
Sese igitur summa vi virisque eorum oppidum expugnassere.
Hæc ubi Telebois ordine iterarunt quos præfecerat
Amphitruo, magnanimi viri, freti virtute et viribus,
Superbi, nimis ferociter legatos nostros increpant,
Respondent bello se et suos tutari posse; proinde uti
Propere de finibus suis exercitus deducerent.
Hæc ubi legati pertulere, Amphitruo castris illico
Producit omnem exercitum : contra Teleboæ ex oppido
Legiones educunt suas, nimis pulchris armis præditas.
Postquam utrimque exitum'st maxuma copia,
Dispertiti viri, dispertiti ordines;
Nos nostras more nostro et modo instruximus legiones;
Item hostes contra legiones suas instruunt.
Deinde utrique imperatores in medium exeunt
Extra turbam ordinum, conloquontur; simul
Convenit, victi utri sint eo prælio,

53. *Argivos. Argivos* dixit pro *Thebanis*, quia sequebantur Argivum ducem, Amphitruonem. Diss.

54. *Dare* pro *daturum esse*. Sic poetis licet nonnumquam tempora in infinitivo mutare. N.

55. *Expugnassere*. Id est, expugnaturum esse. Infinitivus antiquus a futuro *expugnasso*, pro, *expugnavero*. Turneb. IV, 15. Cf. Enn. ed. Hess. p. 140. Vid. Aulul. IV, 1, 6. N.

56. *Ordine*, eodem quo verba ille præiverat tenore. *Iterant*, reddunt. Sic apud Homerum nuntii mandata, tamquam carmen quoddam necessarium, ipsis verbis, ipso ordine iterant. N.

57. *Magnanimi*. In malam partem hæc vox detorquetur, ut apud Catull. Epith. Pel. 85. Virgil. Æn. XII, 144, 878. N.

58. *Nimis*, pro, *valde*, *multum*, ut inf. vs. 63, passim in usu fuit. Conf. Gell. XIII, 3. Enn. ed. Hessel. p. 230. Vid. Plaut. indic. *Increpant*, etc. Numquam bellum Romani iniere priusquam legatos miserunt, qui jura reposcerent. Sed fuit inter arcana imperii, ita cum gentibus legatos agere, ut eorum injurias sæpe belli causam senatus haberet. Specie magna fœderum religio, vel pacis amor, dum temporibus insidiarentur. N.

68. *Utrique imperatores*. Pal. sec. et Pauli Stephani scriptus, *uterque*. Langiani et Servius Fuldensis *utrimque*. Pareus et Gruterus. — Haud inusitata locutio *utrique*, teste Sallustio Catil. 30 : « ii utrique ad urbem imperatores erant ». N.

70. *Utri* pro *utricumque*. N.

Urbem, agrum, aras, focos, seque uti dederent.
Postquam id actum'st, tubæ utrimque canunt, contra
Consonat terra; clamorem utrimque ecferunt.
Imperator utrimque hinc et illinc Jovi
Vota suscipere, hortari exercitum.
Pro se quisque, id quod quisque potest et valet,
Edit, ferro ferit; tela frangunt; boat
Cælum fremitu virum; ex spiritu atque anhelitu
Nebula constat; cadunt volneris vi et virium.
Denique, ut voluimus, nostra superat manus;
Hostes crebri cadunt, nostri contra ingruunt.
Vicimus vi feroces.
Sed fugam in se tamen nemo convortitur,
Nec recedit loco, quin statim rem gerat.

71. *Uti dederent.* Deditio qua verborum conceptione fieret, Liv. I, cap. 38, docet: « Rex interrogavit: Estisne vos legati oratoresque missi a populo Collatino, ut vos populumque Collatinum dederetis? Sumus. Estne pop. Collatinus in sua potestate? Est. Deditisne vos, populumque Collatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia, divina humanaque omnia in meam populique romani ditionem? Dedimus. Et ego recipio, etc. » Hanc formam Plautus hic, et in iis quæ versu 102 leguntur, expressit. Ern. — Idem pepigerunt Romani cum Albanis. Liv. I, 24. N.

73. *Consonat terra.* Quidam volunt *consonant ferra;* sed non cogitant *ferra* esse barbarismum. Quin facilius intelligunt: « terra resonat repercusso clangore », quod vox *contra* significat? N.

75. *Vota suscipere.* Vota utique plurimum in ipso pugnæ discrimine fieri, bene monet Gutherius lib. IV de jure Pontif. cap. 13. Brisson. lib. I de Formulis. Taubm.

77. *Frangunt* pro *franguntur.* Cf. Sil. Punic. I, 647: « fluctus... vestras effringet (*effringetur*) in urbes »; ibid. 693: « vertant (*vertantur*) inde ad Carthaginis arces ». Tac. Ann. XII, 29, *mutans* pro *mutatus.* N.

78. *Spiritu... anhelitu.* Alter flatus est vitalem carpentis auram, alter ægre laborantis. N.

80. *Superat manus.* Noster exercitus fit superior, nondum tamen parta omnino victoria. N.

83. *Sed fugam,* etc. *Convortitur* pro *convortit.* Nonius. Ut in Bacch. *præsagitur* pro *præsagit.* Scalig. Constructio ergo est: Sed in fugam se tamen nemo convortit. Lamb.

84. *Statim,* derivatum a stando priore syllaba producta est *firmo gradu,* ἱσταμένως. *Nec recedit quin,*

Animam omittunt priusquam loco demigrent:
Quisque, uti steterat, jacet, obtinetque ordinem.
Hoc ubi Amphitruo herus conspicatus est,
Illico equites jubet dextera inducere.
Equites parent citi, ab dextera maxumo
Cum clamore involant inpetu alacri,
Fœdant et proterunt hostium copias jure injustas.
MERC. Numquam etiam quidquam adhuc verborum est prolocutus perperam:
Namque ego fui illeic in re præsenti, et meus, quom pugnatum'st, pater.
SOS. Perduelleis penetrant se in fugam; ibi nostris animus additu'st,
Vortentibus Telebois, telis complebantur corpora.
Ipsusque Amphitruo regem Pterelam sua obtruncavit manu.
Hæc illeic est pugnata pugna usque a mane ad vesperum.

i. e. Nec recedit, et gerit rem resistens. *Quin* pro *ita ut non*. N.

86. *Quisque*, etc. Conf. Sallust. Catil. 61. Ita fere Joad in Athalia tragœdia dicit, magis decenter pro tempore et loquentis indole: « *et que chacun... Garde en mourant le poste où je l'aurai placé* ». *Uti* pro *ubi*. Sic Catull. XI, 3; XVII, 10. N.

91. *Fœdant*, id est, dilacerant et cruentant. *Fœdum* enim tam apud Virgil. quam Sallust. non *turpe* significat, sed *crudele*. TAUBM. — *Jure injustas*. *Jure* haud referri debet ad *injustas*, sed ad *proterunt*. Jure proterunt hostium copias et fœdant. BOXHORN. — In illa narratione granditas Sophoclis, vel Thucydidis, qui bellicum sonat, vehementia videtur spirare. At dum pugnam, quæ ad fabulam nequaquam proficit, auctor describit prolixe, Sosiam loqui oblitus est. Immo vero, sentiebat non his esse locum, sed hæc populo rom. dabat, qui præliorum imagine mire delectabatur. Si vera, in tali rerum positione, Thaliæ commenta spectare velis, Molierum adeas oportet. N.

92. *Numquam etiam..... adhuc.* Hucusque non ullum verbum edidit quod deerret a vero. N.

94. *Penetrant se.* Se conjiciunt penitus. Gell. V, 14: « in eam (specum) me penetro et recondo ». N.

95. *Vortentibus* pro versis (in fugam) dictum puto: ut Lucret. V, 829: « omnia commutat natura et vertere cogit ». TAUBM.

96. *Ipsus*. Etiam Terentius *ipsus* dixit Andr. III, 2, 15. Hecyr. III, 5, 5. *Pterelam*. Anachronismus ibi fit, nam Pterelas, sororis patruelis Amphitruonis nepos, nondum vivebat; neque diligentissimus temporum exactor fuit Noster. N.

Hoc adeo hoc conmemini magis, quia illo die inpransus fui.
Sed prælium id tandem diremit nox interventu suo.
Postridie in castra ex urbe ad nos veniunt flentes principes;
Velatis manibus orant ignoscamus peccatum suum;
Deduntque se, divina humanaque omnia, urbem et liberos,
In ditionem atque in arbitratum cuncti Thebano poplo.
Post ob virtutem hero Amphitruoni patera donata aurea'st,
Qui Pterela potitare rex solitu'st: hæc sic dicam heræ.
Nunc pergam heri imperium exsequi et me domum capessere.

MERC. Atat; illic huc ituru'st! ibo ego illi obviam.
Neque ego hunc hominem hodie ad ædeis has sinam unquam adcedere.
Quando imago'st hujus in me, certum'st hominem eludere.
Et enim vero, quoniam formam cepi hujus in me et statum,
Decet et facta moresque hujus habere me simileis item.
Itaque me malum esse oportet, callidum, astutum admodum,
Atque hunc telo suo sibi, malitia, a foribus pellere.

98. *Hoc... hoc*, scil. *hoc*, id, *adeo conmemini hoc magis*, *quia*, etc. eo magis quod, etc. Posterius *hoc* in sexto casu ponitur, cum voce *quia* jungendum. N.

101. *Velatis*. Velati dicebantur qui caput cinctum licio laneo habebant. Sic *supplicia* et *velamenta* dicebant, τὴν ἱκετηρίαν, quod nimirum filo laneo velatum erat caduceum. SCAL. — Non velata tantum olim precantium capita, sed et vittatæ manus. Virg. Æn. VII, 237: « præferimus manibus vittas et verba precantum ». GRON. — Conf. Liv. XXIV, 30. Tac. Hist. I, 66. Virgil. Æn. VIII, 128. Homer. Il. A, 14: Στέμμα τ' ἔχων ἐν χερσίν. N.

102. *Dedunt se in arbitratum*. Ex formula et ritu quasi solemni dixit in arbitratum. Supra vers. 71. N.

105. *Qui*, antiq. *quoi*, ablativus omnis generis, sumptus adverbialiter, atque etiam cum plurali numero junctus. Vid. indic. v. *qui*. Hic pro *qua* (patera). N. — *Pterela* aut ἀποκοπὴν volunt pro *Pterelaus*, aut legi *Pterelas*. Immo *Pterela* proprie ac maxime latina est terminatio ex regula Prisciani: « apud Græcos in *as* desinentia vel *es* apud nos in *a* terminantur ». GRONOV.

110. *Statum*. Donat. Eunuch. III, 3: « *Statura* corpori adscribitur, *status* ad habitum refertur ». Ergo status est σχῆμα, statura longitudo corporis. TAUBM.

113. *Suo sibi*. Id est, suo ipsius. Multa hujus figuræ exempla apud Plaut. (vid. Ind. v. *se*) et apud alios;

Sed quid illuc est? cœlum adspectat; observabo quam rem agat.
SOS. Certe edepol scio, si aliud quidquam'st quod credam aut certo sciam,
Credo ego hac noctu Nocturnum obdormivisse ebrium.
Nam neque se Septemtriones quoquam in cœlo conmovent
Neque se Luna quoquam mutat atque uti exorta est semel.
Nec Jugulæ, neque Vesperugo, neque Vergiliæ occidunt.
Ita statim stant signa; neque nox quoquam concedit die.
MERC. Perge, nox, ut obcepisti; gere patri morem meo.
Optume optumo optumam operam das; datam pulchre locas.
SOS. Neque ego hac nocte longiorem me vidisse censeo,
Nisi item unam, verberatus quam pependi perpetem.

Terent. Adelph. V, 8, 35, « suo sibi gladio hunc jugulo ». N. — *Malitia* est versuta et fallax nocendi ratio. Cic. de Nat. D. III. TAUBM.

116. *Noctu*, nocte. Vid. inf. vs. 248. — *Nocturnum*. « Nocturnus est Vesperus deus, inquit Douza, qui et Lucifer vocatur. Neque turbet aliquem quod statim *vesperuginis* mentio fiat a Sosia; hæc enim decore confunduntur in persona servi. » Argute, fateor, ille disputat. Sed Plautus non ita indoctum, imo æquo doctiorem fecit servum, qui catalogum stellarum enarret. Nocturnum dixit simpliciter pro noctis deo qui locum luci dare somno vinoque sepultus moretur. Varro in sat. sic induxit Nocturnum perpetuo sopore et ebrietate torpidum. Ed. Bip. tom. I, pag. 318. Vide et locum Hieronymi adv. Vigil. ab Taubmanno laudatum : « proclamabis te esse aut Mercurium..... aut Nocturnum, juxta Plauti Amphitruon. etc. » N.

118. *Mutat atque* est dictum ut *aliter atque*. Quum dicimus « non se mutat quoquam atque », significamus « non se alio loco habet atque ». GRONOV. — *Uti*, ubi. Vid. v. 86. N.

119. *Jugulæ*. Alii stellas Orionis, auctore Festo, alii duas Cancri, dictas Asellos, Manilium sequuti, intelligunt. — *Vesperugo*, Vesperus, qui et sero Venus, mane Lucifer dicitur. — *Vergiliæ*, Pleiades. N.

120. *Ita*. Epiphonema, ut « tantæ molis erat ». *Statim stant*. Tautologia quæ vim auget verbi. Vid. v. 84. N. — *Die* pro diei : « neque quoquam abit ut cedat diei ». Conf. Virg. Georg. II, 208. Gell. IX, 14. GRONOV.

124. *Item*, pariter, scil. unam similem huic. *Quam perpetem*. Qua tota, quam longa fuit. *Pependi*. Machina suspensi cædebantur servi nequam, et ibi arbitrario tempore detinebantur. Vid. Asin. II, 2, 33 seq. N.

Eam quoque, edepol, etiam multo hæc vicit longitudine.
Credo, edepol, equidem dormire Solem, atque adpotum probe.
Mira sunt, nisi invitavit sese in cœna plusculum.
MERC. Ain' vero, verbero? deos esse tui simileis putas?
Ego pol te istis tuis pro dictis et malefactis, furcifer,
Adcipiam; modo sis, veni huc, invenies infortunium.
SOS. Ubi sunt isti scortatores, qui soli inviti cubant?
Hæc nox scita'st exercendo scorto conducto male.
MERC. Meus pater nunc pro hujus verbis recte et sapienter facit,
Qui conplexus cum Alcumena cubat amans, animo obsequens.
SOS. Ibo, ut, herus quod imperavit, Alcumenæ nuntiem.
Sed quis hic est homo, quem ante ædeis video hoc noctis? non placet.
MERC. Nullus est hoc meticulosus æque. SOS. Quem? in mentem venit,
Illic homo hoc denuo volt pallium detexere.

125. *Eam*, olim, *hæc* nunc. Animadvertenda autem est hujus versus ἐνέργεια. N.

126. Nebulo ex suo sibi more fingit deos, ut par est, atque iterat in Solem, quod modo in Nocturnum, convicium. N.

127. *Plusculum*, paulo plus æquo. Nonius hunc loc. profert et similia Lucilii, Turpilii, Varronis, Sallustii, quibus probatum ivit hæc verba *se invitare*, sive sola, sive addito « in prandio », vel « poculis », vel « cibo vinoque » significare aliquem gulæ indulgentem. N.

130. *Modo sis*, i. e. « tantum veni, si vis ». Quia imperativa verba sunt contumeliosa, addebant veteres *sis*, quod significat *si vis*, inquit Donat. ERN.

131. *Qui soli i. cub.* Quibus non placet cubare solis.

132. *Conducto male*, i. e. dispendiose, damnose. « Placet reddi quæ male empta sunt », i. e. nimio pretio. Cic. ad Attic. II, 4. N.

133. *Pro h. v.* ex hujus sententia.

134. *Conplexus.* Fallitur Lambinus, quum *eam* subintelligit; nam complexus conjungi debet cum duabus sequentibus vocibus. VOSSIUS. — *Conplexus* mihi videtur vim habere passivam, *enlacé dans les bras d'Alcmène.* N.

137. *Quem?* Supple « video ». Interrogat obvium, ut gall. *qui est là?* N. — *Æque hoc.* Adverbio *æque* tribuit ablativum, ut si esset comparativum. LAMB.

138. *Detexere.* Ludit in voce qua

MERC. Timet homo, deludam ego illum. SOS. Perii, dentes pruriunt.
Certe advenientem me hic hospitio pugnæ adcepturus est.
Credo misericors est; nunc propterea quod me meus herus
Fecit ut vigilarem, hic pugnis faciet hodie ut dormiam.
Oppido interii: obsecro, hercle, quantus et quam validus est!
MERC. (seorsum) Clare advorsum fabulabor; hic auscultet quæ loquar.
Igitur magis modum in majorem in sese concipiet metum.
(alta voce) Agite, pugni: jam diu'st, quod ventri victum non datis:

textrinum opus ostendebatur. Scil. « hoc meum pallium, quasi detextum non sit, vult denuo detexere; namque, ut textor telam in instrumento, sic iste pallium in meo corpore, concutiet et feriet ». Non assentio doctis, qui intelligunt quasi dicat Sosia: « detrahet mihi pallium, sicut textor telam ab instrumento; me denudabit ». *Detexere* non valet « detrahere quod textum est ». N.

139. *Dentes pruriunt.* Jam sentio colaphos imminentes, dentes jam prædolent. Vide Indicem voc. *prurire.* N.

140. *Hospitio pugnæ.* Alludit ad cœnam adventitiam qua mos erat peregre venientes accipere. Bacch. III, 6, 7: « salvos quom peregre advenis, cœna detur ». Vid. infr. II, 2, 33. Gallice: *il va me régaler de bonnes gourmades pour ma bienvenue.* N.

141. *Misericors est*, ironice. Miseret illum laboris mei. *Me fecit ut vigilarem*, græcismus pro « fecit ut ego vigilarem ». N.

143. *Oppido.* Festus et Nonius Marcellus locum hunc ipsum enarrans hac voce intelligunt *valde*, *multum*, quæ habet vim augendi, ut gallice *bien*, e. g. *bien malheureux.* Igitur Plautus significat: « omnino interii ». — *Obsecro.* Videtur Sosia aliquem compellare, quamvis adsit nemo, ut quis gallice sibi solus diceret: *voyez donc.* Et lepide mirum est quam meticulosus ille sit, qui parem sibi forma ut ingentem stupet. N.

144. *Advorsum*, jam non seorsum, sed ad eum versus ut audiat. N.

145. *Magis mod. in maj.* Pleonasmus Plauto familiaris. Menæch. Prol. 55. N.

146. *Jam diu'st quod.* Alii legunt *quom;* sed nihil credo mutandum. *Quod* valet idem atque *quum*, *ex quo* apud Plin. ep. IV, 27. Vid. Trinum. II, 4, 1. Item fit de particula *ut;* ex. gr. « quartus decimus annus est ut imperium obtines », Tac. Annal. XIV, 53. N. — *Ventri victum non datis.* Significat se esse grassatorem nocturnum; et ex spoliis hominum pugnis a se contusorum vitam tolerare: igitur minas spoliatoris imitatur. TAUBM.

Jam pridem videtur factum, heri quod homines quatuor
In soporem conlocastis nudos. SOS. Formido male,
Ne ego heic nomen meum commutem, et Quintus fiam e Sosia.
Quatuor viros sopori se dedisse hic autumat;
Metuo ne numerum augeam illum. MERC. Hem! nunc jam ergo : sic colo.
SOS. Cingitur certe, expedit se. MERC. Non feret, quin vapulet.....
SOS. Quis homo? MERC. Quisquis homo huc profecto venerit, pugnos edet.
SOS. Apage, non placet me hoc noctis esse; cœnavi modo;
Proin tu istam cœnam largire, si sapis, esurientibus.

147. *Pridem factum quod heri.* Ut supr. « diu est quod ». Videlicet ille homines verberandi adeo studio gestit, ut ab hesterna die, qua cædem fecit, longa videatur cessatio. N.

148. *In soporem conlocastis.* Plagis sopitos propeque exanimatos stravistis. ERN. — *Nudos*, spoliatos. N.

149. *Quintus fiam e Sosia.* Jocus in ambiguo. Nam et *Quintus* prænomen est romanum, et *quintus* est qui sequitur quartum. TAUBM.

150. *Autumat.* Hic *autumare* est *dicere*, inquit Nonius, et multa veterum refert exempla. Non argutissima videbitur cavillatio v. 149; imo quæ subjicitur explicatio vv. 150, 151, probanda minus. De intellectu spectatorum paulo crassiore Plautum diffisum fuisse credas; quod Græci non tulissent. N.

151. *Nunc jam ergo*, supple *agite, pugni.* Sunt qui legant « nunc jam ergo sic colo, *exerceo*, scilicet pugnos », et velint Mercurium simul jactare brachia. Malim, interpunctione retenta, intelligere *sic colo*, inde vitam paro. Conf. supra vs. 146 : « victum ventri non datis ». *Vitam colere* est *vivere*, cultum vitæ parare; etiam *colere* idem valet vel solum. « Exerce vocem per quam vivis et colis », Pœnul. Prol. 13. — *Non feret*, non evadet. N.

152. *Cingitur.* Pro accingitur, aptatque se pugnæ. TAUBM.

153. *Q. homo*, etc. Oratio Mercurii incœpta vers. præced. « quin vapulet », pergit sic : « quisquis, etc. » Nondum enim colloquitur cum Sosia. *Pugnos edet.* Quibusdam non assentior, qui opinantur hic in ancipiti verbo *edere*, quod, nunc producta priore syllaba *exhibere*, nunc correpta *manducare*, significat, lusisse Plautum. Namque metrum jubet fieri brevem syllabam *e* hoc loco; et sic jactator Mercurius fatetur non quemquam posse pugnam secum inire. Existimo talem fuisse modum loquendi vulgo apud Romanos, siquis alteri colaphum minaretur; quemadmodum gall. dicat rixator : *je te ferai avaler mes poings*. N.

154. *Esse*, edere. TAUBM.

MERC. Haud malum huic est pondus pugno. SOS. Perii! pugnos ponderat.
MERC. Quid si ego illum tractim tangam ut dormiat? SOS. Servaveris;
Nam continuas has treis nocteis pervigilavi. MERC. Pessumum'st
Facinus! nequiter ferire malam male discit manus.
Alia forma oportet esse quem tu pugno legeris.
SOS. Illic homo me interpolabit, meumque os finget denuo.
MERC. Exossatum os esse oportet, quem probe percusseris.

157. *Illum.* Ea vox non designat Sosiam, quem Mercurius fingit se nondum vidisse (vid. vs. 165), sed eum, quisquis advenerit. — *Tractim tangam.* Non audiendus Gronovius qui, damnata fere omnium sententia, hoc loquendi genus non duci a nutriculis palpantibus lente et leniter infantulos ut dormiant, sed ad Mercurii virgam, quæ somnos dat, pertinere contendit. Mercurius, hoc in loco, non ut deus, sed ut Sosia et homo nequam loquitur: ironice quidem et lepide simul, veluti gallice quis diceret nebulo paratus alapam alteri infligere: *je vais te caresser.* — *Servaveris*, salvum me facies. Gall. *cela me fera grand bien.* Sic respondet Sosia Mercurio, advenienti cuilibet minabatur somnum quidem, sed lethalem. Sosia fingit se aliud intelligere, magis scurriliter, ni fallor, quam per timorem, quo trepidare visus est, liceat. N.

159. *Nequiter ferire male discit. Manus male discit*, peccat *discendo*, consuescendo, *nequiter*, ignave, *ferire.* Scilicet sese objurgat (*pessimum facinus*), quasi videatur pugnus emolliri, qui tractim tangat. N.

160. *Quem tu pugno legeris. Legere* est transire, persequi, perstringere. Sic *legitur* litus navibus; *leguntur* vestigia. *Legeris* igitur est h. l. « tractim tetigeris ». GRON. — *Legeris.* Figura secundæ pers. sing. latino more generalem exhibet sententiam. N.

161. *Me interpolabit.* « Interpolare, inquit Nonius, est immittere et interponere (scil. vestem prælo), et novam formam e vetere fingere: tractum ab arte fullonia. Fullones manibus pedibusque vestes solebant percutere et premere, dum maculas eluebant, dein creta candefacere, et adeo novam speciem reddere ». Alludit igitur Sosia ad illas voces *alia forma* v. 160, quibus Mercurius intelligit vultum fœdatum fore, gallice *défiguré*, sed quæ significare quoque possunt renovatum, *remis à neuf;* uterque sensus ex *alia forma* elici potest. N.

162. *Exossatum os.* Contritum fractis ossibus et excussis. *Os... quem.* Suppl. *ejus* post *os*. N.

sos. Mirum ni hic me quasi murænam exossare cogitat.
Ultro istunc qui exossat homines : perii ! si me adspexerit.
MERC. Olet homo quidam malo suo. sos. Hei ! numnam ego obolui?
MERC. Atque haud longe abesse oportet ; verum longe hinc abfuit.
sos. Illic homo superstitiosu'st. MERC. Gestiunt pugni mihi.
sos. Si in me exerciturus, quæso in parietem ut primum domes.
MERC. Vox mihi ad aureis advolavit. sos. Næ ego homo infelix fui,
Qui non alas intervelli ; volucrem vocem gestito.

163. *Murænam*. Murænis, quo jucundius ederentur, extrahebantur spinæ, præcipue dorsales. Conf. Aulul. II, 9, 12. Vox gallica *échiner* ad hunc Plauti locum facit. N.

164. *Ultro istunc*. I. e. procul a me absit. Ita Casina, « Ultro te, amator », II, 8, 23. « Apage te a me ». Capt. « Ultro istum a me », III, 4, 29. DOUZA. — *Exossat homines* ridicule dictum, namque verbum *exossare* edulibus duntaxat animalibus aptabatur. N.

165. *Olet homo*. Odor prodit hominem. Conf. Aul. II, 2, 39 : « aurum huic olet ». *Malo suo*, quod male vertet ei. Asin. I, 2, 4. N.

166. *Atque haud longe*, etc. Verbum *oportet* non semper ad rem debitam, sed etiam ad probabilem pertinet, ut gallica vox *il faut*. Hoc in loco conjecturam efficit, ut Cistell. IV, 2, 50; Pœnul. V, 2, 70. Consequens est sententia bis v. 165: « olet homo ». *Verum longe*, etc. Sunt qui ponant *abfuat*, vel interpretentur *abfuit* quasi *abfuerit*, ut *dedim* pro *dederim*, et Sosiam fingant loqui, « utinam hic, Mercurius, absit » ; quod rationem dialogi perturbat. Alii fatentur hæc dicere Mercurium, sed volunt eum ex odore sudantis conjicere ut longum iter ille fecerit. Nemo sententiam Plauti consequutus est, quæ ita, ni fallor, se habet : « credo hominem non longe abesse a me, sed hinc (monstrando ædes Amphitruonis) longe abfuit (p. abest), scil. unde illum abarceo ». Quod Sosia sensu alio accipit, et superstitiosum miratur, quasi de peregrinatione sua loquentem. N.

167. *Superst. est*. Hic homo est ariolus, qui sciat, me longe hinc abfuisse. Nam *superstitiosus* etiam ariolum significat. Cf. Curc. III, 27. LAMB. — *Gestiunt*, ardore feriendi prætrepidant. Sic Virg. Georg. I, 137 : « studio gestire lavandi ». Sic fere Catull. XLVI : « jam læti studio pedes vigescunt ». N.

168. *Domes*. Mollias. TAUBM.

170. *Qui non alas intervelli*. Hoc eo muttit Sosia, quia Mercurius dixerat, *vocem sibi ad aures advolasse* : ut persistat in metaphora. DOUZA.

MERC. Illic homo a me sibi malam rem arcessit jumento suo.
SOS. Non equidem ullum habeo jumentum. MERC. Oneran-du'st pugnis probe.
SOS. Lassus sum hercle e navi, ut vectus huc sum; etiam nunc nauseo.
Vix incedo inanis; ne ire posse cum onere existumes.
MERC. Certe enim hic nescio quis loquitur. SOS. Salvos sum, non me videt.
Nescio quem loqui autumat; mihi certo nomen Sosia'st.
MERC. Hinc enim mihi dextera vox aureis, ut videtur, verberat.
SOS. Metuo vocis ne vice hodie heic vapulem, quæ hunc verberat.
MERC. Optume eccum incedit ad me. SOS. Timeo, totus torpeo.
Non edepol nunc ubi terrarum sim scio, si quis roget,
Neque miser me conmovere possum præ formidine.
Ilicet mandata heri perierunt una et Sosia.
Verum certum'st confidenter hominem contra conloqui,
Qui possim videri huic fortis, a me ut abstineat manum.
MERC. Quo ambulas tu, qui Volcanum in cornu con-clusum geris?

171. *Jumento*. Ductum ab oneribus, quæ jumentis imponimus. Vel potius, sua opera impensaque sibi quærit. PISTOR. GRUT. — *Jumento suo*. Verisimile est Romanos, rusticos homines et plaustris perpetuo utentes, has voces proverbiali modo dixisse, quando aliquem ultro occurrere malo, et sua opera sibi damnum parare aiebant; quæ metaphorice dicta Sosia in proprium sensum retorquet, atque ludit ambiguitate. Hæc atque talia respiciebat Horatius, quum de Plautinis salibus triste judicium ferret. N.

173. *E navi ut vectus*. *Ut* ponitur pro *ubi*, *in qua*. Vide sup. v. 86. N.

174. *Inanis*. Sine onere. Conf. Cic. de signis, 28, « inanes (nil ferentes) revertuntur ». N.

176. *Nescio quem*, etc. Profecto Plautus, qui undiquaque jocum captare solet, illud *Nescio quem*, ut nomen personæ haberi voluit: sequentia tale quid clamare videntur; forte alludit ad οὔτις Homericum. TAUBM.

177. *Dextera vox*, veniens a dextra. N.

184. *Qui*. Qua ratione. N.

185. *Volcanum in cornu*. Qui ignem in laterna cornea clausum

sos. Quid id exquiris tu, qui pugnis os exossas hominibus?
MERC. Servos esne, an liber? sos. Utcunque animo conlibitum'st meo.
MERC. Ain' vero? sos. Aio enim vero. MERC. Verbero. sos. Mentiris nunc jam.
MERC. At jam faciam ut verum dicas dicere. sos. quid eo'st opus?
MERC. Possum scire quo profectus, quojus sis, aut quid veneris?
sos. Huc eo; heri mei sum servos: numquid nunc es certior?
MERC. Ego tibi istam hodie scelestam comprimam linguam. sos. Haud potes;
Bene pudiceque adservatur. MERC. Pergin' argutarier?
Quid apud hasce ædeis negoti'st tibi? sos. Imo quid tibi'st?
MERC. Rex Creo vigiles nocturnos singulos semper locat.
sos. Bene facit; quia nos eramus peregre, tutatu'st domum:

geris. Fiebant olim laternæ et ex cornu, et ex vesica. TAUBM.—Vulcanus pro igne apud poetas exhibebatur. Virgil. Æn. II, 310: « dedit ampla ruinam Vulcano superante domus ». In metonymia lusus fit, quo deus in laternæ carcere videtur circumferri. N.

188. *Ain' vero*. Mercurius eum ut respondeat, increpat: «nonne ais? affirmas aliquid? », addita conjunctione *vero*, quæ vim intendit verbi interrogantis. Et hanc Sosia iterat, hominem deludens, *aio enim vero*, et cavillatur sensu etymologico vocis *vero*, cui opponet modo *mentiris nunc jam*. N.—*Verbero*. Verberonem servili convitio Sosiam Mercurius increpat: id ille alio torquens, *Mentiris*, ait, quum dicis, *verbero*: neque enim verberas. Ad hoc Mercurius; *Faciam*, inquit, mox dicas, me verum dicere, et te esse verberonem, quum contudero pugnis probe. J. GULIEL.

192. *Comprimam linguam*. Horum verborum, ut a servo Sosia accipiuntur, sententia obscœna est. Mercurius Sosiæ minatur, se loquacitatem et argutiam ejus compressurum. At Sosia sic respondet, quasi lingua mulier sit cui stuprum inferre velit Mercurius; quod vox *comprimere* significat. Prol. 109, « gravidam compressu ». Fabula erat Plauti nomine *bis compressa* (mulier), sc. quæ vim bis passa fuerat. N.

195. *Singulos*. Unum quaque nocte. N.

196. *Domum*. Reponunt Taubmanni et doctissimorum aliorum editiones *domi*, et exhibent hunc Terentii locum: « solus Sannio servat domi ». Sed prudenter, ut mihi

At nunc abi sane, advenisse familiareis dicito.
MERC. Nescio quam tu familiaris sis : nisi actutum hinc abis,
Familiaris adcipiere faxo haud familiariter.
SOS. Heic, inquam, habito ego, atque horunc servos sum. MERC. At scin' quomodo?
Faciam ego hodie te superbum, nisi hinc abis. SOS. Quonam modo?
MERC. Auferere, non abibis, si ego fustem sumpsero.
SOS. Quin, me esse hujus familiæ familiarem prædico.
MERC. Vide sis; quam mox vapulare vis, nisi actutum hinc abis!
SOS. Tun' domo prohibere peregre me advenientem postulas?
MERC. Hæccine tua domu'st? SOS. Ita, inquam. MERC. Quis herus est igitur tibi?
SOS. Amphitruo, qui nunc præfectu'st Thebanis legionibus;

videtur, objicit Daceria multum interesse inter hanc et illam locutionem. Namque qui servat domi, est domi servans; at Creo tutatus est per satellites domum, non ibi erat ipse. Si recipias tamen *domi*, explices: Nos absentes, i. e. res nostras, tutatus est domi, in domo nostra, quoad pertinebat ad domum. N.

197. *Adv. familiareis dicito*. Narra Creonti reduces esse famulos (*les gens de la maison*), neque jam opus esse regiis vigilibus. N.

200, 201. *Horunc*. Horum, sc. qui hanc tenent domum, Amphitruonis et Alcmenæ. *At scin' q*. Interrogatio absoluta est, et formula seu minantis seu appellantis crebra Plauto; in qua subaudiendum videtur *hoc fiat?* Vid. Pœnul. I, sc. 2, vs. 162, et Rud. III, 5, 18. Fere similiter gallice dicitur : *sais-tu ?* N.

201. *Superbum*. Proprie *superbus* est qui supra cæteros fertur, ὑπερβάς. Duplici ergo sensu ludit Mercurius, præter exspectationem, hoc modo : « te faciam superbum », scilicet non ferocem, sed humeris hominum sublatum, quoniam *auferere*, fuste exanimatus ». Nonius narrat mortuos, apud veteres, dictos fuisse superbos, credo, auctoritate Plauti, cujus hunc locum profert solum. LAMB.

203. *Quin*, i. e. imo, licet mineris.

204. *Quam mox*. Non conjunctio est *quam*, sed adverbium augens vim vocis cui additur; ut *quam libens, quam multum*. Igitur *quam mox* valet citissime. N.

205. *Postulas*. Sæpissime *postulare* pro *velle*, *æquum censere* exhibetur. Vide Indic. N.

Quicum nupta'st Alcumena. MERC. Quid ais? quid nomen tibi'st ?
SOS. Sosiam vocant Thebani, Davo prognatum patre.
MERC. Næ tu istic hodie malo tuo compositis mendaciis
Advenisti, audaciæ columen, consutis dolis.
SOS. Imo equidem tunicis consutis huc advenio, non dolis.
MERC. At mentiris etiam : certo pedibus, non tunicis venis.
SOS. Ita profecto. MERC. Nunc profecto vapula ob mendacium.
SOS. Non edepol volo profecto. MERC. At pol profecto ingratìs.
Hoc quidem profecto certum'st, non est arbitrarium.
SOS. Tuam fidem obsecro! MERC. Tun' te audes Sosiam esse dicere,

208. *Quid nomen. Quid* adjective antiquis usurpatum. Plaut. Pseud. II, 2, 44: « quidquid est nomen tibi ». N.

210. *Istic.* Non adverbium ; « tu iste ». Cf. inf. II, 1, 25; 2, 115. N.

211. *Consutis. Consuere* metaphorice dicebatur cum voce *dolos*, sicut gallice *un tissu de mensonges.* Et illud verbum ad propriam significationem Sosia reflectit. O facetias inficetas! N.

213. *Etiam.* Quod nunc dicis, hoc etiam est mendacium. *Pedibus, non tun. ven.* Hic jocus omnium, qui in hac scena occurrunt, forte insipientissimus. *Venis*, ambulas, *pedibus, non tun.* N.

214. *Ita profecto.* Animadvertes *profecto* tribus versibus quinquies repetitum non sine artificio. Mercurius dixerat : « certo ped. non tun. ven. » Hanc affirmationem ridet Sosia : « ita profecto » ; quod ægre ferens Mercurius repetit hoc *profecto*, cum ironica comminatione ; namque istiusmodi verbum quo offendimur, irati solemus repetere. Denique, reponente adhuc Sosia, Mercurius repetit quoque *profecto*, et pugnum in os illius impingit, et : Hoc certum est, inquit, non arbitrarium, non judicio tuo propositum, neque eget ut dicas : « ita profecto ». Hæc rerum series, hæc progressio, in jurgio, admodum naturales, et vere lepidæ. *Profecto* gall. vertam, *vraiment.* N.

217. *Tuam fidem obsecro.* Scrutanda est etymologia hujus locutionis, quam vulgo interpretantur *petere opem*, et quidem recte fere semper ; at eam explicationem non recipit hic locus. Fides autem est, non ipsum auxilium, sed animi sensus quo quis alteri auxiliari debet. Fides apud Latinos erat conscientia officii, et prorsus ipsum officium ; unde hæc : « fides judicis », et « magistratus quid e fide sua esse duxerit, faciet ». Ergo quum miseri fidem obsecrare di-

Qui ego sum? SOS. Perii! MERC. Parum etiam, præut futurum'st, prædicas.
Quojus nunc es? SOS. Tuus: nam pugnis usu fecisti tuum.
Proh fidi Thebani civeis! MERC. Etiam clamas, carnufex?
Eloquere, quid venisti? SOS. Ut esset quem tu pugnis cæderes.
MERC. Quojus es? SOS. Amphitruonis, inquam, Sosia. MERC. Ergo istoc magis,
Quia vaniloquos, vapulabis: ego sum, non tu, Sosia.
SOS. Ita dì faciant, ut tu potius sis, atque ego, te ut verberem.
MERC. Etiam muttis? SOS. Jam tacebo. MERC. Quis tibi heru'st? SOS. Quem tu voles.
MERC. Quid igitur? qui nunc vocare? SOS. Nemo; nisi quem jusseris.
MERC. Amphitruonis ted esse aibas Sosiam. SOS. Peccaveram:

cuntur, i. e. opem efflagitare, hanc formulam ex opinione tacitæ et innatæ officiorum inter homines obligationis ortam esse oportet, utpote quos putare æquum sit nihil humanum a semet alienum esse. Vel ignotorum implorant fidem, nempe non ab iis datam, sed a natura conciliatam. Ad deos quoque hæc verba transtulerunt. Solemnis ratio est, ut civium et hominum, ita deorum fidem obsecrandi. Nunc vero Sosia, quum fidem obsecrat verberantis, obtestatur illum ut faciat quod e fide suâ, ex conscientia officii humani, duxerit, scilicet, viribus abuti fortior nolit, et jure agat, victi misereatur. Uni igitur locutioni non semper unus in aliam linguam transeundi modus. N.

219. *Usu fecisti tuum.* Noster jureconsultorum *usucapioni* allusit. Horat. lib. II, ep. 2, 158: « Si proprium est quod quis libra mercatur et ære; Quædam, si credis consultis, mancipat usus ». GRONOV.*

220. *Proh fidi Thebani civeis.* Quasi dicat: Fidem vestram, auxilium, imploro, Thebani. Vid. supra vs. 216. N.

222. *Amphitruonis Sosia*, scilicet servus. Veteres ellipsin faciebant vocum familiarium *pater*, *mater*, *filius*, *servus*, etc. N.

224. *Ita dì*, etc. Hæc seorsum et submissa voce. *Atque* pro *quam* post *potius*. Terent. Andr. IV, 2, 15: « non Apollinis magis verum, atque hoc, responsum est ». N.

226. *Nemo.* Mercurio interrogante quomodo vocari velit, Sosia respondet: Se *neminem*, nullum, οὔτινα esse et vocari, nisi Mercurius se jusserit *aliquem* esse. N.

Nam Amphitruonis socium næ me esse volui dicere.
MERC. Scibam equidem nullum esse nobis, nisi me, servom Sosiam.
Fugit te ratio. SOS. Utinam istuc pugni fecissent tui!
MERC. Ego sum Sosia ille, quem tu dudum esse aiebas mihi.
SOS. Obsecro per pacem liceat te adloqui, ut ne vapulem.
MERC. Imo induciæ parumper fiant, si quid vis loqui.
SOS. Non loquar nisi pace facta, quando pugnis plus vales.
MERC. Dicito, si quid vis, non nocebo. SOS. Tuæ fidei credo? MERC. Meæ.
SOS. Quid, si falles? MERC. Tum Mercurius Sosiæ iratus siet.
SOS. Animum advorte: nunc licet mihi libere quidvis loqui.
Amphitruonis ego sum servos Sosia. MERC. Etiam denuo?
SOS. Pacem feci, fœdus feci, vera dico. MERC. Vapula.
SOS. Ut lubet, quod tibi lubet fac, quoniam pugnis plus vales.
Verum, utut es facturus, hoc quidem hercle haud reticebo tamen.
MERC. Tu me vivos hodie numquam facies, quin sim Sosia.

228. *Socium*. Ludit in paronomasia vocum *Sosiam* et *socium*. Quamquam veteres grammatici docent omnes consonantem *c* solitam apud Latinos pronuntiari semper tamquam *k*. Sed potuit h. l. paulo emolliri ab histrione quo minus *socium* differret a *Sosiam*. N.

230. *Fugit te ratio,* sc. ista loquentem. Gall. *tu avais perdu la raison.* Catull. X, 28: « istud quod modo dixi me habere, Fugit me ratio ». Similiter Cicero Verr. I, 9: «Minari denique divisoribus ratio non erat». Gall. *il n'y avait pas de raison, il y avait de la folie à,* etc. N. — *Utinam istuc pugni fecissent tui.* Utinam me pugni ita *fugissent* tui, sicuti me ratio *fugit,* ut dicis. MURET.

232. *Per pacem.* Securus et tutus. — *Ut ne vapulem.* Ita ut non vapulem. N.

233. *Imo.* Concedentis vox. N.

235. *Meæ*, modus est annuendi. « Ita, *meæ* fidei crede. » Gallice diceret *oui*. N.

236. *Tum Mercurius*, etc. Sic fidem affirmabant veteres. « Ita dii me juvent, ut hoc vel illud verum est », aut « si fidem fefellero, me vel hunc dii, etc. » Sæpe caros sibi reatu jurisjurandi obligabant. Æneas per caput Ascanii jurabat, Æn. IX, 300. Hic vero jocosa obtestatio Mercurii, qui, dum verum Sosiam securum facit, suam illi iram minatur. N.

242. *Tu me... non facies... quin*

SOS. Certe, edepol, tu me alienabis numquam, quin noster siem.
Nec nobis præter med alius quisquam'st servos Sosia,
Qui cum Amphitruone hinc una ieram in exercitum.
MERC. Hic homo sanus non est. SOS. Quod mihi prædicas vitium, id tibi'st.
(hæc seorsum) Quid, malum! non sum ego servos Amphitruonis Sosia?
Nonne hac noctu nostra navis huc ex portu Persico
Venit, quæ me advexit? nonne me huc herus misit meus?
Nonne ego nunc heic sto ante ædeis nostras? non mihi'st laterna in manu?
Non loquor? non vigilo? non hic homo modo me pugnis contudit?
Fecit hercle, nam etiam misero nunc malæ dolent.
(alta voce) Quid igitur ego dubito? aut cur non introeo in nostram domum?
MERC. Quid, domum vostram? SOS. Ita enimvero. MERC. Quin, quæ dixisti modo,

sim... Hellenismus, «tu non facies quin ego.... *Vivus non facies*, te occidam antequam facias, etc.» N.

243. *Tu me alienabis numquam.* Numquam me, qui sum hujus domus familiaris, alienum facies. LAMB. — *Noster*, unus e nostris, nostri hujus contubernii. N.

245. *Qui... ieram.* Licet addatur *qui* nomini *Sosia*, tamen in prima persona ponitur, quia Sosia h. l. est persona loquentis. N.

247. *Malum!* Interjectio est indignantis, quasi dicat: «O malum!»; ita Donat. Adelph. IV, 2, 5, enarrat. Hæc locutio non absimilis esse videtur iis, quæ gallice exclames: *diable! diantre! la peste!* et aliis hujusmodi; a quibus tamen eo differt, quod non solum in familiari sermone, sed etiam in oratione forensi, usurpabatur. Cic. Phil. X, 9: «quæ, (malum), est ista ratio, etc.» Camillus dictator ap. Liv. V, 54.

248. *Noctu*, quasi nomen in sexto casu positum fuit a veteribus. Ennius: «hac noctu filo pendebit Etruria tota». Vid. Macrob. Saturn. I, 4. N. — *Portu Persico.* Plautus significat mare Euboicum, quod in eo steterit classis Persarum, non procul a Thebis. FEST. ERN. — Plautus igitur rationem temporum hic perturbavit, ut sup. v. 96, et inf. vs. 252. Sed multum licuit comicis auctoribus, præsertim illo tempore, apud Romanos. N.

252. *Hercle.* Plautus hic defecisse

Omnia ementitu's : equidem Sosia Amphitruonis sum.
Nam noctu hac soluta'st navis nostra e portu Persico;
Et ubi Pterela rex regnavit, oppidum expugnavimus,
Et legiones Teleboarum vi pugnando cepimus,
Et ipsus Amphitruo obtruncavit regem Pterelam in prælio.
SOS. Egomet mihi non credo, quum illæc autumare illum audio.
Hic quidem certe, quæ illeic sunt res gestæ, memorat memoriter.
Sed quid ais? quid Amphitruoni a Telebois datum'st?
MERC. Pterela rex qui potitare solitus est, patera aurea.
SOS. Elocutus est. Ubi patera nunc est? MERC. In cistula
Amphitruonis obsignata signo'st. SOS. Signi dic quid est?
MERC. Cum quadrigis Sol exoriens : quid me captas, carnufex?
SOS. (hæc seorsum) Argumentis vincit : aliud nomen quærendum'st mihi.
Nescio unde hæc hic spectavit. Jam ego hunc decipiam probe;
Nam quod egomet solus feci, nec quisquam alius adfuit
In tabernaculo, id quidem hodie numquam poterit dicere.
Si tu Sosia es, legiones quom pugnabant maxume,

visus, qui *per Herculem* jurantem inducit, nondum nato Hercule. ANGEL. DECEMB.

260. *Autumare.* Sup. vs. 150.

261. *Memorat memoriter.* Memor egregie memorat. Vid. Prol. 34.

262. *A Telebois datum.* Errant qui intelligunt Teleboas aliquid Amphitruoni dedisse. Intellige : « datum ex spoliis Teleboarum ». Vid. Pseud. II, 4, 450: « possum a me dare ». DACERIA.

263. *Qui.* Sup. 105.

264. *Elocutus est.* Recte dixit rem, ut est. N.

265. *Signi.* Primum nudas duntaxat literarum notas pro signis habebant; scalptura tamen multiplex postea in usu fuit. Quin et bruta animalia insculpi solita : talis erat *Augusti Sphinx ;* aut historia aliqua, vel fabula : talis iste *Amphitruonis.* MEURS.

266. *Quid me captas.* Quid per captiosas interrogationes me circumvenire tentas? Vid. Menæchm. IV, 2, 83. TAUBM.

269. *Nec quisquam*, etc. Ita compone : Quod solus feci et *cui* nemo affuit, id, etc. Asyndeton est cujus

Quid in tabernaculo fecisti? victus sum, si dixeris.
MERC. Cadus erat vini; inde implevi hirneam. SOS. Ingressu'st viam.
MERC. Eam ego, ut matre fuerat natum, vini eduxi meri.
SOS. Mira sunt, nisi latuit intus illic in illac hirnea.
Factum'st illud, ut ego illeic vini hirneam ebiberim meri.
MERC. Quid nunc? vincon' argumentis, te non esse Sosiam?
SOS. Tu negas med esse? MERC. Quid ego ni negem, qui egomet siem?
SOS. Per Jovem juro med esse, neque me falsum dicere.
MERC. At ego per Mercurium juro, tibi Jovem non credere;
Nam injurato, scio, plus credet mihi, quam jurato tibi.
SOS. Quis ego sum saltem, si non sum Sosia? te interrogo.
MERC. Ubi ego Sosia nolim esse, tu esto sane Sosia.
Nunc quando ego sum, vapulabis ni hinc abis ignobilis.
SOS. Certe edepol, quom illum contemplo, et formam cognosco meam,
Quemadmodum ego sum (sæpe in speculum inspexi), nimis simili'st mei.

exempla apud Tibull. II, 3, 51. Terent. Adelph. I, 2, 5, et passim apud poetas occurrunt. N.

273. *Hirneam. Hirnea*, vel potius *Irnia*, genus vasis est vinarii: antiquitus *Erneum* vocabatur, παρὰ τὸ ὄρνεον· quod avis figuram haberet, sic, quod scarabæo similis, κάνθαρος. SCALIG. — *Ingressus*. Bene et ex vero cœpit. ERN.

274. *Eam ego, ita ut matre fuerat natum, vini eduxi meri.* Eam hirneam vini meri, ita ut matre fuerat natum, id est, ita ut ex vite, seu uva fuerat expressum, eduxi, id est, ebibi, exhausi, exsiccavi. Vide et Victor. Var. Lect. lib. XXIII, c. 5. Horat. od. III, 3; IV, 12. LAMB. — Hoc confirmatur, vs. 275, verbo *ebiberim*.

283. *Ubi ego Sosia nolim esse.* Ita omnes MSS et edd. veteres: intrusere posteriores *jam*; sed de suo. TAUBM.

284. *Ignobilis*, hic non est vilis, sed ignotus, quem nemo apud Amphitruonem agnoscere possit siquidem eum negat esse Sosiam. Ignobilis nativo themate fuit ignoscibilis. N.

285. Brunck. ed. Bip. *Quemadmodum ego sæpe in speculum inspexi, nimis simili'st mihi.* — *Sæpe in s. insp.* Bellulum quidem caput, quod sæpe adeo in speculo spectaretur! Nemo nescit servis scenicis non fuisse admodum decoram faciem. N.

Itidem habet petasum, ac vestitum : tam consimili'st atque ego.
Sura, pes, statura, tonsus, oculi, nasum, vel labra,
Malæ, mentum, barba, collum : totus! quid verbis opu'st?
Si tergum cicatricosum, nihil hoc simili'st similius.
Sed quom cogito, equidem certo idem sum qui semper fui.
Novi herum, novi ædeis nostras; sane sapio et sentio.
Non ego illi obtempero quod loquitur; pultabo foreis.
MERC. Quo agis te? SOS. Domum. MERC. Quadrigas si nunc inscendas Jovis,
Atque hinc fugias, ita vix poteris effugere infortunium.
SOS. Nonne heræ meæ nunciare, quod herus meus jussit, licet?
MERC. Tuæ, si quid vis nunciare; hanc nostram adire non sinam.
Nam si me irritassis, hodie lumbifragium hinc auferes.
SOS. Abeo potius : dì inmortales, obsecro vostram fidem!
Ubi ego perii? ubi inmutatus sum? ubi ego formam perdidi?

287. *Tam..... atque* pro *quam*. Tam similis est Sosiæ mihi quam ego. N.

288. *Tonsus* pro tonsura, ut docet Nonius. LAMB. — *Nasum* in neutro genere dixisse veteres indicat et Nonius. LAMB.

289. *Quid verbis opu'st*, i. e. denique; idem est quod « quid multa? » N.

290. *Hoc simili*. Hac similitudine. Nihil magis simile (cuiquam) quam hoc simile. N.

291. *Sed quom cogito*. O lepidam ratiocinationem! Igitur eo adductus est Sosia ut de se ipse dubitet. Hæc atque talia Molierus studuit imitari, neque superavit. N.

292. *Sane*. Nonnulli hoc adverbium jungunt verbo *sapio* tamquam *saniter*. Malim vim illi inesse affirmandi æque ac *profecto*. Vid. vs. 197, 282. Nam per se verbum *sapio* satis valet; ille autem exclamat : « certe veterno non laboro, animus viget », et affirmatio admirationem augere videtur. N.

293. *Pultabo. Pulsabo*. Sic veteres *t* pro *s* posuere. LAMB.

297. *Hanc*. Vide ad vs. 200.

298. *Lumbifragium*. Lumbos fractos, verbum a Plauto ridicule confictum, ex analogia *naufragii*, et similium. N.

300. *Ubi ego perii?* Sic Noster Milit. glor. II, 5, 19 : « quid metuis? — Enim ne nosmet perdiderimus uspiam ». LAMB.

An egomet me illeic reliqui, si forte oblitus fui?
Nam hic quidem omnem imaginem meam, quæ antehac fuerat, possidet.
Vivo fit, quod numquam quisquam mortuo faciet mihi.
Ibo ad portum, atque hæc uti sunt facta, hero dicam meo.
Nisi etiam is quoque me ignorabit; quod ille faciat Juppiter!
Ut ego hodie raso capite calvos capiam pileum.

SCENA SECUNDA.

MERCURIUS*.

Bene prospereque hoc hodie operis processit mihi.
Abmovi a foribus maxumam molestiam,

301. *An egomet*, etc. Quum illinc, i. e. e portu, ab exercitu, venerit, dubitat an se ibi reliquerit, et venerit alius. *Si forte* est consequentia interrogationis et dubitationis (vid. II, 1, 74). Sententia tota hæc: « an forte nesciens neque cogitans me reliqui ». Gruterus frustra est, quum tentat: « An egomet me illeic *reliquisse* forte... » et quum interpretatur *illic* domi. Utuntur Mercurius et Sosia vocibus *hic, has ædis* quoties Amphitruonis domum ostendunt, quam nempe vident. N.

303. *Vivo fit*, etc. Douza hariolatur Sosiam ambiguitate verborum, quæ Plautus ibi non posuit, cavillari; quasi Sosia narret vivo sibi ludos fieri, qui mortuo non fient. Equidem *ludos facere* est munus funebre edere et ludificare aliquem; sed hypothesis ludorum ex ingenio interpretis ficta. Daceria, præeunte Grutero, memorat hæc Suetonii, Vesp. 19: « in funere, Favor archimimus personam ejus ferens, imitansque, ut est mos, facta ac dicta vivi, etc. » et conjicit, ut tale quid fieri sibi Sosia dicat. Quod malim. Sed Lambinus assequutus veram sententiam mihi videtur, qui hanc esse mentem Sosiæ autumat: « præfertur mihi vivo, imago mea, quod mortuo non fiet, utpote corpori ignobili, sine pompa sepeliendo ». N.

306. *Raso capite calvos capiam pileum.* « Quum servi manumittebantur, raso capite pileum accipiebant: idque in templo Feroniæ, quæ libertorum dea ». Serv. Ern.

* Hunc Mercurii sermonem e græco exemplari Plautus, ut opinor, non sumpsit; sed id merum rus latinum. Græci quidem non tulissent, si voluptatem, quam ex ipsa mirabilium exspectatione et ex improvisis vellent capere, auctor oppressisset, præmonstrata rerum, quæ sequerentur, serie. Rudes vero animi Romanorum, ut spectaculo

Patri ut liceret tuto illam amplexarier.
Jam ille illuc ad herum quom Amphitruonem advenerit,
Narrabit servom hinc sese a foribus Sosiam
Abmovisse : ille adeo illum mentiri sibi
Credet : neque credet huc profectum, ut jusserat.
Erroris ambo ego illos et dementiæ
Conplebo atque omnem Amphitruonis familiam :
Adeo usque satietatem dum capiet pater
Illius quam amat : igitur demum omnes scient,
Quæ facta. Denique Alcumenam Juppiter
Rediget antiquam in concordiam conjugis.
Nam Amphitruo actutum uxori turbas conciet,
Atque insimulabit eam probri : tum meus pater
Eam seditionem in tranquillum conferet.
Nunc de Alcumena dudum quod dixi minus,
Hodie illa pariet filios geminos duos :

fruerentur, neque argumenti confusio iis efficeret, hujusmodi enarratione juvabantur, nedum tædio illis fuerit. Quantum apud eos tum comœdia ab arte nostra differret, hæc atque multa similia ostendunt : quæ autem vv. 17-23 memorantur, quum legeris, reputare te juvabit quam longe ab illis de theatrali decoro sentiamus. N.

5. *Servom hinc sese*, etc. Hunc versum, quem nescio an ex industria amphibologia implicaverit, ut animorum, in re incredibili, tumultum figura loquendi imitaretur, ita intellige : « narrabit sese hinc a foribus amotum fuisse a servo Sosia », quam sententiam confirmant vv. 11, 12, sc. 1, act. II. N.

8. *Dementiæ*. Eos faciam mentis non compotes, adeo errore obstupefactos conturbabo. N.

9. *Familiam*. Familia erat apud veteres cuncti qui in patris manu erant, uxor, nati, famuli ; hinc paterfamilias. Hic *familiam* gallice vertam : *toute la maison*. N.

10. *Adeo*. Non semel apud Plautum cum *usque* et *dum* jungitur, et valet « eo usque, donec ». N.

11. *Demum*. Tum quum satietatem ceperit, omnes scient. N.

15. *Probri*. Vid. inf. III, 2, 1.

16. *Eam seditionem*. Raro sic invenias *seditionis* vocabulum de turba privatorum. Apud Terentium tamen est, non minus eleganter Andr. V, 1, 11 : « perpulisti me, ut homini adolescentulo In alio occupato amore, abhorrenti a re uxoria, Filiam darem in seditionem atque incertas nuptias ». Sic *seditiosus* et *bellum* Cicero ad Att. lib. II, ep. 1. Gronov. *

17. *Dudum quod dixi minus*. Id est, quod vobis de Alcumena non

Alter decumo post mense nascetur puer,
Quam seminatus; alter mense septumo.
Eorum Amphitruonis alter est, alter Jovis.
Verum minori puero major est pater,
Minor majori : jamne hoc scitis, quid siet?
Sed, Alcumenæ hujus honoris gratia,
Pater curavit, uno ut fœtu fieret;
Uno ut labore absolvat ærumnas duas,
Et ne in suspicione ponatur stupri,
Et clandestina ut celetur suspicio.
Quamquam, ut jamdudum dixi, resciscet tamen
Amphitruo rem omnem : quid igitur? nemo id probro

edissertavi modo, in Prol. Douza.

19. *Alter decumo*, etc. Confirmat Plautus hic eorum sententiam, qui affirmant, et vere, mulierem superfœtari posse. Plinius inter alia refert, mulierem quamdam septem mensium edito puerperio, insequutis mensibus, geminos enixam. Taubm.—Aliter, credo, nunc pronuntiant Hippocratici viri. N.

20. *Seminatus*. Ἐσπαρμένος· in utero matris conceptus est. Taubm. — Scilicet Amphitruo uxorem gravidam reliquerat, proficiscens in bellum, mense ante hunc diem decimo. Post tres menses supervenit Jupiter. N.

21. *Eorum*, qui nascentur, alter est filius Amphitruonis, alter Jovis. N.

22, 23. *Minori puero major*, etc. I. e. Herculi, qui minor, ratione nativitatis, major pater est, scil. Jupiter; majori, qui primogenitus erit, sc. Iphiclo, minor, nempe homo, pater est Amphitruo. Ern. — *Jamne*, etc. Histrio spectatores, ut sæpe fit apud Plautum, appellat, et eos, ut rei implicatæ mentem advertant, peropportune admonet. N.

24. *Honoris*. Ea vox non significat *decus*, *famam*, sed *observantiam* qua colimus aliquem. Gallice, *égard*, *considération*. Infra, III, 1, 7: « nunc huc honoris vestri venio gratia ». Rud. I, 5, 29 : « amice benigneque honorem mater nostrum habes ». Sic Livius narrat (XXXIII, 42) Sicilienses frumentum Romam advexisse, Flaminii ædilis honoris causa. N.

28. *Suspicio*. Hæc vox *suspicio*, non immerito multis mendæ suspicionem movit. Malim legere : « Et clandestina ut celetur consuetio ». Nam si Donatum audias interpretantem illa comici sui verba, Adelph. act. IV, sc. 5 : «qui cum illa consuevit prius », quo loco *consuescere* εὐσχημόνως ponitur pro « rem habere », tibi pro exemplo afferet hæc Plauti : « Et clandest. ut celetur consuetudo ». Atqui versus non patitur vocem *consuetudo*, quum sit iambicus senarius : itaque pro *consuetudo* repono *consuetio*, ne fraus fiat legi pedariæ. Recte id porro a me fieri, Festus, vel potius Verrius Flaccus,

Profecto ducet Alcumenæ : nam deum
Non par videtur facere, delictum suum
Suamque culpam expetere in mortalem ut sinat.
Orationem conprimam : crepuit foris.
Amphitruo subditivus, eccum, exit foras,
Cum Alcumena uxore usuraria.

SCENA TERTIA*.

JUPITER, ALCUMENA, MERCURIUS.

JUP. Bene vale, Alcumena; cura rem conmunem, quod facis.
Atque inparce, quæso; menses jam tibi esse actos vides.

præstiterit, cujus hæc verba sunt : « Consuetionem Plautus pro consuetudine dixit ». Quod ad Donatum attinet, etiam ille sine dubio *consuetio* scripserat : sed quod vox insolens videretur, ab aliis postea fuit interpolata. SCIOPP.

31-33. *Nam deum*, etc. Ita explica : Nam Deus non videtur par facere, si sinat suam culpam expetere, recidere, in mortalem. N.

* In hujus scenæ diverbio longe a Plauto discessit Molierus, quem Bolæus, et inde alii critici, reprehendunt, quod putidas argutiolas commentus, Jovem de differentia mœchi et conjugis nimium cavillantem induxerit. At velim censores cogitent Molieri Jovem histrioniam facere, Gallis septimo decimo seculo spectantibus, qui scenicum amorem multo exquisitiori elegantia, quam veteres, excultum requirebant. Ergo non mirum videbitur, si apud nostratem Jupiter non sit contentus per dolum usuraria uxore potiri, et se ipsum, non Amphitruonem, amatum velit. Ea est amoris indoles, cui recentiorum temporum homines indulserunt, ut animum devincere, non tantum corpore abuti optet. Itaque Jupiter, quum se Alcmenæ placuisse cupiat, neque furtum profiteri audeat, lepidis ambagibus ignaram sciscitatur et circumvenit, si possit gloriola quoque gaudere, quum jam voluptatem præripuerit. Forsan et Latinus scriptor Gallici diverbii argumentum præbuit versibus 12, 13. Molieri vero ingenium dum culpa vindicare nitimur, nihil de Plauti laudibus detrahimus; qui amœnitatibus et blanditiis sermonem temperavit, quantum per mores romanos licebat, et prudentissime servavit quid virum, uxorium quidem, sed cum matrefamilias sua confabulantem, deceret. Longe aliter, passim in ejusdem comœdiis, lasciviunt lenociniorum procacitate juvenes, qui meretricum amore flagrant. N.

1. *Rem communem*, rem familiarem, communia mariti et uxoris bona. Quum divortio discederent, vir conjugi dicebat : « res tuas tibi habe ». N.

2. *Inparce*. Jubet partui vicinam parcere sibi, et labore abstinere.

Mihi necesse'st ire hinc; verum, quod erit natum, tollito.
ALCM. Quid istud est, mî vir, negotî, quod tu tam subito domo
Abeas? JUP. Edepol, haud quod tui me, neque domi, distædeat :
Sed ubi summus imperator non adest ad exercitum,
Citius, quod non facto'st usus, fit, quam quod facto'st opus.
MERC. Nimis hic scitu'st sycophanta, qui quidem meus sit pater.
Observatote, quam blande mulieri palpabitur.
ALCM. Ecastor, re experior, quanti facias uxorem tuam.

CAMER. — *In* nonnunquam auget significationem, ut *impetor,* et hic *inparco,* et alibi. BOXHORN.—*Actos,* i. e. exactos. N.

3. *Quod erit natum.* Ita loquebantur neutro genere de partu et futuro et recens nato. GRON. * — *Tollito.* Infantes olim, simul ac nati forent, humi deponebantur : ab humo vero pater tollebat, et in sinum recipiebat. Qui autem non tollebatur, pro abdicato et projectitio erat. LAMB. — Hoc honori Alcmenæ tribuit Jupiter, quod nasciturum infantem quemcumque suscipere occupet. Sic Plautus, credo, voluit risum movere, quum meminissent spectatores quæ Mercurius proxime superiori scena, vs. 18-23, dixerat. N.

6. *Summus,* qui caput est omnium. N.

7. *Facto 'st usus. Usus* valet sæpissime *opus,* et cum sexto casu componitur apud Plautum passim, et Terent. Heaut. I, 1, 28, et Liv. XXX, 41. N.

8. *Scitu 'st sycophanta.* Lepidus et venustus est impostor. Sycophanta vox quidem græca est; sed apud Græcos calumniatorem significat, apud Latinos vero impostorem, et planum, et illusorem. LAMB. — *Qui quidem meus sit pater.* Ita ut appareat meum esse patrem Mercurii, eloquentiæ, et quidem callidæ, æque ac commercio præsidentis. Alii ita interpretantur : « sycophanta est, quod confiteor, licet pater sit meus ». Sed priorem sensum orationis ingenium et ratio grammaticæ vindicant. N.

9. *Quam blande mulieri palpabitur. Palpari,* et *palpo percutere*, proprie est molli et blando manus plausu tangere et contrectare, ac veluti poppysmo demulcere : Græcis ψηλαφᾷν. Hinc pro blandiri, assentari et adulari frequentatur. TURN.

10. *Ecastor, re experior,* etc. Ironia indignantem decet. *Uxorem tuam.* Non sine poetæ lepidi mente, Alcmena oratione utitur ancipiti, qua, dum se tantum queritur despicatam, Junonem quoque objicit, inscia, uxorem falsi Amphitruonis, quam quanti faciat ille, Alcmena, nullo quidem suo vitio, experitur. N.

JUP. Satin' habes, si feminarum nulla'st, quam æque diligam?
MERC. Edepol, næ illa si istis rebus te sciat operam dare,
Ego faxim te Amphitruonem esse malis, quam Jovem.
ALCM. Experiri istuc mavellem me, quam mî memorarier.
Prius abis, quam lectus, ubi cubuisti, concaluit locus.
Here venisti media nocte, nunc abis: hoccine placet?
MERC. Adcedam, atque hanc adpellabo, et subparasitabor patri.
Numquam, edepol, quemquam mortalem credo ego uxorem suam
Sic efflictim amare, proinde ut hic te efflictim deperit.
JUP. Carnufex, non ego te gnovi? abin' e conspectu meo?
Quid tibi hanc curatio est rem, verbero, aut muttitio?

11. *Satin' habes.* An non satis est tibi. N.

12. *Edepol, næ illa,* etc. Profecto si illa (Juno) sciat te istis rebus, i. e. furtis et adulteriis operam dare, malis te Amphitruonem esse quam Jovem. Namque illa irata te male accipiet. Hæc loquitur aversa facie a Jove et Alcmena ad spectatores. LAMB. — Sane, dum hæc diceret, Mercurius cœlum digito monstrabat. Sic Jovi, ferociam conjugis haud nimis fortiter ferenti, Plautus non verecunde quidem illudit, sed comice. Multi referunt *illa* ad Alcmenam, quibus forte Molierus adsensit (vide annotationem nostram in hanc scenam incipientem); falso tamen, ut opinor; quia, si de Junone Mercurius loquitur, commodius hæc cum prioribus cohærent. Namque dum Jupiter-Amphitruo profitetur nullam feminam uxore cariorem sibi esse, *illam* Mercurius irridenter commemorat, quæ sibi soli Jovis amorem jure vindicat paulo sævior, et *istis rebus* non gratiam faciat. N.

13. *Ego faxim.* Hæc abundant, ut alibi passim. N.

14. *Experiri...memorarier.* Factis quam dictis te hoc obtestari mallem. N.

15. *Lectus*, genitiv. pro *lecti. Prius... quam concal. locus.* Vehementissime sane amorem Alcmena significat, cui adeo brevis nox illa visa sit. N.

16. *Here*, heri. *Hoccine placet?* hoc tibi æquum videtur? N.

17. *Adpellabo*, i. e. compellabo. *Subparasitabor.* Parasiti semper suo regi assentiebantur, et quid ei gratum vel dicto vel facto esset aucupabantur. N.

19. *Efflictim*, valde, usque donec effligatur. Nævius Coroll. « nolo ego hunc adeo efflictim amare, diu vivat volo ». LAMB.

20. *Non ego te gnovi?* Te nosco, importunum scilicet et molestum illusorem. N.

21. *Quid tibi hanc curatio*, etc.

Quoi ego jam hoc scipione... ALCM. Ah! noli. JUP. Muttito modo.
MERC. Nequiter pæne expedivit prima parasitatio.
JUP. Verum quod tu dicis, mea uxor, non te mihi irasci decet.
Clanculum abii a legione; operam hanc subripui tibi,
Ex me primo prima scires, rem ut gessissem publicam.
Ea tibi omnia enarravi : nisi te amarem plurimum,
Non facerem. MERC. Facitne ut dixi? timidam palpo percutit.
JUP. Nunc, ne legio persentiscat, clam illuc redeundum'st mihi;
Ne me uxorem prævortisse dicant præ republica.

Quid est quod hunc rem cures? aut cur audes mutire? Verbalia in *io* regunt casum sui verbi, cujus rei plurima sunt apud Plautum exempla. LAMB.

22. *Quoi... hoc scipione.* Supple « dorsum percutiam », vel quid simile. N.

23. *Nequiter exp.* Douza *expedivit* interpretatur, « expedita est », id est, peracta est : ut et Meursius : qui, « nequiter expedivit », interpretatur, parum utilis fuit prima parasitatio : qualia illa sunt, « male sanus, male suadus ». ERN. — *Expedivit*, successit. Forte *expetivit*, ut Lambino placet. N.

24. *Verum quod tu dicis*, etc. Ab increpando Pseudososia, ille ad Alcmenam redit, quam transitionem facit vox disjunctiva *verum*. Sicut Virgilius : « quos ego... *sed* motos, etc. » *Quod dicis.* Mihi ne irasci persistas, pro eo quod dicis, scilicet me citius digredi a te. N.

25. *Operam hanc subripui.* « Operam dare alicui » est præbere se alicui obsequentem et officiosum. Itaque dicit Amphitruo se suo muneri subripuisse tempus quo uxori indulgeret, et veniret nuntiatum primæ ante omnes Alcmenæ victoriam. N.

25-28. Magna dulcedo in his versibus, et venusta simplicitas. N.

28. *Timidam.* Ægram, turbatam, commotam. Bacchid. I, 2, 73 : « eamus hinc intro ut laves; nam ut in navi vecta es, credo timida es ». Nonnulli legunt *tumidam*. TAUBM. — Demulcet aliquis blandiundo manu, *palpo*, quæ mansuefacere vult animalia præ timore paululum effera. Et sic metaphorice dicitur *palpari* pro « delinire ferociorem aliquem blandiloquentia ». Ut Horat. Sat. II, 1, 20 : « Cui male si palpere, recalcitrat undique tutus ». Igitur in sermone Mercurii *timida* mihi videtur esse quasi « refugiens audire Jovem, efferata indignatione amatoria. Sic fere gallicæ voces *timide* et *farouche* haud absone conjungi possint. N.

30. *Prævortisse.* Præposuisse. Gl. MSS. PL. BOXHORN.

ALCM. Lacrumantem ex abitu concinnas tu tuam uxorem. JUP. Tace.
Ne conrumpe oculos; redibo actutum. ALCM. Id actutum diu'st.
JUP. Non ego te heic lubens relinquo, neque abeo abs te. ALCM. Sentio;
Nam qua nocte ad me venisti, eadem abis. JUP. Cur me tenes?
Tempu'st: exire ex urbe, priusquam luciscat, volo.
Nunc tibi hanc pateram, quæ dono mî illeic ob virtutem data'st,
Pterela rex quî potitavit, quem ego mea occidi manu,
Alcumena, tibi condono. ALCM. Facis ut alias res soles.
Ecastor, condignum donum, quali'st qui donum dedit.
MERC. Imo sic condignum donum, quali'st quoi dono datum'st.
JUP. Pergin' autem? nonne ego possum, furcifer, te perdere?
ALCM. Noli, amabo, Amphitruo, irasci Sosiæ causa mea.
JUP. Faciam ita ut vis. MERC. Ex amore hic admodum quam sævus est?
JUP. Nunquid vis? ALCM. Ut quom absim, me ames, me tuam absentem tamen.

31. *Concinnas*, facis. Nonius hunc locum proferens sic vocem *concinnare* interpretatur. LAMB.

32. *Ne conrumpe oculos*, scil. lacrymis, quibus oculi rubescunt et turgescunt. Catull. Carm. III, « meæ puellæ Flendo turgiduli rubent ocelli ». LAMB.

39. *Quali'st.* Dignum tali, qualis est qui dedit, scil. liberalis, magnificus. Egregium egregii munus. N.

42. *Amabo.* Formula familiariter precantis passim latinis scriptoribus usitata. N.

43. *Ex amore*, etc. Quam asperum et iracundum amor eum facit. N.

44. *Nunquid vis?* Donatus, ad illud Terent. Eunuch. II, 3, 49, « rogo numquid velit » notat: hoc est, « significo me abire ». Nam abituri, ne id dure facerent, « nunquid vis? » dicebant iis quibuscum constitissent. LAMB. — *Me tuam absentem tamen. Tamen* pro *quamquam.* Mira suavitas in his verbis, et naturalis decor; sic facetissimus ille Plautus affectus teneros exprimere non nescit, et præivit Terentio

MERC. Eamus, Amphitruo, luciscit hoc jam. JUP. Abi præ, Sosia,
Jam ego sequar : nunquid vis? ALCM. Etiam : ut actutum advenias. JUP. Licet.
Prius tua opinione adero; bonum animum habe.
(egreditur Alcmena.)
Nunc te, nox, quæ me mansisti, mitto, ut cedas die,
Ut mortaleis inluciscas luce clara et candida.
Atque, quanto nox fuisti longior hac proxuma,
Tanto brevior dies ut fiat faciam, ut æque disparet,
Et dies e nocte adcedat : ibo, et Mercurium subsequar.

Phædriam, Virgilio Didonem, absentis amantem effingenti. N.

45. *Amphitruo.* Douza existimavit ibi satis familiariter uti Sosiam cum domino, quem nomine Amphitruonis compellat; et Servium laudavit, qui contumeliam esse dicit superiorem nomine vocare. Douzæ, ut opinor, errorem ipse Plautus redarguit scena proxime sq. vv. 43, 48. Namque Sosia item Amphitruonem compellat supplex et timens. Servius quidem notat morem ætatis longe Plautina posterioris, quum jamdiu civis civem domini vocabulo soleret appellare. Vid. Mart. epigr. V, 57; VI, 88. Senec. ep. 3. *Hoc jam.* Jam nunc; hoc scil. temporis, ut dixit « hoc noctis ». N.

46. *Etiam.* Particula affirmantis. Gallice *oui*. Mostell. IV, 3, 8. *Licet.* Verbum quoque est annuentis. Rud. IV, 6. N.

49. *Mortaleis inluciscas.* In omnibus MSS, præter cod. Camerarii, esse *mortalibus* Taubmannus admonet, quod libentius recipit. Sunt qui velint *inlucescat* referendo ad diem, quia nox non illuminat terras. Sed intelligi potest, aurora tenebras fugante, noctem luci dare locum. N.

50-52. *Atque quanto*, etc. Quantum addidi nocti, tantum diei detraham, ut æque disparet, i. e. ut æqua sit disparitas utrinque; et sic compensata illius nimietate et hujus diminutione, solito ordine deinceps tempus procedat. Pistorius legit : « ut æque dispares Et dies et nox accidat ». At sic ille nodum secat, non solvit. *Disparet* acceptum impersonaliter, non repugnat linguæ latinæ ingenio, quamquam nullum hujus vocis ita usurpatæ exemplum alias reperitur. *Et dies e nocte adcedat*, scil. quia nox diei subsequentis spatium partim occupavit, dies accedet, quasi emersus e nocte. N.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA*.

AMPHITRUO, SOSIA.

AMPH. Age i tu secundum. SOS. Sequor, subsequor te.
AMPH. Scelestissumum te arbitror. SOS. Nam quamobrem?
AMPH. Quia id, quod neque est, neque fuit, neque futurum'st,
Mihi prædicas. SOS. Eccere, jam tuatim
Facis, ut tuis nulla apud te sit fides.
AMPH. Quid est? quo modo? jam quidem hercle ego tibi istam
Scelestam, scelus, linguam abscindam. SOS. Tuus sum;
Proinde ut commodum'st et lubet, quidque facias:
Tamen, quin loquar hæc uti facta sunt heic,

* Magna quidem hujus diverbii laus est, quod Molierus totum fere in suam fabulam transtulit. N.

1. *Secundum.* Id est, post me; sequere me. LAMB. — *Sequor,* etc. Bene: aliud enim est *sequi,* aliud *subsequi:* sequitur quis eminus, subsequitur cominus. GRUT.

2. *Nam,* interrogativum; sæpe initio locutionis proponitur, ut apud Virg. Georg. IV, 445, «Nam quis te, etc.» pro «quisnam te...» Vid. Ind. h. v. N.

4. *Eccere.* Festus jusjurandum interpretatur «per Cererem», ut Ædepol, Æcastor. Sed fatetur alios *eccere* pro *ecce* accipere. Exclamatio est indignantis, quasi dicatur «ecce res». Gallice, *nous y voilà!* vel *ne voilà-t-il pas?* N. — *Tuatim,* tuo more, Charisio et Nonio auctoribus. ERN.

5. *Ut tuis nulla,* etc. Videlicet, ut tuis servis et familiaribus fidem non adhibeas. Sic Terent. Heautont. III, 3, 10: «et mihi fides apud hunc est, etc.» LAMB.

7. *Scelus,* i. e. sceleste; figura loquendi, quæ apud Plautum et comicos et alios scriptores fit sexcenties obviam lectori. Sic Catull. XVII, 21, *stupor* pro *stupide;* Ter.

Nunquam ullo modo me potes deterrere.
AMPH. Scelestissume, audes mihi prædicare id,
Domi te esse nunc, qui heic ades? SOS. Vera dico.
AMPH. Malum! quod tibi dii dabunt, atque ego hodie dabo.
SOS. Istuc tibi est in manu; nam tuus sum.
AMPH. Tun' me, verbero, audes herum ludificari?
Tun' id dicere audes? quod nemo unquam homo antehac
Vidit, nec potest fieri, tempore uno
Homo idem duobus locis ut simul sit?
SOS. Profecto, ut loquor, ita res est. AMPH. Juppiter te perdat!
SOS. Quid mali sum, here, tua ex re promeritus?
AMPH. Rogasne, inprobe, etiam, qui ludos facis me?
SOS. Merito maledicas mihi, si id ita factum'st.
Verum haud mentior, resque uti facta, dico.

Phorm. III, 2, 26, *carcer* pro « carcere digne »; Lucilius, *ventres* pro « ventri dediti ». N.

13. *Malum!* interjectio increpantis, cui tamen, ut nomini, junctum est *quod.* Sic apud Terent. Phorm. V, 7, 83 : « Malum! quod isti di deæque omnes duint ». SCHMIED.— Ita fit in omnium populorum sermone, ut nomina, quæ adverbialiter usurpantur, aut adverbia non simplici voce composita, nonnumquam, si expedit, ad sensum etymologicum reducantur loquendo familiariter; ex. gr. in quadam fabula gallica duo jurgantes inter se ita discedunt : « *de tout mon cœur adieu.—De tout mon cœur au diable* ». Sic quidam vetus poeta nostras, *Billard de Courgenay*, in præfatione tragœdiæ *Antigone*, dividit vocem adverbialem *adieu : « A dieu, mon compagnon, qui te maintienne en ta bonne humeur »*. N. — *Quod... dabunt*. Cf. not. ad Prol. 31. — *Atque ego hodie dabo*, id est, statim dabo. ERNEST.

17. *Nec potest fieri*. Suppl. *quod* recto casu, ut sit « dicere audes quod nemo... vidit, et quod fieri non potest ». Sic Ter. Adelph. I, 2, 4 : « ille quem neque pudet quemquam, nec metuit quemquam ». N.

19. *Juppiter te perdat!* Ridicula sane imprecatio obtestantis ipsum mali auctorem. N.

20. *Tua ex re*, i. e. ex tuo commodo. Nam utile tibi est, te servum habere, qui duobus in locis uno tempore esse possit. BOSIUS.—Torquent h. l. interpretes, ut sensum quemdam reconditiorem inde excutiant. Sed ita simpliciter enarrem « quid mali promeritus sum, ex eo quod ad te spectat ». Quam explanationem confirmant præcedentia : « Juppiter te perdat! », et sequentia : « rogasne,... qui ludificas me? » N.

22. *Si id ita factum'st*, nempe, ut te ludificaverim. TAUBM.

AMPH. Homo hic ebrius est, ut opinor. SOS. Utinam ita essem!
AMPH. Optas quæ facta. SOS. Egone? AMPH. Tu istic: ubi bibisti?
SOS. Nusquam equidem bibi. AMPH. Quid hoc sit hominis?
SOS. Equidem decies dixi:
Domi ego sum, inquam;
Ecquid audis? et apud te adsum Sosia idem.
Satin' hoc plane,
Satin' diserte, here, nunc videor tibi locutus
Esse? AMPH. Vah! apage te a me. SOS. Quid est negotii?
AMPH. Pestis te tenet. SOS. Nam cur istuc dicis?
Equidem valeo, et salvos sum recte, Amphitruo.
AMPH. At te ego faciam hodie, proinde ac meritus es,
Ut minus valeas, et miser sis,
Salvos domum si rediero: jam
Sequere, sis, herum qui ludificas dictis delirantibus:
Qui quoniam, herus quod imperavit, neglexisti persequi,

25. *Optas quæ facta.* Optas ut fiat quod factum est jam. Gallice: « *tu n'as pas besoin de le souhaiter* ». *Egone?* — *Tu istic.* Gallice: *Moi?* — *Oui, toi-même. Istic,* pronom. Vid. sup. I, 1, 216. N.

26. *Quid hoc sit hominis? Hoc hominis* aspernanter dictum pro « hic homo », et exclamatio est indignabunde admirantis impudentiam. Quis qualisque est homo, qui manifestam ebrietatem negat, ac talia pergit affirmare! At Sosia quasi interrogationi respondet: « equidem dec. d. » N.

27-30. Minutis versibus, anapæsticis, et trochaicis præcipitat oratio Sosiæ impatienter ferentis quod incredulus oderit dominus jam non semel narrata. N.

29. *Ecquid*, i. e. num. « Ecquid sentitis in quanto contemptu vivatis? » Liv. IV, 3. N.

32. *Vah! apage te a me.* Formula est odium testandi. *Quid est negotii?* Quid rei est, cur me abire jubeas? Fortasse Sosia jocatur in ancipiti, qui abigenti odiosum hero respondet, tamquam dimittenti se negotii causa? N.

33. *Pestis te tenet.* Hoc consequens illis: « apage te ». Sc. te nescio quid mali tenet, quod turbat mentem, et a cujus contagione abhorreo. *Nam cur.* Anastrophe. Vide sup. v. 2. N.

35. *Te ego faciam.* Genus loquendi græcum, frequens comicis, pro, « te faciam minus valere, faciam ut tu, etc. » LAMB.

38. *Sequere, sis.* Contractum ex

Nunc venis etiam ultro inrisum dominum : quæ neque fieri
Possunt, neque fando unquam adcepit quisquam, profers, carnufex;
Quojus ego hodie in tergo faxo ista expetant mendacia.
SOS. Amphitruo, miserrima istæc miseria est servo bono,
Apud herum qui vera loquitur, si id vi verum vincitur.
AMPH. Quo id, malum, pacto potest (nam mecum argumentis puta)
Fieri, nunc uti tu heic sis et domi? Id dici volo.
SOS. Sum profecto et heic et illeic : hoc quoivis mirari licet.
Neque tibi istuc mirum magis videtur, quam mihi.
AMPH. Quo modo? SOS. Nihilo, inquam, mirum magis tibi istuc, quam mihi.
Neque, ita me dii ament, credebam primo mihimet Sosiæ,
Donec Sosia, ille egomet, fecit sibi uti crederem.
Ordine omne uti quidque actum'st, dum apud hostes sedimus,
Edissertavit : tum formam una abstulit cum nomine;

si vis, et vulgo figuræ imperandi additum, ut *videsis, agesis*, etc. N.

40. *Ultro*. Quum non satis sit pœnam meruisse negligentia, etiam provocas me irrisu. N.

41. *Fando*, altero dicente; passive accipiendum est. Exempli gr. « uritque videndo femina », Virgil. Georg. III, 215 : « at vero ne fando quidem auditum est, etc. » Cic. de Nat. Deor. I. LAMB.

42. *In tergo exp.* Acidalius vellet *tergum*, recte. Vid. sup. I, 2, 33. N.

44. *Si id vi*, etc. Si veritas viribus opprimitur. N.

45. *Nam mecum argumentis*. Fortasse distinguendum : « Quo id, malum, pacto potest nam (mecum argumentis puta) Fieri? » Atque ita prorsus Voss. secundum. Τὸ *nam* per tmesin, quam vocant, sejunctum a τῷ *Quo*; cujus exemplum est, ut solet Plaut. Aulul. III, 2 : « Sed in ædibus quid tibi meis nam erat negotii? » Merc. V, 4 : « quid negotii est nam quæso istuc? » GRON. — *Argumentis puta*. Concedit Amphitruo ut ille disputet argumentis; vult ratiocinando, non vi, ut queritur Sosia, eum vincere, mendacii arguere. N.

50. *Ita me dii ament.* Formula jurisjurandi. Videlicet, « precor deos ita me ament, ut est verum quod dico, nempe, ut non credidi mihimet ». N.

52. *Sedimus*. Id est, desedimus, consedimus cum exercitu. DOUZA.

Neque lacte lacti magis est simile, quam ille ego simili'st mei.
Nam ut dudum ante lucem a portu me præmisisti domum.....
AMPH. Quid igitur? SOS. Prius multo ante ædeis stabam, quam illo adveneram.
AMPH. Quas, malum, nugas! satin' tu sanus es? SOS. Sic sum, ut vides.
AMPH. Huic homini nescio quid est mali mala objectum manu,
Postquam a me abiit. SOS. Fateor; nam sum obtusus pugnis pessume.
AMPH. Quis te verberavit? SOS. Egomet memet, qui nunc sum domi.
AMPH. Cave quicquam, nisi quod rogabo te, mihi responderis.
Omnium primum, iste qui sit Sosia, hoc dici volo.
SOS. Tuus est servus. AMPH. Mihi quidem uno te plus etiam'st quam volo:

54. Valer. Probus edit. Putsch. pag. 1445, et Cledonius, ibid. pag. 1905, hunc locum laudant, Plautum testantes *lacte* nominativo posuisse. N.

57. *Sic sum.* Sanus. N.

58. *Mala... manu.* Is fuit error veterum, quo nec recentiores caruere, ut vel carmine, vel tactu, vel aspectu, per veneficium aliquid mali alicui inferri posse crederent. Exempla vides in X tabulis: « qui fruges *excantasit* ... qui malum carmen *incantasit*, malum venenum faxit duitve, parricida esto ». Apud Virg. Ecl. III, 103: « Nescio quis teneros *oculus* mihi fascinat agnos »; et Æn. VII, 754, « Spargere qui somnos *cantu*que *manu*que solebat ». Apud Petron. sat. 128: « veneficio contactus sum ». Igitur Amphitruo opinatur « mala manu » cujusdam venefici objectam Sosiæ dementiam. N.

59. *Sum obtusus pugnis pessume.* Jocatur in « mala manu », quam Amphitruo pro venefica sumit, Sosia pro, pugnis sibi nimis molesta et onerosa. TAUBM.

63. *Uno te plus.* Id est, mihi quidem plus etiam servorum est, quam volo, quum te unum Sosiam habeo. Significat, Sosiam esse servum inutilem et nequam, et se facile eo carere posse; atque adeo optabile esse, ut eo careat: quo fit, ut multo minus velit duos habere Sosias. LAMB.

Neque, postquam sum natus, habui, nisi te, servom Sosiam.
SOS. At ego nunc, Amphitruo, dico; Sosiam servom tuum,
Præter me alterum, inquam, adveniens faciam ut obfendas domi,
Davo prognatum; patre eodem quo ego sum, forma, ætate item
Qua ego sum : quid opu'st verbis? geminus Sosia hic factu'st tibi.
AMPH. Nimia memoras mira : sed vidistin' uxorem meam?
SOS. Quin introire in ædeis nunquam licitum'st. AMPH. Quis te prohibuit?
SOS. Sosia ille, quem jamdudum dico, is qui me contudit.
AMPH. Quis istic Sosia'st? SOS. Ego, inquam : quoties dicendum'st tibi?
AMPH. Sed quid ais? num obdormivisti dudum? SOS. Nusquam gentium.
AMPH. Ibi forte istum si vidisses quemdam in somnis Sosiam.
SOS. Non soleo ego somniculose heri imperia persequi.
Vigilans vidi, vigilans nunc te video, vigilans fabulor,
Vigilantem ille me jamdudum vigilans pugnis contudit.
AMPH. Quis homo? SOS. Sosia, inquam, ego ille : quæso, nonne intellegis?
AMPH. Quî, malum, intellegere quisquam potis est? ita nugas blatis.

66. *Præter me*, etc. Paulo confusiorem in hoc vers. struem verborum ita expone : « faciam, inquam, ut adveniens offendas domi alterum *quoque* Sosiam præter me ». *Faciam ut* abundat; intellige quasi simpliciter dixisset : « adveniens offendes ». Sic jam vidimus non semel et sæpissime videbimus supervacaneum *faxo, faxim*. N.

73. *Dudum*. Nuper, paulo ante. *Nusquam gentium*, neutiquam. N.

74. *Si vidisses*. Hæc formula dubitandi pendet ab interrogatione : « num obdormivisti », i. e. quæro an obdormiveris, ut sciam « si forte vidisses, etc. » LAMB. Sic conjectura interrogationem explicat, sup. I, 1, 301.

79. *Blatis*. Nonius et Festus hoc verbum et aliud simile *blaterare* interpretantur « stulte, incondite loqui », et ea deducunt a græco βλὰξ, quod ignavum, stolidum significat. LAMB.

SOS. Verum actutum gnosces. AMPH. Quem? SOS. Illum gnosces, servom Sosiam.
AMPH. Sequere hac igitur me : nam mî istuc primum exquisito'st opus.
Sed vide ex navi ecferantur, quæ jam inperavi, omnia.
SOS. Et memor sum, et diligens, ut, quæ inperes, conpareant.
Non ego cum vino simitu ebibi inperium tuum.
AMPH. Utinam dî faxint, infecta dicta re eveniant tua!

SCENA SECUNDA.

ALCUMENA, AMPHITRUO, SOSIA, THESSALA.

*ALCM. Satin' parva res est voluptatum in vita,
Atque in ætate agunda,

84. *Simitu*, vetus pro *simul*, passim apud Nostrum. N.

85. *Infecta dicta*, etc. Dii faciant, ut ea, quæ dixisti, non eventu rata fiant, non sint revera, ut nunc loquutus es. N.

* Attende, quæso, qua diligentia castitatis matronalis honor simulque comicum decorum Plauto servetur, in hocce Alcmenæ cantico, quæ nec sciens neque cogitans spectatores rursus admonet sibi animum esse insontem, corpus duntaxat vitiatum, dum neminem a se amari, præter conjugem, obtestatur. Ille quidem non semper, indiscrete et alieno tempore, lascivit scurriliter. Etiam seria jocularibus in loco admiscere callet. Alcmenam vero ambitiosius, quam par est, morum præcepta, professoria auctoritate, edissertantem forte reprehendes. Et fatendum quidem apud Nostrum, siquando mulieres sapientia spectandæ prodeant, quod fieri adeo non solet, eas admodum sententiose loqui, ut videre est in Persa, IV, 4. Sed cavesis veteres illos eadem trutina, qua nostrates, perpendas. Plautus vere romana disciplina imbutam fecit Alcmenam, et, quod spectatoribus tum suis pulchrum videretur, quam quod muliebri personæ conveniret, magis quæsiit. Præcipua laus armorum fuit apud Romanos, ea præsertim tempestate, qua de imperio, imo de salute, cum Carthaginiensibus certamen erat. Splendida fortitudinis bellicæ prædicatione mire delectabantur; suam rem agi sentiebant. N.

1. *Satin'*. Interrogando affirmat, atque ita exclamat indignanter : ut Casin. « Satin' res omnes sunt adversæ mihi ». Gallice : *suis-je assez malheureux?* LAMB. — *Parva res est voluptatum*, i. e. parvæ, breves voluptates, more græco loquendi, cujus plurima proferuntur exempla : χρῆμα νυκτὸς, nox, μέγα χρῆμα

Præ quam quod molestum'st: ita quoique conparatum
Est in ætate hominum;
Ita dìs placitum, voluptatem ut mœror comes consequatur;
Quin, incommodi plus malique illico adsit, boni si obtigit quid.
Nam ego id nunc experior domo, atque ipsa de me scio, quoi voluptas
Parumper data'st, dum viri mei mihi potestas vidundi fuit
Noctem unam modo; atque is repente abiit a me hinc ante lucem.
Sola heic mihi nunc videor, quia ille hinc abest, quem ego amo præter omnes.
Plus ægri ex abitu viri, quam ex adventu voluptatis cepi.

συὸς, magnus sus; cujusmodi si plura velis, consule Lambinum, Taubmannum. Et ipsi Latini dixerunt «res militaris, familiaris, muliebris, judiciaria, frumentaria» et alia sexcenta eodem genere. Phæd. IV, 7, 4: «res si qua esset cibi». N.

3. *Præ quam*, idem ac «præut, *en comparaison de*». *Comparatum*, scil. fato, fortuna. N.

4. *Est in ætate.* De his versibus, usque ad 22, ita præfatus est Camerarius: «Nihil de distinctione horum versuum polliceor. Sunt autem plerique quadrati, sed confusi pedibus». Illos refingit Ill. Hermannus, sed, credo, magis ex ingenio, quam auctoritate MSS. Nihil mutavimus ex vulgatis, in re tam incerta. N.

5. *Voluptatem ut mœror*, etc. Sic præiverat Plauto Philemon: Τοιοῦτος ὁ βίος ἐστὶν ἀνθρώπου, γύναι, Εὐφραινόμεθα ἔλαττον ἢ λυπούμεθα. *Sic est, mulier, in vita plus mœroris quam gaudii.* Sic Antiphanes: αἱ γὰρ ἡδοναὶ οὐκ ἐπὶ σφῶν αὐτῶν ἐμπορεύονται, ἀλλ' ἀκολουθοῦσ' αὐτὰς λῦπαι καὶ πόνοι. *Voluptas non sola venit, sed comes est cura et labor.* TAUBM. — Postea similem edidit sententiam Terentius non semel; Andr. V, 5, 3. Eunuch. III, 5, 3. Et id quidem paulo tristiori ingenio Terentii consentaneum. N.

7. *Domo*, ex me ipsa. Locutio de græco fonte sumpta, οἴκοθεν, sensu translatitio, sicut et gallice dicimus: *il y a chez lui du bon*. Cic. ad Attic. I, 19: «quid enim ego aliorum in me ἐπιφωνήματα exspectem, quum hæc *domi* (apud me) nascantur», i. e. quum meæ laudes a me ipso fiant. Vid. Cas. II, 1, 8. N.

10. *Sola heic mihi nunc videor*, etc. Mira dulcedo affectuum, quæ ita spectatorum animos delinit, quo magis id discrepare videatur præter exspectatum, quod mox jurgium exorietur, et majorem eliciat risum. N.

11. *Ægri*, i. e. ægritudinis. N.

Sed hoc me beat saltem, quod perduelleis vicit, et domum
Laudis compos revenit: id solatio'st. Absit; dummodo
Laude parta domum recipiat se: feram et perferam usque
Abitum ejus animo forti atque obfirmato, id modo si mercedis
Datur mihi, ut meus victor vir belli clueat; satis
Mihi esse ducam. Virtus præmium'st optumum.
Virtus omnibus rebus anteit profecto.
Libertas, salus, vita, res, parentes,
Patria et prognati tutantur, servantur;
Virtus omnia in se habet: omnia adsunt bona, quem penes est virtus.

AMPH. Edepol, me uxori exoptatum credo adventurum domum,
Quæ me amat, quam contra amo; præsertim re gesta bene,
Victis hostibus, quos nemo posse superari ratu'st:
Eos auspicio meo atque ductu primo cœtu vicimus:

12. *Perduelleis*. Vide supra I, 1, 34. N.

16. *Belli*, suppl. tempore, i. e. in bello. Ita Sallust. Jug. 45: « domi belliqueque paucorum arbitrio agitabatur », et Liv. I, 36: « nihil belli domique postea, nisi auspicato, gereretur ». *Clueat*, fama feratur. *Cluere* vetus verbum, versum ex græco κλύειν, audire, perhiberi, ut *inclutus*, dein *inclytus* ex κλυτὸς deductum. Eodem sensu et verbum *audire* usurparunt. Ex. g. « audire bonus, aud. rex », i. e. famam habere boni, rex nominari. Vid. Hor. Ep. I, 16, 17; Sat. II, 7, 101. N.

17. *Virtus præmium*, etc. Cave ne intelligas, ut alii, « virtus *ipsa sibi* optima est merces ». *Præmium* primitiva significatione h. l. profertur, scil. res utilis, commoda, bonum quodlibet. Igitur sententia est: « virtus est quod longe optumum habere possis ». Vide quam graviter nomen virtutis hac oratione matronali et romana repetatur. Plautus meminerat qua constantia Romani, urgente Hannibale haud ita pridem, patriam defendissent. N.

19. *Salus* perniciei, *vita* morti opponitur. Vivere possis, neque salvus esse, videl. si captus ab hostibus. N.

20. *Prognati*, nati. Vid. sup. I, 1, 209. *Tutantur* passive. N.

21. *Adsunt bona, quem*, etc. suppl. *ei* post *adsunt*. N.

22-26. *Edepol, me uxori...optato venturum scio.* Jam tum, credo, spectantium cachinnatio hunc sibi frustra gratulabundum excipiebat.

25. *Auspicio meo atque ductu*. Vid.

Certe enim me illi exspectatum optato venturum scio.
sos. Quid me non rere exspectatum amicæ venturum meæ?
ALCM. Meus vir hic quidem'st. AMPH. Sequere hac tu me.
ALCM. Nam quid ille revortitur,
Qui dudum properare sese aibat? an ille me tentat sciens?
Atque si id volt experiri, suum abitum ut desiderem,
Ecastor med haud invita se domum recipit suam.
sos. Amphitruo, redire ad navem meliu'st nos. AMPH. Qua gratia?
sos. Quia domi daturus nemo'st prandium advenientibus.
AMPH. Quî tibi istuc in mentem venit? sos. Quia enim sero advenimus.
AMPH. Quî? sos. Quia Alcumenam ante ædeis stare saturam intellego.
AMPH. Gravidam ego illanc heic reliqui, quom abeo. sos. Hei perii miser!
AMPH. Quid tibi'st? sos. Ad aquam præbendam commodum adveni domum,

sup. I, 1, 37. *Primo cœtu.* Prima congressione. Gl. MSS Pl. Boxh. *Primam coitionem* dixit Terentius Phorm. II, 2, 38. GRON.*

27. *Me exspectatum amicæ.* Fortasse, ut ex glande quercus, e scintilla lumen oritur, ita ex hoc servili scommate Cleanthis Molieri enata est. N.

29. *Me tentat?* Quæ sibi diffidi suspicatur propé est ab offensione et ira, et modo occasio detur, cito exardebit. *Sciens,* non imprudens, sic volens. N.

30. *Abitum desiderem,* illius absentis desiderium me teneat. Phædria à Thaide discedens: « me ames, ait, me desideres ». N.

32. *Qua gratia?* cur? Item fere, sed affirmandi modo, dixit Virgil. « quo munere », Georg. IV, 520. N.

33. *Prandium.* Recte *prandium;* nam domum veniunt mane. Solebat autem dari cœna peregre venientibus. Vide sup. I, 1, 140. N.

35. *Saturam.* Scurrilis jocus alludentis ad tumidum prægnantis ventrem. Vid. vs. 49. Sed mira nobis videtur Amphitruonis simplicitas, qui serio respondet. N.

36. *Quom abeo,* pro abii. Sic fere Virg. Æn. IX, 362: « Cingula..... olim Quæ mittit (miserat) dona, hospitio quum jungeret absens Cædicus, ille suo dat (dedit), etc. » N.

37. *Ad aquam præbendam commodum adveni domum.* Nam a partu lavationibus multum utebantur. Ter. Andr. III, 2, 3: *Fac istæc ut lavet.* TAUBM.—*Commodum, à propos.*

Decumo post mense, ut rationem te dictare intellego.
AMPH. Bono animo es. SOS. Scin' quam bono animo sim? si situlam cepero,
Nunquam, edepol, tu mihi divini quicquam creduis post hunc diem,
Ni ego illi puteo, si obcepso, animam omnem intertraxero.
AMPH. Sequere hac me modo, alium ego isti rei adlegabo, ne time.
ALCM. Magis nunc meum obficium facere, si huic eam advorsum, arbitror.

38. *Decumo post mense*, scil. lunari: qui menses nostris breviores. Tertull. « Legitima nativitas ferme decimi mensis ingressus est ». TURN. — Menses decem lunares ferme parem dierum summam atque novem solares conficiunt. *Ut rationem te dictare*, ut intelligo ex ea ratione quam dicis. Sosia *saturam* Alcmenam credere se simulavit, quia eam viderat utero tumentem; sed Amphitruo rationem dixit hujus tumoris, nempe gravidam esse Alcmenam. Igitur Sosia, quum simul cogitet se decem menses cum hero abfuisse, exclàmat: « computato quamdiu abfuerimus, scil. decem mensibus, et audita ratione quam dicis, intelligo me venisse in ipso partus tempore ». Frustra sunt qui *dictare rationem* quasi *computare*, *ratiocinari* interpretantur. Namque non Amphitruo computat quidquam, sed causam enarrat. Sosia vero computat menses. *Ratio* hoc sensu (*la raison de quelque chose*) apud multos auctores reperitur, sicut « dicere rationem » apud Gell. XV, 9. N.

39. *Scin' quam bono animo sim?* Jubenti bono esse animo respondet ironice, videlicet ita sum bono animo, ut sperem me exantlaturum exsiccando puteo. N.

40. *Numquam div. quidquam cred.* Formula est jurandi usitatissima. Vid. Asin. V, 2, 4: « neque divini, neque humani quidquam adcreduas, Artemona, si hujus rei, etc. » Simili modo gallice: *tenez-moi pour le plus grand menteur, si*, etc. N.

41. *Ni ego illi puteo*. Vult dicere: Nisi omnem aquam de puteo extraxero, et illum desiccaro: quæ esset quasi exanimatio putei. Aqua enim puteo videtur esse, quod anima est animantibus. CAMERAR.

43. *Magis obficium*, i. e. magis quam officium, ultra quam debeo. Nonnumquam hoc modo deficit *quam* post *magis*. Vid. Cas. II, 1, 9. Cic. Rosc. Amer. 14: « magis (quam) quadraginta annos natus ». Sæpissime illud *quam* cum adverbiis *plus* et *amplius* omittitur. Ex. g. « plus ducenti, amplius decem millia ». *Facere*, i. e. me facturam esse. Vid. sup. I, 1, 54. Decernit secum Alcmena se non ituram obviam conjugi, qui modo abiit, et quem credit redire ipsam tentandi gratia; sane uxoris officium non postulat,

AMPH. Amphitruo uxorem salutat lætus, speratam suam,
Quam omnium Thebis vir unam esse optumam dijudicat,
Quamque adeo civeis Thebani vero rumificant probam.
Valuistin' usque? exspectatusne advenio? SOS. Haud vidi magis
Exspectatum! eum salutat magis haud quisquam, quam canem.
AMPH. Et quom te gravidam, et quom pulchre plenam adspicio, gaudeo.
ALCM. Obsecro, ecastor, quid tu me deridiculi gratia
Sic salutas, atque adpellas, quasi dudum non videris,
Quasique nunc primum recipias te domum huc ex hostibus,
Atque me nunc proinde adpellas, quasi multo post videris?
AMPH. Imo equidem te, nisi nunc, hodie nusquam vidi gentium.
ALCM. Cur negas? AMPH. Quia vera didici dicere. ALCM. Haud æquom facit,

ut tali viro occursare velit. Gallice: *je serais trop bonne*. Inde autem jurgium. N.

44. *Speratam*, optatam; sic interrogabit, vs. 47, an ipse contra « exspectatus (optatus) » veniat. Ut Virg. Æn. II, 280: « exspectate venis », et Juvenal. Sat. VIII, 87: « exspectata provincia, etc. » Speratam dicebant virginem, antequam peteretur, teste Nonio h. voce. Et erat nomen amatorium. « Lubenter, mea sperata, consequor ». Plaut. in Astraba fragm. N.

46. *Rumificant*. Nonius *rumiferant*. ERN.

47. *Haud vidi magis*. Quum Amphitruo salutasset uxorem, neque illa quidquam responderet, quod virum a se paulo ante abiisse, sibique ab illo illudi arbitraretur: jocans, qui eis adstabat, servus Sosia inquit, « haud vidi magis Exspectatum! » quod venustissime quidem dictum est; et ex contrario intelligendum. MUR.

48. *Haud quisquam*. Nemo eorum qui adsunt; scilic. non Alcmena solum, sed familiares et pedissequæ. N.

49. *Pulchre plenam*, ample fœtatam. Sane histrionica Alcmena gibberem ingentem sibi aptaverat infra pectus, et spectatores, qui, præmonente Mercurio (I, 2, 18), sciebant, unde adaucta ventris rotunditas ita supercrevisset, ridebant lætatum inde Amphitruonem. N.

51. *Dudum* dicitur de tempore minore quam *nuper*, longiore quam *modo*. Terent. Eun. IV, 4, 30: « venit..... — Quando? — Hodie. — Quamdudum? — Modo ». Æque ac illud adverbium ferme valeant hæ

Qui, quod didicit, id dediscit : an periclitamini,
Quid animi habeam? sed quid huc vos revortimini tam cito?
An te auspicium conmoratum'st? an tempestas continet?
Qui non abiisti ad legiones, ita uti dudum dixeras?
AMPH. Dudum! quamdudum istuc factum'st? ALCM. Tentas; jam dudum, modo.
AMPH. Quî istuc potis est fieri, quæso, ut dicis, jam dudum, modo?
ALCM. Quid enim censes? te ut deludam contra lusorem meum,
Qui nunc primum te advenisse dicas, modo qui hinc abieris?
AMPH. Hæc quidem deliramenta loquitur. SOS. Paulisper mane,
Dum edormiscat unum somnum. AMPH. Quæne vigilans somniat.
ALCM. Equidem, ecastor, vigilo, et vigilans id, quod factum'st, fabulor.

voces gallico serm. *tantôt, quelque temps, peu de temps.* Sed illi *dudum* si *jam* adjunxeris, *jam dudum* temporis intervallum prorogat; sicut gall. *il y a déjà un peu de temps.* N.

56. *Quod didicit,* scil. vera dicere. Hoc respondet orationi Amphitruonis, « vera didici dicere ». Gallice vertamus: *on ne devrait pas oublier ce qu'on sait si bien. Periclitamini.* Gall. *vous voulez m'éprouver.* Vide infra III, 2, 33. N.

58. *Auspicium,* ominis aliquid infausti. De pravis religionibus vid. Terent. Phorm. IV, 4, 25. N.

60. *Dudum! quamdudum..... ? jam dudum, modo.* Gall. *il y a quelque temps! depuis quel temps? dites-moi. — Vous voulez m'éprouver! eh bien! depuis quelque temps, tout-à-l'heure.* Vid. v. 51. *Istuc,* illud quod tu narras. Omnes, præter Bipontinum editorem, dant: « jam dudum, pridem, modo », neque vident sic versum uno pede ultra octonarium metrum produci. Videlicet hoc *pridem* glossema vocis præcedentis *jam dudum* in textum imprudentia scribarum irrepserit. N.

61. *Istuc potis.* Existimandum apud antiquos fuisse *potis* commune trium generum, sicut *prior, posterior.* Conf. Priscian. VII, 13. *Jam dudum, modo.* Pugnant inter se hæ temporum definitiones, et ideo reclamat Amphitruo, quum rem jam per se satis obscuram verba obscurent magis. N.

62. *Contra,* vicissim, vide sup. v. 23. *Lusorem deludam.* Gallice: *que je raille mon railleur.* N.

65. *Quæne vigilans somniat.* Sic respondet Sosiæ: Quid enim exspectem; donec edormierit; nempe

Nam dudum ante lucem et istunc et te vidi. AMPH. Quo in loco?
ALCM. Heic, in ædibus, ubi tu habitas. AMPH. Nunquam factum'st. SOS. Non taces?
Quid si e portu navis huc nos dormienteis detulit?
AMPH. Etiam tu quoque adsentaris huic? SOS. Quid vis fieri?
Non tu scis, Bacchæ bacchanti si velis advorsarier,
Ex insana insaniorem facies, feriet sæpius:
Si obsequare, una resolvas plaga. AMPH. At, pol, quin certa res
Hanc est objurgare, quæ me hodie advenientem domum
Noluerit salutare. SOS. Inritabis crabrones. AMPH. Tace.
Alcumena, unum rogare te volo. ALCM. Quid vis rogare? roga.
AMPH. Num tibi aut stultitia adcessit, aut superat superbia?
ALCM. Quî istuc in mentem tibi, mî vir, percontarier?
AMPH. Quia salutare advenientem me solebas antidhac,
Adpellare itidem, ut pudicæ suos viros, quæ sunt, solent.

vigilat, quamvis somniet. Gall. *oh! elle rêve tout éveillée*. *Quæne*, i. e. et illa quidem. *Ne* non interrogat; ut in illo Horatii loco: « o seri studiorum, qui ne putetis, etc. » Sat. I, 10, 20. Vid. Priscian. XVI, 2. N.

68. *Non taces?* I. e. tace, noli contradicere. N.

69. *Quid si*, etc. Quid sit, quid dicas, si... Gallice: *qui sait? peut-être*, etc. N.

69. *Etiam tu quoque*, etc. Mirantur nonnulli quod *assentationem* Amphitruo reprehendat in iis quæ Sosia ironice dixit. At licet more suo Sosia jocatus sit, tamen Amphitruo desipienti, ut existimat, conjugi vel hoc modo adspirari non vult. N.

73. *Una resolvas*, etc. Hoc vult: Si Bacchæ bacchanti quæ obvios quosque, ex more, thyrso percutit, velis resistere, tanto plures ab ea plagas accipies, quanto diutius adverseris: si cedis et obsequeris, semel tantum feriet, non sæpius: una plaga ipsi satisfiet. Vid. Asin. II, 4, 27. LAMB. — Gall. *vous en serez quitte pour un seul coup*. — *At pol certa res*. Dixit Sosia « non tu scis...? » rursus Amphitruo: « at certus sum velle hanc objurgare ». N.

75. *Inritabis crabrones*. Proverbiale dictum.

77. *Superat*, abunde est. Sallust. Cat. 21: « superare illis divitias »; et passim apud auctores *superare* usurpatur pro *superesse*. Etiam in vocibus *superat* et *superbia* fit lusus. Cur autem superbam insimulet, vid. vs. 79. N.

79. *Antidhac*, antehac, deductum ex græco ἀντὶ, *d* per euphoniam inserto. N.

Eo more expertem te factam adveniens obfendi domi.
ALCM. Ecastor, equidem te certo heri advenientem illico
Et salutavi, et valuissesne usque, exquisivi simul,
Mî vir, et manum prehendi et osculum tetuli tibi.
SOS. Tun' heri hunc salutavisti? ALCM. Et te quoque etiam, Sosia.
SOS. Amphitruo, speravi ego istam tibi parituram filium;
Verum non est puero gravida. AMPH. Quid igitur? SOS. Insania.
ALCM. Equidem sana sum, et deos quæso, ut salva pariam filium.
Verum tu magnum malum habebis, si hic suum obficium facit:
Ob istuc omen, ominator, capies quod te condecet.
SOS. Enimvero prægnati oportet et malum malum dari,
Ut, quod obrodat, sit, animo si male esse obcœperit.

81. *Eo more expertem*. Vulgo antiqui *expers* cum ablativo composuere. Lucret. VI, 1180. Sall. Cat. 31. *Obfendi* est occurrere, invenire, sed cum implicita notione alicujus molestiæ. N.

87. *Insania*. Non filius tibi ex ea nascetur, sed filia, nomine Insania. N.

90. *Ob istuc omen*. Ob tuum vaticinium de meo partu. Mala verba reformidabant veteres. N.

91. *Et malum malum dari*. Editores post Camerarium fere omnes dant « et malum et malum dari ». Sed reperio in editione principe 1472 « malum dari », in Venetiana 1518 et in Aldina 1522, « et malum dari », quod libro MS quarti decimi seculi confirmatur. Videlicet Camerarius, quum videret hunc versum uno pede minorem quam cæteros, quibus insertus est, octonarios, ingeniose defectum supplevit iteratis verbis: « et malum dari »; quod credo posse fieri, si « malum » dumtaxat geminaverit. Nunc, ut sententiam facete ancipitem intelligas, quæ in verbo *malum* vertitur, oportet scias apud veteres fuisse in usu prægnantibus dare citrei mali semen, in malacia, edendum, teste Plin. Hist. Nat. XXIII, 6. Ergo quum Alcmena modo imprecata sit Sosiæ *malum*, ille respondet: « at prægnanti oportet dari et (quoque) malum » (correpta syllaba priore); statim vero, quasi linguæ lapsus esset, repetit verbum *malum*, sed producta eadem syllaba. Quid sit « malum dare » priori sensu, vid. Prolog. 27. Forsan melius sit, neque mutare neque addere quidquam MSS, ita ut Sosia semel

AMPH. Tu me heri heic vidisti? ALCM. Ego, inquam, si vis decies dicere.
AMPH. In somnis fortasse. ALCM. Imo vigilans vigilantem. AMPH. Væ misero mihi!
SOS. Quid tibi'st? AMPH. Delirat uxor. SOS. Atra bili percita'st.
Nulla res tam deliranteis homines concinnat cito.
AMPH. Ubi primum tibi sensisti, mulier, inpliciscier?
ALCM. Equidem ecastor sana et salva sum. AMPH. Cur igitur prædicas,
Te heri me vidisse, qui hac noctu in portum advecti sumus?
Ibi cœnavi, atque ibi quievi in navi noctem perpetem.
Neque meum pedem huc intuli etiam in ædeis, ut cum exercitu
Hinc profectus sum ad Teleboas hosteis, eosque ut vicimus.
ALCM. Imo mecum cœnavisti, et mecum cubuisti. AMPH. Quid id est?
ALCM. Vera dico. AMPH. Non quidem hercle de hac re; de aliis nescio.
ALCM. Primulo diluculo abivisti ad legiones. AMPH. Quomodo?

malum dicat ancipiti sententia et pronuntiatione. N.

95. *Atra bili*. Conf. Senec. epist. 92: « bilis nigra curanda est, et ipsa furoris causa removenda ». N.

96. *Concinnat*. Vid. sup. I, 3, 31. N.

97. *Inpliciscier*. Quando sensisti fieri tibi implicationem, scil. morbi? *Quand avez-vous commencé à vous sentir prise?* Supervacaneum mihi videtur supplere, quod multi volunt, « mentem atra bili ». Sed verbum *impliciscier* accipio impersonaliter, hoc modo: « quando primo implicitum est tibi? » Animadvertas quoque velim formam inchoativam commode hic verbo adjici, quod derivatum est ab obsoleto *implicere*. N.

99. *Me... qui... advecti sumus*. Scil. Amphitruo advectus est cum suis; et de se loquitur, tanquam de multitudine. N.

101, 102. *Ut... profectus... ut vicimus*. Intellige *ex quo*. Plaut. Stich. I, 1, 28: « ut abierunt domo hic tertius annus est ». Ovid. Trist. V, 10: « Ut sumus in Ponto, ter frigore constitit Ister ». N.

103. *Quid id est?* Meursius hic versum, qui est in mediis edd. restituit: « Nihil te pudet, scelesta,

SOS. Recte dicit; ut conmeminit, somnium narrat tibi.
Sed, mulier, postquam experrecta's, prodigiali Jovi
Aut mola salsa hodie, aut thure conprecatam oportuit.
ALCM. Væ capiti tuo! SOS. Tua istuc refert, si curaveris.
ALCM. Iterum jam hic in me inclementer dicit, atque id sine malo?
AMPH. (ad Sosiam) Tace tu : (ad Alcmenam) tu dic : egone abs te abii hinc hodie cum diluculo?
ALCM. Quis igitur, nisi vos, narravit mihi, illi ut fuerit prælium?
AMPH. An etiam id tu scis? ALCM. Quippe quæ ex te audivi : ut urbem maxumam
Expugnavisses; regemque Pterelam tute occideris.
AMPH. Egone istuc dixi? ALCM. Tute istic, etiam adstante hoc Sosia.
AMPH. Audivistin' tu me narrare hoc hodie? SOS. Ubi ego audiverim?
AMPH. Hanc roga. SOS. Me quidem præsente nunquam factum'st, quod sciam.

populi in conspectum ingredi? » Sed non apparet in primis edd. neque vulgo in MSS. ERN.

107. *Prodigiali*, i. e. prodigiorum depulsori. TURN. — Quam multa fuere deorum ministeria, vel religiones, tam varia cognomina iis adscita. Vid. lexic. Pitisci. voc. *Jupiter*. Maxima fuit apud veteres somniorum religio, quæ si mentem infaustis vel prodigiosis imaginibus terruerant, statim sacris et precibus rite homines sese expiabant. Non ad Jovem solum illa expiatio pertinebat. Sed Plautus commodissime nunc Sosiæ dedit mentem, ut Jovem præcipue nominet, qui deus optime sciat quid Alcmena somniarit. N.

108. *Mola salsa*. Pompon. Sab. ad Virg. Ecl. VIII, 8, « *mola* appellatur molitum far ad sacrificia; addito sale dicitur mola salsa, ut ait Varro ». *Fruges salsas* dixit Virgil. Æn. II, 133. N.

109. *Istuc.... si curaveris*. Istuc, sc. tuum prodigium. Solemne fuit verbum « curare, procurare prodigia » pro « expiare ». Vide Ind. Livii nostri voc. *prodigia*, p. 307. *Tua... refert*. Quando Alcmena irascitur monenti, Sosia omittit jam ultro eam admonere : non mea, inquit, sed tua refert. N.

110. *Sine malo*. Id est, impune. Vide sup. vs. 89. LAMB.

115. *Tute istic*. Vid. sup. II, 1, 25. N.

117. *Quod sciam*. Quantum scio. Gall. *que je sache*. N.

ALCM. Mirum, quin te advorsus dicat. AMPH. Sosia, age, me huc adspice.
SOS. Specto. AMPH. Vera volo loqui te: nolo adsentari mihi.
Audivistin' tu hodie me illi dicere ea, quæ illa autumat?
SOS. Quæso, edepol, num tu quoque etiam insanis, quom id me interrogas?
Qui ipsus equidem nunc primum istanc tecum conspicio simul.
AMPH. Quin nunc, mulier, audin' illum? ALCM. Ego vero; ac falsum dicere.
AMPH. Neque tu illi, neque mî viro ipsi credis? ALCM. Eo fit, quia mihi
Plurimum credo, et scio ista hæc facta proinde ut proloquor.
AMPH. Tun' me heri advenisse dicis? ALCM. Tun' te abîsse hodie hinc negas?
AMPH. Nego enimvero; et me advenire nunc primum aio ad te domum.
ALCM. Obsecro, etiamne hoc negabis, te auream pateram mihi
Dedisse dono hodie, qua te illeic donatum esse dixeras?
AMPH. Neque, edepol, dedi, neque dixi: verum ita animatus fui,
Itaque nunc sum, ut ea te patera donem: sed quis istuc tibi
Dixit? ALCM. Ego quidem ex te audivi, et ex tua adcepi manu

118. *Mirum, quin*, etc. Ironice; mirum, quod non tibi contradicat! Sic Aulul. I, 2, 7: « Mirum, quin me faciat Jupiter Darium regem ». LAMB. — Vide Indic. v. *quin*. — *Me huc adspice*. Formula est parandæ attentioni, qualis ea Græcis usitata: οὗτος, βλέψον δεῦρο. Nost. in Capt. III, 4, 38: « agedum, adspice ad me ». TAUBM.

120. *Autumat*, dicit, ut supra I, 1, 150. N.

123. *Quin nunc*. Affirmantis est, pro « atque etiam ». TAUBM. — *Egò vero*. Scil. audio: et hoc etiam audio, ipsum mentiri. CAMER.

126. *Tun' me heri*, etc. Non potes legere hæc atque talia apud Plaut. neque mirari diverbii scribendi artificium. N.

130. *Ita animatus fui*, i. e. hic mihi fuit animus, hoc volui. Vid. I, 1, 54. N.

Pateram. AMPH. Mane, mane, obsecro te. Nimis demiror, Sosia,
Quî illæc illeic me donatum esse aurea patera sciat,
Nisi tu dudum hanc convenisti, et narravisti hæc omnia.
SOS. Neque, edepol, ego dixi, neque istam vidi, nisi tecum simul.
AMPH. Quid hoc sit hominis! ALCM. Vin' proferri pateram? AMPH. Proferri volo.
ALCM. Fiat : tu, Thessala, intus pateram proferto foras,
Qua hodie meus vir donavit me. AMPH. Secede huc tu, Sosia.
Enimvero illud præter alia mira miror maxume,
Si hæc habet pateram illam. SOS. An etiam id credis, quæ in hac cistellula
Tuo signo obsignata fertur? AMPH. Salvom signum'st? SOS. Inspice.
AMPH. Recte ita'st, ut obsignavi. SOS. Quæso quin tu istanc jubes
Pro cerita circumferri? AMPH. Edepol, quin facto'st opus.

137. *Quid hoc*, etc. Quæ hæc homo est? Hæc secum Amphitruo, quasi dicat : Hæc illa nosse non potest, nisi per artes, quæ superant humanas. Taubm. — Malim referri hæc ad Sosiam. Commodius ea esset exclamatio indignantis adversus servum, de quo male suspicatur. Similiter scen. præc. vs. 26, eumdem Amphitruo increpabat. N.

138. *Intus...proferto.* I. e. e domo. Sosip. Char. ed. Putsch. p. 180, h. l. laudat, et Menechm. « evocate intus mihi cocum..... foras » ; et Bacchid. « argentum jubebo jam intus ecferri foras ». Si præpositiones, inquit, adverbiis consociari possent, diceretur *ex intus*. Vide Indic. v. *intus*. N.

139. *Secede huc.* Sibi adesse propius Sosiam jubet, ne subripiatur patera quam ille gerit, et simul ut ipse testis videat. N.

141. *Id credis, quæ...* Id fieri posse de patera quæ... *In hac*, quam ego, eccam, gero. N.

144. *Cerita.* « Ceriti et Larvati, male sani, aut Cereris ira, et Larvarum incursione animo vexati ». Non. — *Circumferri. Circumferre* verbum pontificale est, pro, lustrare, et lustratione curare : ut notat Servius ad illud Virgil. Æn. VI : « *Idem ter socios pura circumtulit unda. Circumtulit*, id est, purgavit : nam lustratio a circumlatione dicta est vel tædæ vel sulphuris ». Scal. — Non solum tæda

Nam hæc quidem, edepol, larvarum plena'st. ALCM. Quid verbis opu'st?
Hem tibi pateram, eccam. AMPH. Cedo mihi. ALCM. Age, adspice huc sis nunc jam,
Tu, qui, quæ facta, inficiare; quem ego jam heic convincam palam.
Estne hæc patera, qua donatus illi? AMPH. Summe Juppiter,
Quid ego video! hæc ea'st profecto patera: perii! Sosia.
SOS. Aut, pol, hæc præstigiatrix mulier multo maxuma'st,
Aut pateram heic inesse oportet. AMPH. Agedum, solve cistulam.
SOS. Quid ego istam exsolvam? obsignata'st recte: res gesta'st bene;
Tu peperisti Amphitruonem; ego alium peperi Sosiam:
Nunc si pateram patera peperit, omnes congeminavimus.
AMPH. Certum'st aperire, atque inspicere. SOS. Vide sis signi quid siet:
Ne posterius in me culpam conferas. AMPH. Aperi modo:
Nam hæc quidem nos deliranteis facere dictis postulat.

et sulphure lustrabatur, sed etiam scilla aliisque rebus pluribus ad eam rem aptis; simulque arcanum quoddam carmen submurmurabant lustrantes. Qua de re legend. Macrob. III, 1. Lucian. Necyom. ἐκάθηρέ τέ με, καὶ ἀπέμαξε καὶ περιήγισε δᾳδὶ, σκίλλῃ, καὶ ἄλλοις πλείοσιν, ἅμα καὶ τὴν ἐπῳδὴν ἐκείνην ὑποτονθορύσας. GRONOV.* — *Quin*, imo, certe. *Facto'st opus*, i. e. istud faciendum est. LAMB.

145. *Larvarum*. « Larvas, inquit Isidor. Orig. VIII, cap. 11 in fine, ex hominibus factos dæmones aiunt, qui meriti mali fuerunt; quorum natura esse dicitur terrere parvulos, in angulis garrire tenebrosis ». Narrat Augustin. Civ. Dei, IX, 11, a Platone dici animas hominum dæmones esse, et e mortuis fieri, si mali fuerint, lemures seu larvas. N.

146. *Cedo*, da mihi illam. LAMB.

148. *Illi* pro illic, ut vs. 112. *Summe Juppiter.* Rideat sane Jupiter, si audierit. N.

152. *Obsignata'st recte.* Vide vs. 143. N. — *Res gesta est bene.* Hoc ad ea quæ sequuntur, pertinet: quasi dicat: Bene habet, quod e simplis gemini sumus facti. LAMB.

155. *Vide sis signi quid siet*, inspice signum quale sit, quam integrum. N.

157. *Postulat*, vult. Vide sup. I, 1, 205. N.

ALCM. Unde hæc igitur est, nisi abs te, quæ mihi dono data'st?
AMPH. Opus mî est istuc exquisito. SOS. Juppiter, proh Juppiter!
AMPH. Quid tibi'st? SOS. Heic patera nulla in cistula'st. AMPH. Quid ego audio?
SOS. Id quod verum'st. AMPH. At cum cruciatu jam, ni adparet, tuo.
ALCM. Hæc quidem adparet. AMPH. Quis igitur tibi dedit? ALCM. Qui me rogat.
SOS. Me captas, quia tute ab navi clanculum huc alia via
Præcurristi: atque hinc pateram tute exemisti, atque eam
Huic dedisti, posthac rursus obsignasti clanculum.
AMPH. Hei mihi! jam tu quoque hujus adjuvas insaniam.
Ain' heri nos advenisse huc? ALCM. Aio, adveniensque illico
Me salutavisti, et ego te, et osculum tetuli tibi.
AMPH. Jam illud non placet principium de osculo: pergam exsequi.
ALCM. Lavisti. AMPH. Quid, postquam lavi? ALCM. Adcubuisti. SOS. Euge! optime.
Nunc exquire. AMPH. Ne interpella. Perge porro dicere.
ALCM. Cœna adposita'st: cœnavisti mecum: ego adcubui simul.

158. *Nisi abs te quæ mihi.* Unde mihi obtigit ea, quæ mihi dono data est, nisi abs te (data). GRON.

159. *Opus istuc exquisito.* Opus est exquirere istud quod dicis, an verum sit, inspecta intus cistellula. Notandum est participium vices gerens infiniti. Sic fere Cistellar. I, 2, 10, « tacere nequeo quod tacito usus (opus) est ». N.

161. *At cum cruciatu,* id est, væ tibi. Gloss. MSS Pl. BOXHORN.

163. *Me captas,* etc. Me ludificas; circumvenire dolo studes. Gall. *vous voulez m'attraper.* Optimum sane lepidi scriptoris commentum! Quo magis amenti inops furore Amphitruo insaniat, hoc unum superest ut Sosia cum Alcmena ad ipsum doli insimulandum conspiret. Quid autem aliud hilaritatem spectantium magis concitet, quam ita conflictatus utrinque Amphitruo? N.

169. *Pergam exsequi.* Muret. Var. Lect. lib. X, cap. 10, ait legendum, *perge exsequi*, narrare. TAUBM. — Sed potes interpretari: « rem, quæstionem exsequar ». N.

170. *Adcubuisti,* mensæ. LAMB.

AMPH. In eodem lecto? ALCM. In eodem. SOS. Hei! non placet convivium.
AMPH. Sine modo argumenta dicat. Quid, postquam cœnavimus?
ALCM. Te dormitare aiebas: mensa ablata'st, cubitum hinc abiimus.
AMPH. Ubi tu cubuisti? ALCM. In eodem lecto tecum una in cubiculo.
AMPH. Perdidisti! SOS. Quid tibi'st? AMPH. Hæc me modo ad mortem dedit.
ALCM. Quid jam, amabo? AMPH. Ne me adpella. SOS. Quid tibi'st? AMPH. Perii miser!
Quia pudicitiæ hujus vitium me heic absente'st additum.
ALCM. Obsecro, ecastor, cur istuc, mî vir, ex ted audio?
AMPH. Vir ego tuus sim? ne me adpella falso falso nomine.
SOS. Hæret hæc res: siquidem hæc jam mulier facta'st ex viro.
ALCM. Quid ego feci, qua istæc propter dicta dicantur mihi?

173. *Lecto?* Convivali, more veterum discumbentium. ERN.

174. *Argumenta dicat.* Res, facta, causam enarret: nam quæstio nunc habetur; se defendit Alcmena. Noli intelligere: « Sine ipsa edisserat, quibus convincatur, argumenta ». Vid. Captiv. V, 3, 14. Mostell. I, 2, 2. N.

175. *Dormitare,* verbum desiderativum potius, quam frequentativum. TURNEB.

177. *Perdidisti.* Scil. me. N.

178. *Amabo,* formula blande rogantis vulgatissima, sed ibi ridicule apposita; quippe quæ Amphitruoni accepta non videatur. N.

179. *Quia pudicitiæ ... additum.* Quia vitiata hujus est pudicitia, illi stuprum illatum, me absente. Vitiatam virginem dicit Terentius, quæ vim perpessa est, Eunuch. IV, 4, 37. N.

181. *Ne me adpella falso falso nomine,* i. e. ne me alloquere false, per mendacium, falso nomine, scil. viri tui, qui jam nolo esse. N.

182. *Hæret hæc res,* i. e. hæc res non facile posset expediri, explicari. Pseudol. IV, 2, 28. Trinum. IV, 2, 59. LAMB. — *Hæc* dicitur de Amphitruone, quasi facta esset femina ex viro; nempe ille dixit modo: « Ne me appella falso nomine *virum* ». Sed intelligebat *conjugem*. Sosia nomen ad sensum dominantem retraxit. Insulsa scurrilitas et indigna tali diverbio. N.

183. *Qua istæc propter.* Tmesis pro « quapropter istæc ». TAUBM.

AMPH. Tute edictas facta tua, ex me quæris quid deliqueris?
ALCM. Quid ego tibi deliqui, si, cui nupta sum, tecum fui?
AMPH. Tun' mecum fueris? quid illac impudente audacius?
Saltem tute, si pudoris egeas, sumas mutuum.
ALCM. Istuc facinus, quod tu insimulas, nostro generi non decet.
Tu si me impudicitiæ captas, non potes capere.
AMPH. Proh dî inmortales! cognoscin' tu me saltem, Sosia?
SOS. Propemodum. AMPH. Cœnavin' ego heri in navi in portu Persico?
ALCM. Mihi quoque adsunt testes, qui illud, quod ego dicam, adsentiant.
AMPH. *Qui? testes?* ALCM. *Testes.* AMPH. *Quid testiculare?* ALCM. *Enim uno sat est;*
Nec nobis præsente aliquis nisi servos Sosia adfuit.
SOS. Nescio quid istuc negotii dicam, nisi quispiam est
Amphitruo alius, qui forte te heic absente tamen
Tuam rem curet, teque absente, heic munus fungatur tuum:

185. *Tecum fui.* Honeste dictum, matronæ decore. N.

187. *Saltem ..... sumas mutuum.* Eam *impudentiæ* arguit versu præcedente, et nunc hortatur saltem velit ab alia pudorem, quo eget, mutuare. Locutio «pudorem sumas mutuum» irato parum convenit. N.

188. *Nostro generi non d.* i. e. meæ prosapiæ n. d. Veteres indifferenter dixerunt *nos* et *nobis decet.* Terentius ita usus est ut Plautus, Terent. Adelph. III, 4, 45; V, 8, 5. LAMB.

189. *Impudicitiæ captas.* Si me calumniando arguere impudicitiæ tentas, non potes deprehendere. Vid. vs. 163. N.

191. *Propemodum.* Vix audet affirmare se agnoscere Amphitruonem, quippe qui modo ipse se fateri Sosiam non esse argumentis nuper coactus sit. N.

193. *Testes... Testiculare ... uno sat est.* Subest in verborum ambiguitate lusus, quo romana plebecula, credo, delectabatur, quem Daceria in adnotationibus suis omisit explicare. Suspecti sunt hi duo versus. N.

194. *Nobis præsente.* Præsente et absente nobis, vulgo in usu fuisse docet Nonius in verbo *absente.* Sic Terent. Eunuch. IV, 3, 7: «Nescio quid profecto absente nobis turbatum est domi». LAMB.

195. *Nescio quid istuc negotii dicam.* Non possum dicere quid hoc sit quod tibi accidit. N.

196. *Tuam rem curet.* Procuratio sane non grata Amphitruoni. Lepide Sosia ludificatur. N.

Namque de illo subditivo Sosia mirum nimis est.
Certe de istoc Amphitruone jam alterum mirum'st magis.
Nescio qui præstigiator hanc frustratur mulierem.
ALCM. Supremi regis regnum juro, et matrem familias,
Junonem, quam me vereri et metuere'st par maxume,
Ut mi, extra unum te, mortalis nemo corpus corpore
Contigit, quo me inpudicam faceret. AMPH. Vera isthæc velim.
ALCM. Vera dico, sed nequicquam: quoniam non vis credere.
AMPH. Mulier es, audacter juras. ALCM. Quæ non deliquit, decet
Audacem esse, confidenter pro se et proterve loqui.
AMPH. Satis audacter. ALCM. Ut pudicam decet. AMPH. Tu verbis probas.

201. *Matrem familias.* Juno præest conjugiis, ex quo Γαμήλιος dicitur. Virg. Æneid. IV: « Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ». Dicitur et Pronuba, dicitur et Lucina. LAMB. —Obtestari Junonem in re quæ ad matrimoniale decus pertinebat, par fuit; sed cur in hoc loco per Jovem et Junonem obtestatio gravissima esset simul et ridicula, non sentiebat Alcmena, at spectatores intelligebant. *Matrem familias* appellat reginam deorum, quod nomen præcipuum dignitatis muliebris fuit, ut gallice dicitur *notre dame*. N.

203. *Extra*, præter. *Mortalis nemo.* Scilicet ipse regit mulieris linguam Jupiter, namque veritatem calumnia verborum nesciens eludit. N.

206. *Mulier es*, etc. Veteres, quo superbius invalesceret opinio virilem sexum alteri longe præstare, tanquam leve, subdolum, impotens animal, mulieres despicere affectabant. Neque tantum jocosissimi cujusque in scriptis, vel sermonibus, ea fuit dicacitas. Quis nescit ea quæ apud Livium adversus mulieres concionatur Cato certe non ridibundus? Aliud quoque censorium exstat hujus rei testimonium apud Gellium, I, 6; Metellus, vir gravis, hæc ad populum in censura: « Si sine uxore, Quirites, possemus esse, omnes ea molestia careremus; sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis satis commode, nec sine illis ullo modo vivi possit, saluti perpetuæ potius quam brevi voluptati consulendum». Ergo Plautus fere nusquam mulieres scommatibus pepercit lacessere, qui spectantium animos dicteriis hilarare quam laudem muliebrem vindicare severis commentis malebat. His contraria Terentius fecit, qui fere semper probas, injuriarum patientes, commiseratione et amore dignas produxit mulieres. N.

207. *Proterve.* Vulgo in malam partem accipitur *protervus*, sed hic in bonam, sicut verbum *atrox* apud Horatium, qui animum atrocem Catonis prædicat. N.

208. *Tu verbis probas*, non factis. Posset esse « verbis proba's». N.

ALCM. Non ego illam mihi dotem duco esse, quæ dos dicitur:
Sed pudicitiam, et pudorem, et sedatum cupidinem,
Deûm metum, parentum amorem, et cognatûm concordiam:
Tibi morigera, atque ut munifica sim bonis, prosim probis.
SOS. Næ ista, edepol, si hæc vera loquitur, ex amussim'st optuma.
AMPH. Delenitus sum profecto ita, ut me qui sim nesciam.
SOS. Amphitruo es profecto: cave sis ne tu te usu perduis:
Ita nunc homines inmutantur, postquam peregre advenimus.
AMPH. Mulier, istam rem inquisitam certum'st non amittere.
ALCM. Edepol, me libente facies. AMPH. Quid ais? responde mihi.

209. *Non ego illam dotem*, etc. Sic Horat. Od. III, 14: « Dos est magna parentium Virtus, et metuens alterius viri Certo fœdere castitas ». LAMB.—Crebro apud Nostrum dotatarum superbia taxabitur, et simul virorum avaritia qui dote venalem suam libertatem conjugi mancipaverint. Titinnius lepide: « Dotibus deleniti, ultro uxoribus ancillantur ». N.

211. *Cognatum concordiam*, familiæ utriusque connubio conjunctæ. *Cognatio* pro affinitate ponitur. Ovid. Met. IX, 412. Senec. Contr. III, 21. N.

212. *Morigera.* Obsequitur quæ morem gerit. Ea fuit laus præcipua uxoris apud veteres. N.

214. *Delenitus sum. Delenitus* exponitur hic *mente alienatus*, a Nonio. Scip. Gentilis docet, etiam apud JCtos *delenimenta* et *delenifica dicta*, sumi pro incantationibus et venenis, quibus mens de suo statu dejicitur. LAMB. — Hæc ironice quidem ille: « Certe me ita præstigiis verborum delenivit, ut illi credam potius quam mihi et nesciam an ego sim? » N.

215. *Usu perduis.* Eodem modo dictum *usu perdere* qua *usu capere*, *usu facere suum*. Vid. I, 1, 219. Ut usu quæruntur rerum dominia, ita usu amittuntur. LAMB.—*Usu perduis.* Sic jocatur servus: Cave ne te perdas, si quidem dicis te ignorare qui sis; nam posset alius (ait vetus interpres) in tui locum succedere; et sic te privare te ipso. ERN.

217. *Inquisitam*, non quæsitam, inexploratam. LAMB.—Vid. inf. IV, 1, 9. Fuere multa verba composita ex præpositione *in*, quæ communia essent modo negativæ, modo affirmativæ significationis. Ex. g. infractus, inlacessitus. Videre est Plautinum quemdam parasitum ludentem versatili ingenio hujus vocis *in*, Captiv. I, 1, 1. N.

Quid si adduco tuum cognatum huc a navi Naucratem,
Qui mecum una vectu'st una navi : atque is si denegat
Facta, quæ tu facta dicis, quid tibi æquom'st fieri?
Nunquid causam dicis, quin te hoc multem matrimonio?
ALCM. Si deliqui, nulla causa'st. AMPH. Convenit. Tu, Sosia,
Duc hos intro : ego huc ab navi mecum adducam Naucratem.
SOS. Nunc quidem præter nos nemo'st : dic mihi verum serio,
Ecquis alius Sosia intu'st, qui mei similis siet?
ALCM. Abin' hinc a me dignus domino servos. SOS. Abeo, si jubes.
ALCM. Nimis, ecastor, facinus mirum'st, quî illi collibitum siet
Meo viro, sic me insimulare falsum facinus tam malum.
Quicquid est, jam ex Naucrate cognato id cognoscam meo*.

222. *Quin te mult. matrim.* Multare aliquem aliqua re est ea re illum privare pœnæ causa. Si divortio dimitteretur uxor inculpata, dos reddebatur, hac formula : Res tuas tibi habe. Sin autem adulterii convinceretur, maritus dotem repudiatæ retinebat sibi. *Matrimonium* pro dote simul et matrimonii conditione accipitur. Sic ratiocinatur Amphitruo : Quum tuus te cognatus adulterii convicerit, an poteris aliquam objicere causam, cur non te repudiatam dote tua mulctem. N.

224. *Duc hos intro,* captivos. LAMB.

227. *Abeo, si jubes.* Jocus ex ambiguo. Nam et qui manumittuntur, abire a dominis jubentur. LAMB.

* Quum hanc scenam perlegeris, cogitans quam tenui simul et forti deducta sit filo, quam naturaliter jurgium ineatur, quam ridiculum in modum hæreat errorum utriusque altercantis implicatio, quanta vehementia et quam habili tenore pergat diverbium, quod plerumque nolentes neque scientes, et sic multo lepidius, crebris facetiis interserunt, denique quo progressu ad summam rerum perturbationem jocosa inquisitio deveniat, agnosces eum esse auctorem, cui Varro, arbiter sapientissimus, *palmam in sermonibus* vere detulerit. N.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

JUPITER.

Ego sum ille Amphitruo, quoju'st servos Sosia,
Idem Mercurius qui fit, quando commodum'st,
In superiore qui habito cœnaculo,
Qui interdum fio Juppiter, quando lubet.

1. *Ego sum*, etc. Hæc profecto Jovis μονωδία non græci artificii arguit calliditatem, sed Plautus tale ex ingenio affinxit embolium, quo rudes spectatorum recrearet animos, et fastidia eorum occuparet, iterato quasi prologo, et propositis de integro ad exspectationem concitandam, quæ mox ventura festinantur. Ejus autem ratio longe alia fuit ac Terentii, sed populo acceptissima, utpote quæ, tunc Romæ puerascente comœdia, intellectui auditorum accommodaretur. Scilicet ii, ut continuo fabulæ actu et verosimili specie jucunde fallerentur, non poscebant, sed mire scurrilitatibus vel extraneis delectabantur; ut videre est in Curcul. act. IV, 1; Pseud. I, 5, 149, et aliis passim fabulis. Quemadmodum pueros juvat crepundia, si qua lateant organa, scrutari intus et distruere, ita machinationem histrionicam, interrupto comœdiæ simulacro, palam sibi fieri Romanis tunc placuit. N. —*Ego*. Qui nunc loquitur, unus tres profitetur se personas gerentem simul, histrionis, Jovis dissimulati, simulati Amphitruonis. N.

2. *Idem Mercurius qui fit*... Hoc incidens comma perplexam orationem facit, et sequentia « Qui habito... qui fio Juppiter... » ab his «ego sum Amphitruo ille» distrahere videtur incommode. Sententia est: Ego sum ille *falsus* Amphitruo qui fio Jupiter, etc. et quojus est servus ille *falsus* Sosia qui fit Mercurius, quando lubet. N.

3. *In superiore cœnaculo*, jocus ex ambiguo; nam referri potest et ad Jovem, qui *maxima*, ut dixit Ennius, *cœnacula cœli* habitat, et ad histrionem, servile genus, vel pauperculum hominem, in superiore domus cœnaculo ad tegulas degentem. Turn.

Huc autem quom extemplo adventum adporto, illico
Amphitruo fio, et vestitum inmuto meum.
Nunc huc honoris vostri venio gratia,
Ne hanc inchoatam transigam comœdiam,
Simul Alcumenæ, quam vir insontem probri
Amphitruo adcusat, veni, ut auxilium feram:
Nam mea sit culpa, quod egomet contraxerim,
Si id Alcumenæ innocenti expetat.
Nunc Amphitruonem memet, ut obcœpi semel,
Esse adsimulabo, atque in horum familiam
Frustrationem hodie injiciam maxumam:
Post igitur demum faciam res fiat palam,
Atque Alcumenæ in tempore auxilium feram,
Faciamque ut uno fetu, et quod gravida'st viro,
Et me quod gravida'st, pariat sine doloribus.
Mercurium jussi me continuo consequi,
Si quid vellem imperare: nunc hanc adloquar.

5. *Quom extemplo*, i. e. quum primum, simul atque. Lamb.—*Adventum adporto* advenio. Sic Lucret. IV, 1238, *adfigere adhæsum*. Lamb.

7. *Honoris vostri gratia*. Vid. sup. I, 2, 24. Sic Liv. xxxiii, 42, Flaminii honoris causa frumentum Siculos Romam advexisse narrat. N.

8. *Inchoatam transigam comœdiam*. Ne comœdiæ imperfectæ in principio finem faciam. Lamb.

11. *Quod egomet contraxerim, si id*. Verborum inversio Plauto usitatissima, i. e. «Mea culpa fiat, si id, quod ego feci evenire, Alcumenæ imputetur.» N.

14. *Familiam*. Familia complectitur heros et famulos, sicut supra, I, 1, 202. N.

15. *Frustrationem*, errores, quibus eorum intellectus perturbetur. N.

18. *Quod gravida'st*. Neutro genere significabatur puer in utero parentis, sup. I, 3, 3. Per hellenismum jungitur casus accusandi cum *gravida*, pronomen *quod* retrahente ad se et sic regente verbo *pariat;* nempe «pariat id quo gravida est.» N.

SCENA SECUNDA.

ALCUMENA, JUPITER.

ALCM. Durare nequeo in ædibus: ita me probri,

1. *Durare*, etc. Dum verus Amphitruo arbitros quæsitum abiit, dat falsum Amphitruoni locum, ut ille novam paret frustrationem, et ob-

Stupri, dedecoris a viro argutam meo!
Ea quæ sunt facta, infecta refert, ac clamitat.
Quæ neque sunt facta, neque ego in me admisi, arguit:
Atque id me susque deque esse habituram putat.
Non edepol faciam, neque me perpetiar probri
Falso insimulatam, quin ego illum aut deseram,
Aut satisfaciat mihi ille, atque adjuret insuper,
Nolle esse dicta, quæ in me insontem protulit.
JUP. Faciundum'st mihi illud, fieri quod illæc postulat,
Si me illam amantem ad sese studeam recipere:
Quando ego quod feci, factum id Amphitruoni obfuit,
Atque ille dudum meus amor negotium
Insonti exhibuit; nunc autem insonti mihi
Illius ira in hanc et maledicta expetent.
ALCM. Et, eccum, video, qui me miseram arguit
Stupri, dedecoris. JUP. Te volo, uxor, conloqui.

viam ultro fertur Alcmena, quam exagitat dolor inquies, neque sinit domi manere. Plautus, quando lubet, dramaticum recte peragit opificium. DACERIA.

5. *Id me susque deque esse habituram putat.* «Susque deque ferre», et «susquedeque habere», significat non magno aliquid pendere, atque interdum negligere et contemnere, ἀδιαφορεῖν. Gell. XVI, 9. ERN.

7. *Quin*, ita ut non. Gallice *sans que*. N.

8. *Satisfaciat.* Injuriæ rei jurabant se agnoscere, quod indigno eam injuriam intulissent, et nolle factum; atque ita satisfiebat, modo intra verba injuria constitisset. Conf. Terent. Adelph. II, 1, 8-11; leno monet adolescentem injuriose secum agere parantem, se suum jus persequuturum, licet ille postea purgare factum voluerit. Neque tu, inquit, *verbis* solves unquam, quod mihi *re* male feceris. Novi ego vestra hæc: «nollem factum, jusjurandum dabitur te esse indignum injuria hac». GRONOV.

11. *Si me illam amantem*, etc. Si studeam me amantem ab illa recipi ad sese. DOUZA.

12-15. *Quando ego... maledicta expetent.* Conjunctio *quando* duo membra orationis *id factum obfuit*, etc. *nunc autem*, etc. complectitur, et præcipue ad posterius pertinet. Hoc modo videtur exponenda sententia: Quando, cui id, quod feci, obfuit et insonti eidem negotium exhibuit, illius nunc Amphitruonis ira et maledicta adversus Alcmenam recident in me insontem (illius maledictorum). Sic vicissitudo molestiæ acceptæ et redditæ inter verum Amphitruonem et simulatum enarratur. Multa viri docti turbarunt in re perlucida, quorum hariolationes referre longum est. N.

Quo te avortisti? ALCM. Ita ingenium meum'st:
Inimicos semper osa sum obtuerier.
JUP. Heia autem inimicos! ALCM. Sic est, vera prædico:
Nisi etiam hoc falso dici insimulaturus es.
JUP. Nimis verecunda's. ALCM. Potin' es ut abstineas manum?
Nam certo si sis sanus, aut sapias satis,
Quam tu inpudicam esse arbitrere et prædices,
Cum ea tu sermonem nec joco, nec serio
Tibi habeas, nisi sis stultior stultissumo.
JUP. Si dixi, nihilo magis es, neque esse arbitror,
Et id huc revorti, uti me purgarem tibi.
Nam numquam quidquam meo animo fuit ægrius,
Quam postquam audivi, ted esse iratam mihi.
Cur dixisti? inquies: ego expediam tibi.
Non, edepol, quo te esse inpudicam crederem;
Verum periclitatus animum sum tuum,
Quid faceres, et quo pacto id ferre induceres.
Equidem joco illa dixeram dudum tibi,
Ridiculi causa: vel hunc rogato Sosiam.
ALCM. Quin huc adducis meum cognatum Naucratem,

18. *Quo te avortisti.* Virg. Æn.VI, 469: « Illa solo fixos oculos aversa tenebat. » N.

21. *Etiam hoc.* Nisi mendacio me nunc etiam loqui insimulaturus es, ut paulo ante. Vid. II, 2, 201-8. N.

22, 23. *Nimis verecunda's. Vous êtes trop timide.* Alcmena pertinaciter vultum avertente, ille delinire animum tentat blande cavillando, quasi pudore nimio obtueri conjugem ea nolit; vel forte eludit veritam (v. 21) ne insimuletur etiam falsi. Igitur non, ut multi autumant, hæc dicit Amphitruo, quia Alcmena palpantem repulerit; namque sic anteverterentur sequentia « Potin'es abstineas manum? » et supervacanea essent. Sed Amphitruo, dum eam monet per jocum, ne sit nimis verecunda, manum leniter admovet, quam Alcmena abarcet endociter. N.

27. *Nihilo magis es.* Si dixi (te esse impudicam), nihilo magis es. N.

28. *Id*, i. e. propter id. TAUBM.

31. *Cur dix. inq.* Ratiocinationem instituit Amphitruo, et fingit Alcmenam loquentem, cui respondet: « Ego expediam, etc. » N.

32. *Quo*, quia. N.

36. *Vel hunc rogato Sosiam.* I. e. Sosiam qui adest in his nostris ædibus, namque nullus adstabat in proscenio. Vid. v. 68. N.

Testem quem dudum te adducturum dixeras,
Te huc non venisse? JUP. Si quid dictum'st per jocum,
Non æquom'st id te serio prævortier.
ALCM. Ego illud scio quam doluerit cordi meo.
JUP. Per dexteram tuam te, Alcumena, oro, obsecro,
Da mihi hanc veniam: ignosce; irata ne sies.
ALCM. Ego istæc feci verba virtute inrita:
Nunc quando factis me inpudicis abstines,
Ab inpudicis dictis avorti volo.
Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas.
Juben' mi ire comites? JUP. Sanan' es? ALCM. Si non jubes,
Ibo egomet, comitem pudicitiam duxero.
JUP. Mane, arbitratu tuo jusjurandum dabo,
Me meam pudicam esse uxorem arbitrarier.
Id ego si fallo, tum te, summe Juppiter,
Quæso, Amphitruoni ut semper iratus sies.
ALCM. Ah! propitius sit potius. JUP. Confide fore:

39. *Testem... Te huc non venisse.* Qui testaretur te in nave remansisse. Sup. II, 2, 220. N.

40. *Serio prævortier.* Formula passiva sensu activo. Serio accipere et præoccupare. TAUBM.

44. *Ego istæc feci*, etc. Maledicta illa tua pudicitia mea feci cassa et inania. LAMB.

45. *Factis me inpudicis abst.* Me alienam a factis impudicis esse confiteris. *Abstinere* idem est quod *eximere.* LAMB.

46. *Inpud. dict. avorti.* Volo jam non esse obnoxia dictis, quæ mihi impudicitiam objiciunt. N.

47. *Valeas*, etc. Verba, quibus utebantur, quum solvebatur matrimonium, exstant lege XII Tabb. « Si vir ab uxore divortit, uxori res suas sibi habere jubeto, eique claves adimito ». ERN.

48. *Juben' mi ire comites?* Moris fuit, ut sine comite mater familias aut matrona non prodiret in publicum: et idcirco non levem injuriam eisdem fieri ab iis, qui comites earum abducunt, testatur Ulpianus. RÆVARD.

49. *Comitem pudic. dux.* Sic fere Medea Jasoni: « Jussa domo cessi, natis comitata duobus, Et, qui me sequitur semper, amore tui ». Ovid. Epist. XII, 135. Eadem figura noster Cornelius in trag. *La Mort de Pompée: « Sa vertu tout entière à la mort le conduit »*. N.

50. *Jusjur. dabo.* Vid. sup. vss. 8-10. *Arbitratu tuo.* Jurabo te dictante et verba mihi præeunte. TAUBM.

52. *Tum te, summe Juppiter!* Ridiculum. Jurat per Jovem, qui ipsus est. TAUBM.—Vid. sup. I, 1, 236. N.

54. *Ah! propitius sit potius.* Quam vere, quam suaviter in hunc cla-

Nam jusjurandum verum te advorsum dedi.
Jam nunc irata non es? ALCM. Non sum. JUP. Bene facis.
Nam in hominum ætate multa eveniunt hujusmodi:
Capiunt voluptates, capiunt rursum miserias.
Iræ interveniunt, redeunt rursum in gratiam.
Verum iræ si quæ forte eveniunt hujusmodi
Inter eos, rursum si reventum in gratiam'st,
Bis tanto amici sunt inter se, quam prius.
ALCM. Primum cavisse oportuit ne diceres;
Verum eadem si isdem purgas, mihi patiunda sunt.
JUP. Jube vero vasa pura adornari mihi,
Ut, quæ apud legionem vota vovi, si domum
Redissem salvos, ea ego exsolvam omnia.
ALCM. Ego istuc curabo. JUP. Evocate huc Sosiam;
Gubernatorem, qui in mea navi fuit,
Blepharonem arcessat, qui nobiscum prandeat.
(seorsum) Is adeo inpransus ludificabitur,
Quom ego Amphitruonem collo hinc obstricto traham.
ALCM. Mirum quid solus secum secreto ille agat!
Atque aperiuntur ædes: exit Sosia.

morem erumpit amor optimæ conjugis modo male oppressus ira. N.

55. *Te advorsum*, erga te. An forte Jupiter-Amphitruo hoc ludit, qui, quum suam uxorem esse pudicam sit confessus, adjicit verum esse de Alcmena jusjurandum? N.

62. *Bis tanto... quam...* Lambinus subintelligit *magis*, frustra reclamante Dissaldæo. Sic fere Noster in Persa, I, 3, 73: « ter tanto pejor ipsa est quam, etc. » Sententiam Plauti imitatus est Terent. Andr. III, 3, 23: « amantium iræ, amoris integratio est ». TAUBM.

63. *Primum cavisse oportuit.* Mens Alcmenæ est: Etsi decuisset te prius cavisse ne diceres: quia tamen tu idem eadem quæ dixisti purgas, non indignor animo. GRUTER.

65. *Vasa pura.* Vasa pura sunt quæ in alio usu non fuerunt. Sic *vestis pura* in sacris appellatur, inquit Servius ad Æn. XII, 169, quæ neque funesta sit, neque maculam habeat ex homine mortuo. ERN.

71. *Is.* Alii Sosiam esse credunt, ego Blepharonem. Dum hæc scena ageretur, Romani dicere potuerunt: Lepidum habemus Jovem, et quidem lepidiorem, quam par est. N.

72. *Collo obstricto.* Quum aliquem in jus vel in carcerem raperent renitentem, obvoluta toga, collum ei obstringebant. Vid. Curc. V, 3, 15. N.

74. *Atque*, transitio. Bacch. II, 3, 93.

SCENA TERTIA.

SOSIA, JUPITER, ALCMENA.

SOS. Amphitruo, adsum: si quid opus est, impera: imperium exsequar.
JUP. Optume advenis. SOS. Jam pax est inter vos duos?
Nam quia vos tranquillos video, gaudeo et volupe'st mihi.
Atque ita servom par videtur frugi sese instituere,
Proinde, heri ut sint, ipse item sit, voltum e voltu comparet;
Tristis sit, si heri sint tristes, hilarus sit, si gaudeant.
Sed age, responde: jam vos redistis in concordiam?
JUP. Derides, qui scis hæc jam dudum me dixisse per jocum.
SOS. An id joco dixisti? equidem serio ac vero ratus.
JUP. Habui expurgationem; facta pax est. SOS. Optume'st.
JUP. Ego rem divinam intus faciam, vota quæ sunt. SOS. Censeo.
JUP. Tu gubernatorem a navi huc evoca verbis meis
Blepharonem, ut, re divina facta, mecum prandeat.

2. *Optume advenis.* Opportune. Ern. 2. *Vos.* Post *vos*, Camer. addit *quæso*, ne minor uno pede sit versus. N.

3. *Volupe'st.* Legendum fortassis est *volup est*, i. e. voluptas est mihi. Ut Terent. Phorm. IV, 3, 5: « venire salvam volup est », ubi notat Donatus: « hoc volup nomen est ut hoc facul. Sic enim veteres per ἀποκοπὴν loquebantur ». Lamb.

4. *Sese instituere.* Par videtur, servum frugi ita se componere, ut ipse talis sit, quales heri sese habent. N.

10. *Habui expurgationem.* Vid. sc. 2, v. 50, 64. N.

11. *Vota quæ sunt.* Mutat numerum, more solito: pro *rem, quæ vota est*, i. e. faciam intus rem divinam, et quæ diis, si salvus redirem, a me vota sunt, ea persolvam. Rem faciam secundum ea quæ vota sunt.

12. *Verbis meis.* Meo nomine, verbis quæ tibi præivi, *de ma part.* N.

13. *Ut re divina facta, mecum prandeat.* De extis reliquiisque aliis sacrificiorum, domum secum asportatis, cœnabant olim. P. Colvius.

SOS. Jam heic ero, quum illeic censebis esse me. JUP. Actutum huc redi.
ALCM. Numquid vis quin abeam jam intro, ut apparentur quibus opu'st?
JUP. I sane, et, quantum pote'st, parata fac sint omnia.
ALCM. Quin venis, quando vis, intro : faxo haud quidquam sit moræ.
JUP. Recte loquere, et proinde diligentem ut uxorem decet.
Jam hi ambo et servos et hera frustra sunt duo,
Qui me Amphitruonem rentur esse; errant probe.
Nunc tu divine fac huc adsis Sosia.
Audis quæ dico, tametsi præsens non ades:
Fac Amphitruonem advenientem ab ædibus
Ut abigas quovis pacto; fac conmentus sies.
Volo deludi illum, dum cum hac usuraria
Uxore nunc mihi morigero. Hæc curata sint,
Fac sis, proinde adeo, ut me velle intellegis:
Atque ut ministres mihi, quom mihi sacruficem.

14. *Jam heic ero*, etc. Figura loquendi vulgo usitata, quæ maximam celeritatem significet. Vid. Pers. II, 2, 8. N.

15. *Numquid vis quin*, etc. Quum ab confabulando quis discederet, moris erat, teste Nostro plurimis locis, per comitatem sermonis dicere: « Numquid vis? » et addit Alcmena *quin abeam*, i. e. propter quod non statim abeam ad paranda intro sacra. N.

17. *Sit moræ*. Hic versum a Nonio citatum, de sententia Bosii, interposuit Lambinus, quem etiam reperi in Ald. et Brix. solis : nam in cæteris prioribus tempore non appareт : ut nec in MSS. Cam. aut Pall sex. Est autem talis: «Quando isthæc omnia exjurasti te mihi dixe per jocum ». GRUTERUS.

21. *Divine Sosia*, Mercuri. TAUBM.

23-24. Ordo est : « Fac ut abigas quovis pacto Amphitruonem huc advenientem ; fac commentus sies », i. e. aliquid callide excogitaveris, ut sic fiat. LAMB.

26. *Morigero*. Id est, morem gero. Genio meo obsequor. DOUZA.

27. *Proinde adeo, ut*, etc. Sicut certe intelligis, etc. N.

28. *Quom mihi sacruf.* Quum ipse, falsus Amphitruo, sacruficabo mihi Jovi. N.

SCENA QUARTA.

MERCURIUS.

Concedite atque abscedite, omnes de via decedite,
Nec quisquam tam audax fuat homo, qui obviam obsistat mihi.
Nam mihi quidem, hercle, quî minus liceat Deo minitarier
Populo, ni decedat mihi, quam servolo in comœdiis?
Ille navem salvam nunciat, aut irati adventum senis:
Ego sum Jovi dicto audiens, ejus jussu nunc huc me adfero.
Quamobrem mî magis par est via decedere, et concedere.
Pater vocat me, eum sequor, ejus dicto imperio sum audiens:
Ut filium bonum patri esse oportet, itidem ego sum patri.
Amanti subparasitor, hortor, adsto, admoneo, gaudeo.
Si quid patri volupe'st, voluptas ea mihi multo maxuma'st.
Amat; sapit, recte facit, animo quando obsequitur suo:

1. *Concedite, abscedite, decedite.* Jocosa emphasis in tripla repetitione, neque tautologia, inest. *Gare! qu'on s'éloigne! place!* Magistratus populi romani, submoto per lictores populo, incedebant; scriptores autem comœdiarum servulos et parasitos imperiose sibi locum dari jubentes fingunt deridiculi causa. Vid. Curcul. II, 3, 1; Mercat. I, 2, 5. Servi mandata exsequi festinabant. Quum mores comicarum personarum Terentius notat, *servos currentes* scribit, Eunuch. Prol. 36. N.

3. *Hercle. Hercules* et hic et superius juratur nondum natus, nedum deus. Sunt, qui prolepsin faciant. Sunt, qui ad Ægyptium illum, qui hoc nostro antiquior, referant. Ego puto Comicum simpliciter cum vulgari usu sic loquutum: aut more suo risum captasse. TAUBM.

5. *Irati.* Sic describit mores comicis personis vulgo datos Terent. Heaut. Prolog. 37: « semper servus currens, iratus senex ». DACER.

6. *Jovi dicto audiens.* Idem est *dicto audiens*, quod *obediens*. Menæch. II, 3, 89: « dicto me emit audientem, haud imperatorem sibi ». Cave *dicto* jungas cum *Jovi*. LAMB.

8. *Dicto imperio audiens.* Obsequor imperio. Vid. sup. 6. N.

10. *Subparasitor.* Id enim parasitorum fuit, ut operam darent amantibus, consilioque et machinationibus adjuvarent, sicut in Asinaria, in Curculione, sicut Thrasonis Gnatho in Eunucho. N.

Quod omneis homineis facere oportet, dum id modo fiat bono.
Nunc Amphitruonem volt deludi meus pater; faxo probe.
Jam hic deludetur, spectatores, vobis spectantibus.
Capiam coronam mî in caput; adsimulabo me esse ebrium:
Atque illuc sursum escendero : inde optume cispellam virum.
De supero, quum huc adcesserit, faciam ut sit madidus sobrius.
Deinde illi actutum subferet suus servos pœnas Sosia:
Eum fecisse ille hodie arguet, quæ ego fecero heic : quid id mea?
Meo me æquom'st morigerum patri, ejus studio servire addecet.

13. *Quod omneis homineis*, etc. Miraberis ejusmodi disciplinam palam commendari, coram Scipionibus aliisque viris gravissimis illa ætate. Neque semel Plautus talia prædicavit; Trucul. I, 1, 55 : « postremo in magno populo, in multis hominibus, Re placida atque otiosa, victis hostibus, Amare oportet omneis, qui, quod dent, habent ». Hæc sane victoribus, secundo Punico bello, Romanis dicta sunt. Ea igitur fuit modestia morum juvenilium, ut liceret eis uti meretricio amore, dum nimio sumptu damnosi non fierent, et abstinerent a matronis. Sic præcipit Phædromus in Curculion. I, 1, 28 : « ita tuum conferto amare semper, si sapis, Ne id, quod ames, populus si sciat, tibi sit probro». Sic tulit sententia dia Catonis, Hor. Sat. I, 2, 31. Vid. et And. I, 1. Sanctius verecundiusque judicant censorii viri nostrates. N. — *Modo fiat bono*. Non ultra modum, sine magno dispendio. DACER.

16. *Capiam coronam*. Redimiti corollis potabant veteres. Vid. Horat. Sat. II, 3, 261; Od. IV, 11, 3. Cic. Catil. II, 5, et apud Nostrum Menech. III, 1, 16; et in hac scen. inf. v. 24 : « ornatum capiam qui potis decet ». LAMB.

17. *Cispellam*. *Cispellam*, pro, repellam : quod, qui repellitur, citra regredi cogitur, non ultra progredi permittitur. TURNEB.

18. *Ut sit madidus*, etc. Loci hujus sententia petenda videtur e versu, quem ex Amph. Plauti citat Nonius in *Matella*, quamvis is hodie in hac comœdia non reperiatur : « Ne tu postules matellam unam tibi aquæ infundi in caput ». Hoc igitur innuit se facturum Mercurius, ut Amphitruonem ab ædibus abigat. Et jocus est in ambiguitate vocis, *madidus*: nam *madidus* dicitur non solum qui aqua conspersus est, sed et qui merum largius ebibit. PISTOR.

19. *Subferet*. Mihi succedet qui ferat pœnas. N.

Sed eccum Amphitruonem; advenit: jam ille heic deludetur probe,
Siquidem vos voltis auscultando operam dare.
Ibo intro, ornatum capiam, qui potis decet.
Dein sursum adscendam in tectum, ut illum hinc prohibeam.

24. *Qui potis decet*, pro *decet potos*. Vid sup. II, 2, 188. Legitur in MSS. *potius*, i. e. qui decet potius, quam hic, quem nunc gero, habitus. At receperunt editores doctissimi *potis*, recte, ut opinor. N.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

AMPHITRUO.

NAUCRATEM quem convenire volui, in navi non erat:
Neque domi, neque in urbe invenio quemquam, qui illum viderit.
Nam omneis plateas perreptavi, gymnasia et myropolia:
Apud emporium, atque in macello, in palæstra atque in foro:
In medicinis, in tonstrinis, apud omneis ædeis sacras.
Sum defessus quæritando, nusquam invenio Naucratem.
Nunc domum ibo, atque ex uxore hanc rem pergam exquirere,
Quis fuerit, quem propter corpus suum stupri conpleverit.

1. *Naucratem*. More Græcorum, accusativus pro nominativo. Sic Virg. Æn. I, 573: «Urbem quam statuo, vestra est». Terent. Eun. IV, 3, 11: «Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit!» LAMB.

3. *Myropolia*. Latine vocat Suetonius «tabernas unguentarias». ERN.

4. *Emporium*. Locus, in quo frequentes sunt mercatores. *Gl. MSS* Pl. BOXHORN. — *Macello*, ubi carnes, pisces veneunt. LAMB.

5. *In medicinis*, i. e. medicorum officinis, qui et pharmacopolæ iidem erant. Mercat. II, 4, 4: «ibo ad medicum, atque ibi me toxico morti dabo». In his versibus, ut in Epid. II, 2, 14, auctor omnia loca enarrat, quo conveniebant sive negotiosi, sive otiosi homines; maxime, qui tempus terebant confabulando nil agentes, medicinas et tonstrinas celebrabant. Vid. Terent. Phorm. I, 2, 39. Hinc fama, pravi magis tenax quam veri nuncia, rumores varios serebat. Etiam apud novos id moris fuit, ut in tonstrinis urbicolæ desidiosi conversarentur. Molierus, in hujusmodi taberna, sæpissime horas haud paucas, dum Piscenis gregem histrionicum haberet, fertur sedisse, ubi viva exemplaria *contemplaretur*. N.

8. *Quem propter*, ἀναστροφή, propter quem, a quo corrupta. LAMB.

Nam me, quam illam quæstionem inquisitam hodie amittere,
Mortuum satiu'st : sed ædeis obcluserunt : eugepæ !
Pariter hoc fit, atque ut alia facta sunt : feriam foreis.
Aperite hoc : heus, ecquis heic est ? ecquis hoc aperit ostium ?

9. *Inquisitam. In* privativam ibi vim habet, i. e. dimittere rem non penitus quæstione exploratam. Vid. sup. II, 2, 217. *Amittere.* Ita Curtius, IX, 1, 26 : « maturos fructus e manibus amittere ». N.

10. *Eugepæ.* Interjectio est gaudentis et probantis. Sed hic ironia est. LAMB.

11. *Pariter... atque ut*, sicut *ut alia facta sunt.* Domino ædes occludi iniquum. Sic omnia hodie perversa domi invenit, male ab uxore, male a famulis exceptus. N.

SCENA SECUNDA.

MERCURIUS, AMPHITRUO.

MERC. Quis ad foreis est ? AMPH. Ego sum. MERC. Quid, ego sum ? AMPH. Ita loquor. MERC. Tibi Jupiter
Dîque omneis irati certo sunt, qui sic frangas foreis.
AMPH. Quo modo ? MERC. Eo modo, ut profecto vivas ætatem miser.
AMPH. Sosia. MERC. Ita sum Sosia, nisi me esse oblitum existumas.
Quid nunc vis ? AMPH. Sceleste, at etiam quid velim, id tu me rogas ?
MERC. Ita rogo : pene ecfregisti, fatue, foribus cardines.
An foreis censebas nobis publicitus præberier ?
Quid me adspectas, stolide ? quid nunc vis tibi ? aut quis tu es homo ?

1. *Ego sum.* Gallice, *c'est moi.* — *Quid, ego sum ?* Quum simulet Mercurius sibi non agnosci Amphitruonem, respondet : Quid significat istud : *ego sum ?* — *Ita loquor.* Amphitruo rursus affirmat : « Sic dico » ; nempe « ego sum ». *Oui, c'est moi.* N.

3. *Quomodo ?* Supple « irati mihi sunt dii ». Ita simpliciter nimis provocat Mercurii ludicram dicacitatem : « eo modo, etc. » N.

7. *Publicitus.* I. e. ex ærario publico suppeditari. Sic Ennius : « proletariu' poplicitus... ornatur ferro ». N.

AMPH. Verbero, etiam quis ego sim me rogitas, ulmorum acheruns?
Quem, pol, ego hodie ob isthæc dicta faciam ferventem flagris.
MERC. Prodigum te fuisse oportet olim in adulescentia.
AMPH. Quidum? MERC. Quia senecta ætate a me mendicas malum.
AMPH. Cum cruciatu tuo isthæc hodie, verna, verba funditas.
MERC. Sacrufico ego tibi. AMPH. Qui? MERC. Quia enim te macto infortunio*.

9. *Ulmorum*, etc. Cujus tergum ulmeas virgas vorat, quemadmodum animas Acheruns. TAUBM. — Eadem sententia exclamat servus Captiv. III, 4, 117: « væ illis virgis miseris, quæ hodie in tergo morientur meo ». N.

12. *Mendicas malum*. Qui potentioris iram commovebat, is vulgo dicebatur *malum quærere*. Vid. Pseudol. Prolog. 22. At in hujusmodi sententia, Mercurius verbum *quærere* verbo *mendicare* mutavit, quo magis Amphitruonem haberet ludibrio; et illud quidem scurriliter superiori versu præparavit. N.

13. *Verna*. Nonius hunc versum laudat, quum exemplis docet vernas fuisse appellatos a veteribus, qui sacro vere nati essent, et hoc nomen pro convicio habitum. Utcunque istam originem accipias, at certe probrosa videbatur istiusmodi appellatio; fortasse hinc usurpata, quod nati in familia servi protervitate impudentes vulgo fuerunt. N.

14. *Te mact. inf.* Videtur fuisse vulgata sermone apud Latinos ejusmodi locutio: « mactare, i. e. magis auctare aliquem infortunio, malo, damno ». Namque sæpissime in Plautinis fabulis occurrit, Aulul. III, 5, 61; Curcul. IV, 3, 5, et passim. At eodem verbo utebantur quoque honoris deorum gratia. Solemne erat dicere: « mactare deos hostiis ». Igitur Mercurius, quum ludere vellet illius verbi ambiguitate, Amphitruonem ironice veneratus est et fefellit (sacrifico tibi), quo acrius eum perstringeret ridicula præter exspectationem procacitate, quæ tamen sacrificii formulam referret. N.

*Quæ hinc usque ad vers. « Vos inter vos partite, etc. » meniscis distinximus, pro suppositis vulgo dantur; quia deerant in vetustissime cusis ante Brixianam editionem, anni 1506, in quam e MS Pyladis Buccardi recepta sunt; et inde critici ea damnarunt, utpote nimis ampullata, et vetera quidem, sed ævi sequioris. Quorum bona venia credere liceat, si manuscriptus, quem Merula principis editionis fundum habuit, jam ab initio ea cum cæteris protulisset, non venturum fuisse in mentem hanc partem dramatis tam tristi nota movere de loco. Quam si tollas, nemini non apparet hiulcam remanere fabulam imperfectosque Mercurii lusus, et ultimam desiderari Amphitruonis cum Jove com-

AMPH. « Tun' me mactes, carnufex? nisi formam dii ho-
« die meam perduint,
« Faxo ut bubulis coriis onustus sis, Saturni hostia.
« Ita ego te certo cruce et cruciatu mactabo : exi foras,
« Mastigia. MERC. Larva umbratilis, tu me minis territas?

missionem, qua frustrationum ejus absolvatur periodus, ut fit in Menæchmis, quæ non ante transigitur, quam poeta utrumque cum omnibus dramatis personis commisit eludendum. Verecundius autem, quam illi grammaticæ artis dictatores, Camerarius, doctissimus Plauti sospitator, utrum ea Plautina sint, an non sint, controversiam reliquit indecisam. Quæ ego, ut non omnia sine discrimine vindicanda Sarsinati, ita non abjudicanda universa, contendere ausim. Sane dum comœdias histrionum greges et scholæ librariorum circumferrent, plurima excidere, interpolari, affingi, adulterari debuere, et jam Varronis ætate de genuinis musæ Plautinæ fœtibus, disceptatio perdifficilis agitabatur. Grammatici veteres, Nonius, Priscianus et alii, multos versus tanquam ex ipsis, quas nunc habemus, comœdiis depromptos laudant, quos tamen ibi non reperias. Unde colligere est non sincera neque integra Plauti scripta ad nos pervenisse. Hujusmodi sunt illa ex Amphitruone : « Optumo jure infringatur aula cineris in caput. — Ne tu postules matellam unam tibi aquæ infundi in caput.—Herus Amphitruo obcupatus ; —Enim tu certe aut larvatus, aut cerritus es.—Edepol, hominem te miserum! medicum quærita », quæ videlicet altercantes inter se Mercurius et Amphitruo pronuntiabant. Et illud : « Manifestum hunc obtorto collo teneo furem » Jupiter vociferabatur Amphitruonem jurgando territans. Et his « Qui nequeas, nostrorum uter sit Amphitruo, decernere » Thebanus dux Blepharonem increpabat dijudicare perplexas lites nolentem ; quod et Prisciani argumentum significat. His animadversis, evincitur, opinor, scenas, aut easdem, aut simillimas iis, quæ suppositorum nomine notantur, Plauto fuisse scriptas ; quorum etsi nonnulla vel subditiva irrepsisse, vel esse depravata fatendum est ; at pleraque num vere Plautina sint, aut certe Plauto digna, æquus perpendes ; jam Molierus imitando judicavit. N.

2. *Bubulis coriis*. Id est, scuticis, ex boum corio consutis, cædaris. *Saturni hostia*. Carthaginienses bello durissime afflicti, dicebant *Saturnum* sibi iratum esse, quod prius excellentiores e filiis sacrificarint, postea vero clam emptis infantibus et educatis, liberorum loco immolarent. Atque inde apparet, Plautum, ademptos illos et supposititios respexisse. Videlicet Carthaginiensium, qui humanis hostiis litare se arbitrarentur, et quibuscum bello acerrimo tum temporis Romani decertabant, feros mores taxare poeta voluit, atque spectatoribus gratificari. TAUBM.

4. *Larva umbratilis*. Non homo, ne larva quidem, sed larvæ quædam umbra. TAUBM.

« Nisi hinc actutum fugias, si denuo pultaveris,
« Si minusculo digito increpuerint foreis, hac tegula
« Tuum deminuam caput, ut cum dentibus linguam ex-
« screes.

AMPH. « Tun', furcifer, meis me procul prohibessis ædibus?
« Tun' meas pulsare foreis? hasce illico toto demoliar car-
« dine.

MERC. « Pergin'? AMPH. Pergo. MERC. Adcipe. AMPH. Sce-
« leste, in herum? si te hodie adprehendero,
« Ad id redigam miseriarum, ut semper sis miser.

MERC. « Bacchanal te exercuisse oportuit, senex. AMPH.
« Qui dum?

MERC. « Quando tu me tuum servom censes. AMPH. Quid?
« censeo?

MERC. « Malum tibi: præter Amphitruonem, herum novi
« neminem.

AMPH. « Num formam perdidi? mirum, quin me norit
« Sosia.
« Scrutabor: eho dic mihi, quis videor? num satis Amphi-
« truo?

MERC. « Amphitruo? sanusne es? nonne tibi prædictum,
« senex,
« Bacchanal te exercuisse, quom, qui sis, alium rogites?
« Abscede, moneo: molestus ne sies, dum Amphitruo
« Cum uxore, modo ex hostibus adveniens, voluptatem
« capit.

AMPH. « Qua uxore? MERC. Alcumena. AMPH. Quis homo?
« MERC. Quotiens vis dictum? Amphitruo,

10. *Adcipe.* Cum hoc verbo, *adcipe*, Mercurius aut testam, aut aliquod telum hujusmodi in caput Amphitruonis dejiciebat. PISTORIUS.

12. *Bacchanal te exercuisse oportuit.* Quum delirare aliquem dicere vellent, *bacchanal exercere* inquiebant. Nam *Luna*, *Bacchus*, *Ceres* furoris præsides credebantur. Unde *Lunatici*, *Bacchi*, *Cériti*: ita mox, *tu Bacchus es*: μαινόμενος. MEURS.

15. *Quin*, quod non. N.

« Herus meus : molestus ne sies. AMPH. Quicum cubat ?
MERC. « Vide, ne infortunium quæras, qui me sic ludi-« fices ?
AMPH. « Dic, quæso, mi Sosia. MERC. Blandire? cum Alcu-« mena. AMPH. In eodemne
« Cubiculo ? MERC. Imo, ut arbitror, corpore corpus in-« cubat. AMPH. Væ misero mihi !
MERC. « Lucri'st, quod miseriam deputat : nam uxorem « usurariam
« Perinde est præbere, ac si agrum sterilem fodiendum « loces.
AMPH. « Sosia. MERC. Quid, malum, Sosia? AMPH. Non « me novisti, verbero?
MERC. « Novi te hominem molestum, qui ne emas litigium. « AMPH. Adhuc
« Amplius : nonne ego herus sum tuus Amphitruo ? MERC. « Tu Bacchus es,
« Haud Amphitruo : quotiens tibi dictum vis ? num denuo ?
« Meus Amphitruo uno cubiculo Alcumenam conplexu « tenet.
« Si pergas, eum heic sistam, neque sine tuo magno malo.
AMPH. « Cupio adcersi : utinam ne pro benefactis hodie « patriam,
« Ædeis, uxorem, familiam cum forma una perduam !
MERC. « Adcersam equidem : sed de foribus tu interea sis « vide.
« Si molestus sis, evades numquam, quin te sacruficem.

24. *Blandire ?* Nihil eram tibi ultra responsurus ; sed quoniam adeo blande me compellas, iterum repetam quæ dixi : « Cubat cum Alcmena ». GRUTER.

29. *Qui ne e. lit.* Quem moneo ne concites molestiam mecum rixando, aut forte enclitica est *ne*, et idem valet quod gr. γέ. Hor. Sat. I, 10, 21. N.

36. *De foribus tu interea sis vide.* Quod ad fores attinet, videsis, i. e. ne attingas. — Post hunc versum multæ edd. « Credo, jam, quæ volebat, sacrificia ad epulum conduxit » : sed ejecit Acidalius, et optimæ notæ alii edd. N.

SCENA TERTIA.

AMPHITRUO, BLEPHARO, SOSIA.

AMPH. « Dî vostram fidem ! quæ intemperiæ nostram agunt « familiam ! quæ mira
« Video, postquam advenio peregre ! nam verum'st, quod « olim est auditum
« Fabularier, mutatos Atticos in Arcadia homines,
« Et sævas beluas mansitasse, nec umquam denuo parentibus
« Cognitos. BLEPH. Quid illuc Sosia? magna sunt, quæ mira « prædicas.
« Ain' tu alterum te reperisse domi consimilem Sosiam?
SOS. « Aio : sed heus tu, quom ego Sosiam, Amphitruonem Amphitruo, quid scis an
« Tu forte alium Blepharonem parias ? o Di faciant, ut « tu quoque
« Concisus pugnis, et illisis dentibus, id inpransus creduas.
« Nam ego, ille alter Sosia, qui illic sum, me malis mulcavit modis.
BLEPH. « Mira profecto : sed gradus condecet grandire : « nam ut video,
« Exspectat Amphitruo, et vacuus mihi venter crepitat. « AMPH. Et quid aliena

1. *Intemperiæ*, mentis perturbatio. « Larvæ hunc atque intemperiæ insaniæque agitant senem ». Aulul. IV, 4, 15. N.

3. *Mutatos Atticos*, etc. Fabula est ignota, quam ut enarratam reperias, frustra te ad Plinii Hist. VIII, 22, mittunt. Namque ille agit de portentosâ quadam familia Arcadica. Plautus vero laudat Atticos homines in Arcadia mutatos. N.

4. *Beluas mansitasse*. Mansisse, semper fuisse belluas, neque pristinam in faciem rediisse. N.

5. *Illuc*, illud. N.

6, 7. *O Di faciant... inpransus creduas*. Quando incredulus, quæ refero, aspernaris, velim de te idem fieri, ut tandem credas, postquam fueris, sicut ego, ictibus contusus et coactus manere impransus. N.

11. *Gradus grandire*. Aul. I, 1, 10 : « testudineum istum tibi ego grandibo gradum ». LAMB.

« Fabulor? in nostro olim Thebano genere plusquam mira
« memorant,
« Martigenam ille adgressus beluam magnus Europæ quæ-
« stor, anguineo
« Repente hosteis peperit seminio: et, pugnata illac pugna,
« Frater trudebat fratrem hasta et galea : et nostræ aucto-
« rem gentis
« Cum Veneris filia angueis repsisse tellus Epirotica
« Vidit : de summo summus Juppiter sic statuit, sic fa-
« tum habet.
« Optumi omnes nostrates, pro claris factis, diris agun-
« tur malis.
« Fata isthæc me premunt, pertolerarem vim tantam, cla-
« deisque
« Exanclarem inpatibileis. SOS. Blepharo. BLEPH. Quid est?
« SOS. Nescio quid mali suspicor.
BLEPH. « Quid? SOS. Vide sis, herus salutator oppessu-
« latas ante foreis graditur.
BLEPH. « Nihil est, famem exspectat obambulans. SOS. Cu-
« riose quidem : foreis enim
« Clausit, ne prævorteretur foras. BLEPH. Obgannis. SOS.
« Nec gannio, nec latro.

13-17. Narrat fabulam Cadmi, qui, dum sororem Europam, jussu patris Agenoris, quæsitum iret, devenit in Græciam; et, ducente oraculo, in Bœotiam perrexit, ubi, occiso serpente, qui Martis lucum servabat, dentes illius seminavit, unde nati milites se ipsi invicem interemerunt. Dein Harmoniam, Veneris filiam, duxit uxorem, et Thebanæ gentis fuit auctor. Postea territus monstris, quæ suo generi fata portendebant, in Epirum fugit cum uxore; ibique ambo in angues mutati. N.

20. *Pertolerarem*. Me premunt fata nostræ gentis, ita comparata ut pertolerarem, etc. N.

22. *Salutator*. Tanquam ii, qui salutatum ibant potentiores: qui, si non statim admittebantur, foris prodeambulabant. DOUZA.

24. *Ne prævorteretur*. Jocus: nam fores clausit, ne fames egressa eum anteverteret, ut sæpe fastidiosi optimates salutaturos fallebant egressi primo mane. DOUZA. — *Obgannis*. Gannire est vulpinum edere clamorem. Tralatitio sensu *obgannire* usitatum pro *importune loqui*, *garrulo-*

« Si me audias, observes. Nescio quid secum solus, puto,
« Rationes conligit : quid memoret, hinc excipiam, ne pro-
« pera.
AMPH. « Ut metuo, ne, victis hostibus, Di partam expun-
« gant gloriam.
« Totam miris modis nostram video turbatam familiam.
« Tum vero uxor vitio, stupro, dedecore me plena enicat.
« Sed de patera mirum'st : erat tamen signum obsignatum
« probe.
« Quid enim ? pugnas pugnatas prolocuta, et Pterelam
« obpugnatum,
« Nostris occisum manibus fortiter : atat ! novi jam ludum :
« Id Sosiæ factum'st opera, qui me hodie quoque præsen-
« tem ausit
« Indigne prævortier. SOS. De me locutus, et quæ velim
« minus.
« Hominem ne congrediamur, quæso, priusquam stoma-
« chum detexerit.
BLEPH. « Ut lubet. AMPH. Si illum datur hodie mastigiam
« adprehendere, ostendam quid sit
« Herum fallere, minis et dolis incessere. SOS. Audin' tu
« illum. BLEPH. Audio.

rum more verba effutire. Dein Sosia verbum ad proprium sensum retorquet, dum respondet nec gannio ut vulpes, nec latro ut canis. N.

26. *Rationes conligit.* Dominanti sensu est accepti et expensi argumenta computare, *faire ses comptes.* Hoc loco Amphitruo rationes acceptarum miseriarum colligit, et cum hac sententia convenit verbum *expungant*, v. 27. N.

34. *Prævortier.* Hoc verbum modo simpliciter prævenire, modo etiam ita prævenire, ut impedimento sis ; et hoc fecit Mercurius, Sosiæ habitum gerens, quum prohibuit domo Amphitruonem. Ita apud Ovid. Metam. II, 657 : Dryopen arbore mutatam et volentem plura dicere prævortunt fata. N.

35. *Hominem ne congrediamur.* Videntur Lambino superiora, usque ad hunc locum, vendi posse pro Plautinis : quæ vero sequuntur, non item ; quum multa ex eis aliunde sumpta, et pæne mendicata sint, nonnulla inconcinna et Plauto indigna. ERN.—*Detexerit*, ostenderit ; sunt qui mutent *decoxerit*, sed ex ingenio. N.

SOS. « Illæc machina meas onerat scapulas : conpellemus « sis hominem.
« Scin' quid vulgo dici solet? BLEPH. Quid dicturus sis, nescio:
« Quid tibi patiundum, fere hariolor. SOS. Vetu'st ada- « gium Fames et mora
« Bilem in nasum conciunt. BLEPH. Verum quidem. E loco « conpellemus
« Alacre. Amphitruo. AMPH. Blepharonem audio : (seorsum) « mirum quid ad me veniat.
« Opportune tamen se offert, ut uxoris facta convincam « turpia.
(versus ad Blepharonem) « Quid huc ad me Blepharo? BLEPH. Obli- « tus tam cito, quam diluculo
« Misisti ad navim Sosiam, ut hodie tecum conviverem?
AMPH. « Nusquam factum gentium : sed ubi illic scelestus? « BLEPH. Quis? AMPH. Sosia.
BLEPH. « Eccum illum. AMPH. Ubi? BLEPH. Ante oculos : « non vides? AMPH. Vix video præ ira, adeo me istic
« Hodie delirum fecit : ne te sacruficem numquam evades.
« Sine me, Blepharo. BLEPH. Ausculta, precor. AMPH. Dic, « ausculto: tu vapula.

38. *Conpellemus sis hominem.* Qui modo dubitabat vs. 35, an herum congrederetur, nunc festinat eum compellare, et rationem affert cur mutaverit consilium ; nempe timet ne ira domini acrius exardeat mora, ut dicet vs. 40. N.

41. *Bilem in nasum conciunt.* Bilis iræ fermentum dicitur, et nasus sedes. Theocrit. εἰδ. ά. χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται. LAMB. — Sic fere *Delille* de Apollinis imagine : « *Un courroux dédaigneux a gonflé ses narines* ». N. — *E loco.* Alii interpretantur *opportune*, tanquam ex æquo loco. Mihi videtur nihil aliud significare quam *statim*. Ad eum modum eadem significatione dicitur, *e vestigio*. BOXH.

44. *Oblitus... misisti...* etc. Ergone tam cito oblitus es te misisse Sosiam, etc. Sic sæpe apud Nostrum disjuncta profertur duplex propositio, ut supra I, 1, 137 : « in mentem venit, illic homo volt », pro « in mentem venit illum hominem velle » ; et ibid. 22 : « satius est me queri servitutem... me potivit pater servitutis », pro « me queri servitutem *quod* me potivit, etc. » *Quam diluculo* primo mane, ut *quam mox*, *quam primum*. N.

49. *Tu vapula.* Hæc dicens Sosiæ ictum intentat. *Sine me* ulcisci; ne me retineas. N.

sos. « Qua de re ? num satis tempori ? non ocius quivi, si me
« Dædaleis tulissem remigiis. BLEPH. Abstine, quæso ; non
« potuimus
« Nostros grandius grandire gradus. AMPH. Sive grallato-
« rius, sive
« Testudineus fuerit, certum'st mihi hunc scelestum perdere :
« En tectum ! en tegulas ! en obductas foreis ! en ludifica-
« tum herum !
« En verborum scelus ! BLEPH. Quid mali fecit tibi ? AMPH.
« rogas ? ex illo
« Tecto, exclusum foribus, me deturbavit ædibus. SOS. Egone ?
AMPH. « Tu, quid minitabas te facturum, si istas pepulis-
« sem foreis ?
« Negas, sceleste ? SOS. Quin negem ? en testis ampliter,
« quicum venio :
« Missus sedulo, ut ad te vocatum ducerem. AMPH. Quis
« te misit,
« Furcifer ? SOS. Qui me rogat. AMPH. Quando gentium ?
« SOS. Dudum, jam pridem, modo,
« Ubi cum uxore domi redisti in gratiam. AMPH. Bacchus
« te inritassit.
SOS. « Nec Bacchum salutem hodie, nec Cererem : tu pur-
« gari jusseras
« Vasa, ut rem divinam faceres : et hunc me adcersitum mittis,

50. *Num satis tempori ?* supple *advenio*. Nonne satis festinavi ? N.

51. *Dædaleis remigiis*. Magnifica servuli locutio. Ita Virg. Æn. VI, 19 : « Remigium alarum ». N.

51. *Grallatorius*. Varro apud Nonium sic enarrat : « Grallatores, qui incedunt grallis, quæ sunt perticæ ligneæ ». ERN.

59. *Missus sedulo*. Qui ego instanter missus sum. N.

60. *Dudum jam pridem modo*. Deleri velim *jam pridem*, nam versus ultra metrum producitur. N.

61. *Inritassit*, irritaverit, te vesanum fecerit. Imprecatio. N.

62. *Nec Bacchum s. h. n. C.* Sosia optat e contrario, ut neque Bacchum, neque Cererem, hodie salutet scilicet obvios sibi, quæ duo numina credebantur furorem injicere hominibus ; deinde eo, unde abductus est, narrando revertitur, « purgari vasa, etc. » N.

« Ut tecum prandeat. AMPH. Blepharo, dispeream, si aut « intus adhuc fui,
« Aut si hunc miserim : dic, ubi me liquisti? SOS. Domi cum « Alcumena conjuge.
« Ego a te abiens portum vorsus volito, hunc tuis verbis voco.
« Venimus, nec te, nisi nunc, video postea. AMPH. Scele- « stum caput! cum uxore?
« Numquam abis, quin vapules. SOS. Blepharo. BLEPH. Am- « phitruo, mitte hunc mea gratia,
« Et me audias. AMPH. En mitto; quid vis, loquere. BLEPH. « Istic jam dudum mihi
« Maxuma memoravit mira : præstigiator forte, aut veneficus
« Hanc excantat tibi familiam : inquire aliunde, vide quid siet.
« Nec ante hunc excruciatum miserum facias, quam rem « intellegas.
AMPH. « Recte mones : eamus, te advorsum uxori etiam « advocatum volo.

73. *Advorsum uxori*. Velim te esse advocatum mihi advorsum uxori. N.

SCENA QUARTA.

JUPITER, AMPHITRUO, SOSIA, BLEPHARO.

AMPH. « Quis tam vasto impete has foreis toto convolsit « cardine?
« Quis ante ædeis tantas tamdiu turbas concitat? quem si « conperero,
« Telebois sacruficabo manibus : nihil est, ut dici solet,
« Quod hodie bene succedat mihi : deserui Blepharonem, « et Sosiam,
« Ut cognatum Naucratem convenirem : hunc non reperi, « et illos perdidi.

3. *Telebois sacruficabo manibus*. Inferias mittere hostibus cæsis insolitum. Forte lusor lepidus Jupiter gaudet victorem Teleboarum territare. N.

« Sed eos video : ibo advorsum, ut si quid habent, sciscit-
« ter. SOS. Blepharo, illic qui
« Ex ædibus, heru'st, hic vero veneficus. BLEPH. Proh Jupiter!
« Quid intueor? hic non est, sed ille, Amphitruo : istic si fuat,
« Illum sane non esse oportuit, nisi quidem sit geminus.
JUP. « Eccum cum Blepharone Sosiam : conpellabo hos
« prius. Sosia,
« Tandem ad nos? esurio. SOS. Dixin' tibi hunc veneficum?
AMPH. « Imo ego hunc, Thebani cives, qui domi uxorem
« meam
« Inpudicitia impetivit, per quem teneo thesaurum stupri.
SOS. « Here, si tu nunc esuris, ego satur pugnis ad te volito.
AMPH. « Pergin', mastigia? SOS. Abi ad Acheruntem, venefice.
« AMPH. Men' veneficum?
« Vapula. JUP. Quæ, hospes, intemperiæ, ut tu meum ver-
« beres? AMPH. Tuum? JUP. Meum.
AMPH. « Mentiris. JUP. Sosia, i intro : dum hunc sacrufico,
« fac paretur prandium.
SOS. « Ibo. Amphitruonem, arbitror, ita comiter Amphitruo
« Adcipiet, ut dudum memet ego ille alter Sosia Sosiam.
« Interea dum isti certant, in popinam devortundum'st mihi:
« Lances detergam omneis, omneisque trullas hauriam. JUP.
« Tun' me

8. *Hic*, quocum loquebamur modo, *ille* qui egreditur domo; *istic*, is qui est prope te; videlicet hæc Sosiæ dicit. N.

11. *Dixin' tibi h. v.* Postquam Jovem audiit dicentem « esurio », hoc quasi maximo argumento Sosia damnat Amphitruonem mendacii. Sic, imo melius noster Molierus : « *Le véritable Amphitryon, c'est l'Amphitryon où l'on dîne* ». N.

12. *Imo ego hunc.* I. e. veneficum contendo. LAMB.

13. *Impetivit.* Nonius hunc versum laudans, scribit *impedivit*. Idem hoc exemplo comprobat pessimæ rei copiam posse dici thesaurum. N. — *Thesaurum stupri.* Post vocem *stupri*, hunc versum insero : « Cuique med absente corpus (uxor) vulgavit suum ». J. GUL.

18. *Amphitruonem, arbitror*, etc. Vere Plautina festivitas. N.

21. *Omneisque trullas. Trulla*, vas potorium. Sic interpretamur *trullas omnes*, ut sint quæcunque vel ad epotandum, vel ad sorbitionem hauriendam usui habeantur. CASAUB.

« Mentiri ais? AMPH. Mentiris, inquam, meæ conruptor « familiæ.
JUP. « Ob istuc indignum dictum, te obstricto collo hac ad-« ripiam.
AMPH. « Væ misero mihi! JUP. At id præcavisse oportuit. « AMPH. Blepharo, subpetias mihi.
BLEPH. « Consimileis sunt adeo, ut utri adsim, nesciam: « rixam tamen,
« Ut potest, dirimam. Amphitruo, noli Amphitruonem « duello perdere;
« Linque collum, precor. JUP. Hunc tu Amphitruonem dictitas?
BLEPH. « Quid ni? unus olim; nunc vero partus est geminus.
« Dum tu vis esse, alter quoque esse forma non desinit.
« Interea quæso collum linque. JUP. Linquo: sed dic mihi, « videturne tibi
« Istic Amphitruo? BLEPH. Uterque quidem. AMPH. Proh « summe Jupiter! ubi hodie
« Mihi formam adimis! pergo quærere: tune Amphitruo? « JUP. Tu negas?
AMPH. « Pernego, quando Thebis, præter me, nemo'st « alter Amphitruo.
JUP. « Imo, præter me, nemo; atque adeo, tu Blepharo, « judex sies.
BLEPH. « Faciam id, si queo, signis palam: tu responde « prius. AMPH. Lubens.
BLEPH. « Antequam cum Taphiis a te pugna sit inita, quid « mandasti mihi?

22. *Conruptor famil.* Qui uxorem adulteram, servum contumacem fecisti? N.

23. *Obstricto collo h. adr.* Noli pro nostris moribus hunc Jovis impetum et Amphitruonis ejulationem judicare. Metellum a tribuno fuste impetitum ferunt, neque hoc dedecori illi fuisse. N.

26. *Ut potest.* Ut potest fieri, ut pote est. N.

31. *Proh summe Jupiter!* Jam simili obtestatione risum movit. Ne bis in idem. N.

35. *Signis.* Colligam argumenta quibus dijudicem inter vos. N.

36. *Taphiis.* Insulam Taphum Teleboæ occupatam insederant. Itaque

AMPH. « Parata navi, clavo hæreres sedulo.
JUP. « Ut si nostri fugam facerent, illuc me tuto reciperem.
BLEPH. « Item aliud. AMPH. Ut bene nummatum servare« tur marsupium.
JUP. « Quæ pecuniæ? BLEPH. Tace sis tu, meum'st quæ« rere : scisti numerum?
JUP. « Talenta quinquaginta Attica. BLEPH. Hic ex amussim « rem enarrat; et tu.
JUP. « Quot Philippei? AMPH. Duo millia. JUP. Oboli vero « bis totidem. BLEPH. Uterque
« Rem tenet probe, intus in crumena clausum alterum esse « oportuit.
JUP. « Attende sis : hac dextera, ut nosti, regem mactavi « Pterelam;
« Spolia ademi; et pateram, qua ille potare solitu'st, in ci« stella
« Pertuli : dono uxori meæ dedi, quicum hodie domi lavi,
« Sacrificavi, cubui. AMPH. Hei mihi! quid audio? vix « apud me sum :
« Vigilans quippe dormio : vigilans somnio, vivos et sanus « intereo.
« Ego idem ille sum Amphitruo, Gorgophones nepos, in« perator Thebanorum :

duplici nomine Thebanorum hostes iidem significantur. N.

37. *Parata navi.* Mandavi tibi, ut sedulo navis gubernaculo affixus esses. LAMB.

38. *Ut si nostri*, etc. Quid imperatorem Thebani exercitus deceret Plautus parum curavit, risus movendi studiosior. N.

41. *Talenta quinquag. Att.* Talentum atticum valebat 5,5oo fr. nostratis monetæ. N.

42. *Philippei?* Nummi, nota Philippi, regis Macedonum, cusi, quorum magna vis ab imperatoribus Romam delata fuit; sed res sane mira illo tempore, quo hæc aguntur. — *Oboli.* Sexta pars drachmæ, obolus, i. e. fere 15 3 centesimæ. N.

42, 43. *Uterque rem*, etc. Hæc vulgo in editionibus Sosiæ dantur. Sed ille jam abiit. Vid. supr. v. 18. N.

43. *Alterum*, eum, qui non vere est Amphitruo. N.

49. *Gorgophones*, quæ fuit Persei et Andromedæ filia. *Nepos,* aut rationem geniture scriptor pervertit; nam Amphitruo non Gorgophones

« Et Creontis unicus, Teleboarum perduellis: qui Acarnanes
« Et Taphios vi vici, et summa regem virtute bellica.
« Illisce præfeci Cephalum, magni Deionei filium.
JUP. « Ego idem latrones hosteis bello et virtute contudi.
« Electryonem perdiderant, nostræ et germanos conjugis,
« Achaiam, Ætoliam, Phocidem, per freta Ionium et « Ægeum et Creticum
« Vagati, vi vortebant piratica. AMPH. Dii inmortales! « mihimet
« Non credo, ita omnia, quæ facta illic, ex amussim loqui- « tur: vide,
« Blepharo. BLEPH. Unum superest: id si fuat, Amphitruo- « nes fitote gemini.
JUP. « Quid dicas, novi: cicatricem in dextro musculo ex « illoc volnere
« Quod mihi inpegit Pterela. BLEPH. Eam quidem. AMPH. « Adposite. JUP. Viden'? en adspice.
BLEPH. « Detegite, adspiciam. JUP. Deteximus, vide. BLEPH. « Supreme Juppiter,

erat nepos, sed ab Alceo, illius fratre, genitus; aut infimæ latinitatis more sensum nominis hujus corrumpit; quod Plautinum esse non possit. N.

50. *Creontis unicus*, i. e. præcipuus civis regis Creontis Teleboarum. Vid. Arg. I huj. com. v. 2.— *Acarnanes*. Insula Taphus, pars Acarnaniæ.

52. *Cephalum*, Procride occisa, exsulem, qui nomen dedit Cephaleniæ insulæ. *Deionei*, Æolo nati. N.

53. *Latrones hostes*. Nomen *latrones* usitatum antiquis (vid. Enn. ed. Hessel. p. 18) et Plauto pro militibus conductis. Vid. Indic. Sed hoc in loco *latrones*, quo sensu vulgo intelligimus, præberi existimo, i. e. λῃστὰς, qui, ut versus infra 56 ostendit, « Achaiam vi vortebant piratica ». Vid. Hom. Odyss. III, 72, 73. N.

54. *Electryonem*, filium Persei, Alcmenæ patrem. *Perdiderant*, occiderant. At celebratissimis fabulis scriptor contraivit, quæ Electryonem ab Amphitruone, imprudente quidem, occisum perhibent. Vid. Argum. Camer. N.

56. *Dii inmortales*, etc. Daceria miratur quod hujus scenæ commentum Molierus in suam comœdiam non transtulerit. Prudentissime hæc Noster omisit, lepida quidem, sed illi inter Mercurium et Sosiam disceptationi plane similia. Plautum sæpe non pœnituit, quæ hilarare possent spectatores, iterare. Sed longe alia nostræ comœdiæ sententia, alia ratio. N.

« Quid intueor! utrique in musculo dextero, eodem in loco,
« Signo eodem adparet probe, ut primum coivit, cicatrix « rufula,
« Sublurida. Rationes jacent, judicium silet, quid agam « nescio.

SCENA QUINTA.

BLEPHARO, AMPHITRUO, JUPITER.

BLEPH. Vos inter vos partite : ego abeo, mihi negotium'st.
Neque ego umquam tanta mira me vidisse censeo.
AMPH. Blepharo, quæso, ut advocatus mihi adsis, neve abeas. BLEPH. Vale.
Quid opu'st me advocato? qui, utri sim advocatus, nescio.
JUP. Intro hinc eo. Alcumena parturit. AMPH. Perii miser!
Quid ego? quem advocati jam atque amici deserunt.
Numquam, edepol, me inultus istic ludificabit, quisquis est.
Nam jam ad regem recta me ducam, resque ut facta'st, eloquar.
Ego, pol, illum ulciscar hodie Thessalum veneficum,
Qui pervorse perturbavit familiæ mentem meæ.
Sed ubi ille'st? intro, edepol, abiit, credo ad uxorem meam.
Qui me Thebis alter vivit miserior? quid nunc agam?
Quem omneis mortaleis ignorant, et ludificant, ut lubet.
Certum'st, introrumpam in ædibus; ubi quemque hominem adspexero,

1. *Partite.* Vos inter vos istam controversiam decidite ac dirimite, partes accommodate. LAMB.

4. *Nescio.* Post hunc versum insero alium, quem Nonius in *Decernere*, ex Amph. citat : « Qui nequeo, vostrorum uter sit Amphitruo, decernere ». J. GULIEL.

5. *Intro hinc eo. Alc. p.* Hæc Jupiter clam Amphitruone loquitur; vid. inf. v. 11. N.

9. *Thessalum*, etc. *Thessali* veneficiis et magicis artibus infames erant. TAUBM.

14. *Introrumpam in ædibus.* Ἀρχαϊσμός est : apparet enim veteres præ-

Sive ancillam, sive servom, sive uxorem, sive adulterum,
Seu patrem, sive avom videbo, obtruncabo in ædibus.
Neque me Juppiter, neque dii omneis id prohibebunt, si volent.
Quin sic faciam uti constitui: pergam in ædibus nunc jam.

positioni *in*, sive motum in loco, sive ad locum significaret, indifferenter accusativum et ablativum adjunxisse. Vid. v. 18. Meurs.

15, 16. *Sive ancillam, sive*, etc. Hic impetus loquendi turbidus iratum lepide prodit; namque ira ridicula nihil ridiculum magis. N.



ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

BROMIA*, AMPHITRUO.

BROM. Spes atque opes vitæ meæ jacent sepultæ in pectore,
Neque ulla'st confidentia jam meo in corde, quin amiserim;
Ita mihi videntur omnia, mare, terra, cœlum, consequi,
Jam ut obprimar, ut enicer: me miseram! quid agam nescio.
Ita tanta mira in ædibus sunt facta: væ miseræ mihi!
Animo male'st: aquam velim! conrupta sum, atque absumpta sum.
Caput dolet, neque audio, neque oculis prospicio satis.
Nec me miserior femina'st, neque ulla videatur magis.
Ita heræ meæ hodie contigit: nam ubi parturit, deos sibi invocat.
Strepitus, crepitus, sonitus, tonitrus: ut subito, ut propere, ut valide tonuit!

* *Bromia.* Vix loqui desiit Amphitruo, quum fulgurat, tonat, omnia fulmine ardere, concuti videntur, et ille pavore sternitur exanimis. Nomen ancillæ derivatum a græco βρόμος, utpote quæ *fragore* ingenti excitata prodeat. Sed exquisitius in sermone artificium deprehenditur, qui mirum in modum, ni longius producatur, mentis tumultus exprimit. Cæterum, quo absolvitur fabula, eventus docet, quanto ab nostris Latinorum mores scenici differant. N.

2. *Quin amiserim*, quam non amiserim, ut non amis. eam. Lamb.

3. *Consequi*, commoveri et me fugientem urgere. — *Jam ut*, ita ut statim. N.

6. *Animo male'st. Animo male fieri* dicitur, quum ictu alicujus mœroris perculsus animus non sustinet corpus, sequiturque ruina membrorum. Donat. — *Aquam velim!* qua suffusa, semianimis recreer, atque reficiar. Milit. IV, 8, 21. Lamb.

9. *Deos sibi invocat.* Forte puerperis illud solemne dixit, « Juno Lucina, fer opem ». Taubm.

10. *Strep. crep. son. ton.* Supple *fit*. Mira, in similiter desinentibus, sonorum effictio. N.

Ubi quisque institerat, concidit crepitu : ibi nescio quis maxuma
Voce exclamat : Alcumena, adest auxilium, ne time :
Et tibi, et tuis propitius cœli cultor advenit.
Exsurgite, inquit, qui terrore meo obcidistis præ metu.
Ut jacui, exsurgo : ardere censui ædeis, ita tum conful-gebant.
Ibi me inclamat Alcumena : jam ea res me horrore adficit.
Herilis prævortit metus : ocius adcurro, ut sciscam quid velit :
Atque illam geminos filios pueros peperisse conspicor;
Neque nostrum quisquam sensimus, quom peperit, neque prævidimus.
Sed quid hoc? quis hic est senex,
Qui ante ædeis nostras sic jacet? numnam hunc percussit Juppiter?
Credo, edepol : nam, proh Juppiter! sepultu'st, quasi sit mortuus.
Ibo et cognoscam, quisquis est. Amphitruo hic quidem'st, herus meus.
Amphitruo! AMPH. Perii! BROM. Surge. AMPH. Interii! BROM. Cedo manum. AMPH. Quis me tenet?

11. *Ubi quisque*, etc. Quisque hærens vestigio, attonitus concidit ibidem, ubi steterat. Maxima vis inest orationi, quæ incipiens v. 10 concussu rapitur, et postremo corruit in his : « concidit crepitu ». N.

16. *Jam*, subito, sicut v. 4. — *Ea res*, clamor Alcmenæ me vocantis. SCHMIED.

17. *Herilis præv. metus :* heræ metus, quo illa se affectam testari videtur clamando, plus apud me valet, quam meus. LAMB.

18. *Fil. puer.* natos masculos. N.

20. *Senex.* Cur senem Plautus Amphitruonem finxerit, reperiri non facile videtur, nisi maritum juventa florentem ludibrio haberi minus ridiculum existimaverit. Vid. supra IV, 2, 12. N.

22. *Sepultu'st*, jacet. Isidor. XII, 2 : « *Sepultus* dicitur qui jam sine pulsu et palpitatione est, i. e. sine motu. *Sepelire* autem est condere corpus. Nam *humare* est obruere, h. e. humum injicere ». N.

24. *Interii!* Interire plus est quam perire. Gloss. MSS. Pl. BOXHORN. — *Cedo manum*, da manum, te adjuvando sistam. N. — *Quis me tenet?*

BROM. Tua Bromia ancilla. AMPH. Totus timeo, ita me increpuit Juppiter.
Nec secus est, quam si ab Acherunte veniam : sed quid tu foras
Egressa's? BROM. Eadem nos formido timidas terrore inpulit :
In ædibus, ubi tu habitas, nimia mira vidi : væ mihi!
Amphitruo, ita mihi animus etiam nunc abest. AMPH. Agedum expedi.
Scin' me tuum esse herum Amphitruonem? BROM. Scio. AMPH. Viden' etiam nunc? BROM. Scio.
AMPH. Hæc sola sanam mentem gestat meorum familiarium.
BROM. Imo omneis sani sunt profecto. AMPH. At me uxor insanum facit
Suis fœdis factis. BROM. At ego faciam, tu idem ut aliter prædices,
Amphitruo, piam et pudicam esse tuam uxorem ut scias.
De ea re signa atque argumenta paucis verbis eloquar.
Omnium primum Alcumena geminos peperit filios.
AMPH. Ain' tu geminos? BROM. Geminos. AMPH. Dî me servant. BROM. Sine me dicere,
Ut scias tibi tuæque uxori deos esse omneis propitios.
AMPH. Loquere. BROM. Postquam parturire hodie uxor obcœpit tua,
Ibi utero exorti dolores, ut solent puerperæ :
Invocat deos inmortaleis, ut sibi auxilium ferant,

Hiccine est imperator unicus, victor hostium? Romani, modo riderent, an decore, parum curabant. N.

27. *Formido*, res formidolosa. N.

30. *Viden' etiam nunc?* Ita omnes eum ignorarunt, ut vix credat posse se agnosci. O lepidum senem! N.

34. *Piam*. Amantem tui. Pietas omnia debita officia complectitur. Gloss. MSS. Boxhorn.

37. *Dî me servant.* Quum parum liqueat, quare ille gratuletur sibi, sunt qui illud ironice interpretentur; sunt qui velint mutare *servent*, eadem sententia. Sed ille, quamvis probri insimulet uxorem, tamen geminis sibi natis, gaudere potest,

Manibus puris, capite operto: ibi continuo contonat
Sonitu maxumo; ædeis primo ruere rebamur tuas.
Ædeis totæ confulgebant tuæ, quasi essent aureæ.
AMPH. Quæso absolvito hinc me extemplo, quando satis deluseris.
Quid fit deinde? BROM. Dum hæc aguntur, interea uxorem tuam
Neque gementem, neque plorantem nostrum quisquam audivimus:
Ita profecto sine dolore peperit. AMPH. Jam istuc gaudeo,
Ut ut ergà me merita'st. BROM. Mitte isthæc, atque hæc, quæ dicam, adcipe.
Postquam peperit pueros, lavere jussit nos: obcœpimus.
Sed puer ille, quem ego lavi, ut magnu'st, et multum valet!
Neque eum quisquam colligare quivit incunabulis.
AMPH. Nimia mira memoras: si isthæc vera sunt, divinitus
Non metuo quin meæ uxori latæ suppetiæ sient.
BROM. Magis jam, faxo, mira dices: postquam in cunas conditu'st,
Devolant angues jubati deorsum in inpluvium duo
Maxumi: continuo extollunt ambo capita. AMPH. Hei mihi!
BROM. Ne pave: sed angueis oculis omneis circumvisere.

utpote qui eam decimo ante mense gravidam liquerit. Vid. II, 2, 36. N.

42. *Manibus puris. Puras manus* tam a sordibus et illuvie, quam a cæde et sanguine, in sacris exigebant antiqui. Mimus: « Puras Deus, non plenas adspicit manus ». Fiebantque eæ lavationes fere in vivo flumine. BRISSON. — *Capite operto.* Cf. Plut. Quæst. de reb. rom. c. 10. N.

45. *Absolvito hinc me.* Quæso, contrahas narrata; me quamprimum absolvito hinc, i. e. his audiendis, in quibus me detines, et satis me describendo lusisti. N.

50. *Lavere jussit nos.* Imperavit ut pueros lavaremus. N.

52. *Incunabulis.* Incunabula sunt fasciæ et panni, quibus pueri in cunis involvuntur, involucraque eorum, uno verbo, lanea et lintea. Nam in cunis pueri involuti incunabulis colligantur. TURNEBUS.

53, 54. *Non metuo quin*, etc. Nunc bono animo sum, non dubito quin suppetiæ latæ sint ei divinitus. Nam quum Bromia narraret ingentes turbas, timebat Amphitruo ne quid mali ab venefico illo objectum fuisset. N.

Postquam pueros conspicati, pergunt ad cunas citi.
Ego cunas recessim rursum vorsum trahere et ducere,
Metuens pueris, mihi formidans : tantoque angueis acrius
Persequi : postquam conspexit angueis ille alter puer,
Citus e cunis exsilit, facit recta in angueis inpetum :
Alterum altera adprehendit eos manu perniciter.
AMPH. Mira memoras : nimis formidolosum facinus prædicas.
Nam mihi horror membra misero percipit dictis tuis.
Quid fit deinde? porro loquere. BROM. Puer ambo angueis enicat.
Dum hæc aguntur, voce clara exclamat uxorem tuam....
AMPH. Quis homo? BROM. Summus inperator divom atque hominum, Juppiter.
Is se dixit cum Alcumena clam consuetum cubilibus,
Eumque filium suum esse, qui illos angueis vicerit :
Alterum tuum esse dixit puerum. AMP. Pol, me haud pœnitet,
Scilicet boni dimidium mihi dividere cum Jove.
Abi domum, jube vasa pura actutum adornari mihi,
Ut Jovis supremi multis hostiis pacem expetam.
Ego Tiresiam conjectorem advocabo, et consulam,
Quid faciundum censeat; simul hanc rem, ut facta'st, eloquar.
Sed quid hoc? quam valide tonuit! dî, obsecro vostram fidem.

60. *Recessim rurs. vors.* Nunc recedendo, nunc contra procedendo cunas trahebam. Vere ad vivum expressa imago trepidantis cunas, quocumque angues irrumperent, hinc deflectere trahendo. N.

64. *Alterum altera.* Id est, unum dextra, alterum læva. Taubm.

69. *Quis homo?* Videtur semper metuere ne quis adsit maleficus; ea causa est cur festinet interpellare Bromiam quæstione. N.

72. *Me haud pœnitet*, etc. Jocosa sane boni senis exclamatio. Aliter sentit Propertius : « Rivalem possum non ego ferre Jovem ». Vide apud Molierum quomodo ducem Thebanum eadem gratulantem accipiat. N.

75. *Pacem expetam. Pacem petere* propria phrasis veterum in re sacra, pro deos placare, « pacemque per aras Exquirunt », Virg. Æn. IV, 56, numen exorare et propitium reddere. Gronov.*

SCENA SECUNDA.

JUPITER.

Bono animo es, adsum auxilio, Amphitruo, tibi et tuis:
Nihil est quod timeas: hariolos, haruspices
Mitte omneis: quæ futura et quæ facta, eloquar,
Multo adeo melius, quam illi, quom sim Juppiter.
Primum omnium Alcumenæ usuram corporis
Cepi, et concubitu gravidam feci filio.
Tu gravidam item fecisti, quom in exercitum
Profectus: uno partu duos peperit simul.
Eorum alter, nostro qui est susceptus semine,
Suis factis te inmortali adficiet gloria.
Tu cum Alcumena uxore antiquam in gratiam
Redi: haud promeruit, quamobrem vitio vorteres.
Mea vi subacta'st facere: ego in cœlum migro.

SCENA TERTIA.

AMPHITRUO.

Faciam ita, ut jubes, et te oro, promissa ut serves tua.
Ibo ad uxorem intro; missum facio Tiresiam senem.
Nunc, spectatores, Jovis summi causa clare plaudite.

2. *Hariolos, haruspices.* Hariolus divinat mente fanatica, haruspex victimæ exta inspicit. Vulgo apud Romanos hoc genus hominum credulum quemque lactabant; quos poetæ satiricis versibus passim exagitavere, Ennius in Telamone, Pacuvius in Chryside, Noster in Pœnulo, et Attius in Astyanacte. N.

3. *Jovis causa plaudite.* Profecto si loqui potuisset Jupiter, non sui honoris causa comœdiam hanc plausu excipi jussisset. Itane Romani Optimum Maximum deridere non verebantur? Athenienses autem quomodo sinebant deos a neocoro Ione argui, quod eadem, quæ ulciscerentur, flagitia ipsi admitterent; neque eorum in templis opes pœnis ob violentas libidines exsolvendis futuræ satis essent, si liceret mortalibus pœnas ab iis reposcere? Eurip. Ion. 442-447. Hæc multis adde exempla, quam sibi parum constat mens hominum. N.

Vid. fragmenta Amphitruonis.

IMITATIO GALLICA.

Plautum, ut habuit multos, apud veteres, quos in Amphitruone scribenda sequeretur*, sic multi apud novos ejusdem argumenti fictorem imitati sunt. Atque ut omittam cæterarum gentium auctores, Anglos, Germanos, etc. in Gallia duo clarissimi poetæ, Molierus et Rotrovius, Plauti vestigiis insistere non dedignati sunt. Quorum alter opus tum scena celebrius, tum manibus studiosorum magis versatum fecit, quam ut ea, quæ de latino fonte sumpsit, in notis referre vellem. Sed, quia alterius fabulæ non adeo vulgatæ sunt editionibus, neque legendo in notitiam omnium, æque ac auctoris fama, pervenerunt, credidi gratum fore eruditis poeticorum operum amatoribus, et historiæ literarum curiosis, si multos locos, quibus ille Plautinam Amphitruonem gallicis versibus pæne ad verbum transtulit, in calce apponerem.

LES SOSIES,

COMÉDIE DE ROTROU.

ACTE PREMIER.

SCÈNE PREMIÈRE.

MERCURE *seul.*

Vierge, reine des mois et des feux inconstans
Qui président au cours de la moitié du temps,

* Quos inter nominare licet Archippum, Atheniensem, qui floruit circa XCI olymp. forte Æschylum, Alexandrinum, cujus ætas ignoratur,

Lune, marche à pas lents, laisse dormir ton frère,
Tiens le frein aux coureurs qui tirent ta litière;
Cependant que mon père, enivré de plaisirs,
Au sein de ses amours le lâche à ses désirs.
. . . .
Retarde en sa faveur la naissance du jour.
Mais Sosie en ces lieux avance son retour:
Pour servir Jupiter cessons d'être Mercure;
Allons de ce valet emprunter la figure,
Et troublons son esprit d'un si plaisant souci,
Que, s'ignorant soi-même, il s'éloigne d'ici.

SCÈNE II.

SOSIE *seul, une lanterne à la main.*

Quelle témérité pareille à mon audace
Pourrait entrer au sein du dieu même de Thrace?
A quelle complaisance un serf est-il réduit,
Qu'il faille marcher seul à telle heure de nuit?
Si du guet par hasard la rencontre importune
Se trouve sur mes pas, quelle est mon infortune?
Mon innocence alors, veuve de tout secours,
Emploîra vainement et raison et discours;
Ces gens, pour mon malheur, trop pleins de courtoisie,
Me voudront recevoir contre ma fantaisie,
Et, croyant me traiter bien honorablement,
De la maison du roi feront mon logement.
Le plaisir de mon maître à ce malheur m'expose;
Son imprudence ainsi de mes heures dispose :
A ses commandemens le jour ne suffit pas,
Il lui plaît que la nuit exerce encor mes pas;
Quelque mal qui m'arrive, il croit tout raisonnable
A qui semble être né pour être misérable.
Chez les grands le servage est plus rude en ce point
Qu'aux forces le travail ne s'y mesure point,
Qu'on n'y distingue point le droit de l'injustice,
Et qu'il faut que tout ploie au gré de leur caprice;

et Rhintona, Tarentinum vel Syracusium, qui, regnante Ptolemæo Sotere, natus est. Sed hic hilarotragœdias, i. e. tragica in ridiculum conversa factitavit. Et apud Latinos Statius quoque Cæcilius, Ennio amicus, Plauto coætaneus, comœdiam Amphitruonem docuit. N.

Leur esprit, franc de soins en son oisiveté,
Trouve à tous nos travaux de la facilité,
Et, sans considérer jour, nuit, chaud, ni froidure,
Veille, course, ni peine, à leur avis n'est dure.
Mais dessus son malheur si long-temps méditer,
Au lieu de l'amoindrir, ne fait que l'irriter;
Il est plus à propos que mon humble pensée,
Compagne de mes vœux vers le ciel soit dressée,
Et que je reconnaisse avec soumission
Les biens que nous tenons de sa protection.
Certes en ce combat, contre toute apparence,
Ses faveurs ont de loin passé notre espérance;
Tous ont exécuté plus qu'ils n'avaient promis,
Chaque coup mettait bas un de nos ennemis;
Et mon maître, à nous voir les destins si propices,
A douté si des dieux marchaient sous ses auspices.
Des rebelles enfin l'espérance est à bas,
Créon est rétabli dedans tous ses états,
Et mon maître vainqueur m'envoie à ma maîtresse
Annoncer cette heureuse et commune allégresse.

SCÈNE III.

MERCURE, *sous la ressemblance de Sosie;* SOSIE.

MERC. Inspiré de mon père à qui tout est connu,
Représentons celui que je suis devenu.
Le voici qui, rêveur, sa harangue étudie.
SOS. Mais consultons un peu ce qu'il faut que je die,
Car je fuyais plus fort au plus fort du combat,
Et de frayeur encor le cœur au sein me bat.
. . . .
N'omettons rien pourtant dont on puisse juger
Que j'aie été présent au plus pressant danger;
Et ce que je n'ai vu que par les yeux des autres,
Jurons impudemment de le tenir des nôtres.
Avisons en nous-même à parler à propos.
Je ferai mon récit, à peu près, en ces mots.
Madame, Amphitryon (arrivés que nous sommes),
Entre les principaux, a fait choix de deux hommes,
Gens de cœur et zélés sur tous les citoyens,
Pour envoyer d'abord vers les Téléboyens;

Tous deux partent du camp, avec ordre d'apprendre
Si Ptérèle prétend ou se perdre ou se rendre,
S'il veut par son devoir se procurer la paix,
Ou s'il veut que du bruit nous passions aux effets.
Mais en lui ces hérauts trouvent une ame altière,
Qui de notre fureur augmente la matière.
D'une audace effrontée il repart aigrement,
Qu'il trouvera sa paix en notre monument;
Qu'il a depuis long-temps appris de son courage
A ne s'effrayer pas d'un si léger orage,
Et que ses gens et lui, vieillis dans les hasards,
Verraient sans peur le foudre aux mains même de Mars.
Mon maître, à ce rapport, fait sortir notre armée:
D'un funèste flambeau la guerre est allumée;
Les drapeaux déployés, chacun marche en son rang,
Et ne respire plus que carnage et que sang.
L'ennemi d'autre part, en superbe équipage,
L'impatience aux mains et l'audace au visage,
Sort l'enclos de sa ville, et par un vain orgueil
Semble sous ses remparts marquer notre cercueil.
D'un et d'autre côté les trompettes résonnent,
La terre d'alentour rend les airs qu'elles sonnent:
A ce bruit éclatant le cœur croît aux soldats;
Et cette noble ardeur leur fait croître le pas.
Les chefs des deux partis, après quelques prières,
Par qui chacun se croit rendre les dieux prospères,
Sollicitent leurs gens et marchent à la fois,
Mais font mieux par l'exemple encor que par la voix.
Alors tout ce qu'on a d'adresse et de courage,
En ce pressant besoin on le met en usage;
L'effet de la promesse en l'ouvrage se voit:
Le sang dérobe au fer la lueur qu'il avoit,
Il tombe par ruisseaux, il coule à chaque atteinte.
. . . .
La victoire à la fin se déclare pour nous;
Il tombe autant de corps que nous portons de coups:
Le mort et le mourant pêle-mêle s'entasse;
Mais leur trépas est beau, chacun meurt en sa place;
L'ordre est en ce désordre, et de ces nobles cœurs
Le courage héroïque étonne les vainqueurs.

Avec nous leur vertu leur partage la gloire,
Mais la force et le sort nous donnent la victoire;
Nos efforts sont suivis d'un prospère succès,
Et notre joie alors va jusques à l'excès.
MERC. Certes la vérité, hors de ce qui le touche,
Sort nûment et sans art de sa profane bouche,
Car nous vîmes du ciel les deux camps se heurter;
Mon père y mit la main. SOS. J'oubliais d'ajouter
Que le plus noble exploit, qui finit la querelle,
Fut celui de mon maître en la mort de Ptérèle;
Sa main, rouge du sang de ce superbe roi,
Remplit ce qui resta de terreur et d'effroi;
L'espoir abandonna ces généreuses ames,
Et lors nos gens sans peine achevèrent leurs trames.
Enfin ce grand combat finit avec le jour;
Mais jamais le soleil ne fit un si long tour:
Quelque heureux qu'il nous fût il me fut une année,
Car je ne mangeai point de toute la journée;
Je fus du rang des morts, et la faim en effet
Me fit autant mourir que le fer aurait fait.
En ces mots à peu près je ferai ma harangue.
Certes je n'osais tant espérer de ma langue,
Elle a fait son devoir en cette occasion,
Et n'a rien entrepris à ma confusion.
Marchons donc; je m'amuse, et ma charge me presse
D'aller de ce récit réjouir ma maîtresse.
MERC. Prenons de sa figure et de son propre nom
Le droit de le chasser de sa propre maison:
Mettons feintes, sermens et malice en usage;
Représentons ses mœurs ainsi que son visage;
Battons-le de ses traits. Mais pourquoi dans les cieux
D'un si fixe regard attache-t-il ses yeux?
SOS. Par quelle ivrognerie ou quel plaisant caprice
A le dieu de la nuit oublié son office?
Il semble que ces feux, cloués au firmament,
Contre leur naturel n'aient plus de mouvement;
Je ne vois dévaler dans leur grottes liquides
Orion ni Vesper, ni les sept Atlantides:
La lune semble fixe, et jamais le soleil,
Si leur cours est si lent, ne rompra son sommeil.

MERC. Achève, heureuse nuit, d'obéir à mon père,
Et de long-temps encor ne finis ta carrière.
SOS. Amans, que cette nuit vous veut favoriser!
MERC. Mon père en fait l'épreuve, et sait bien en user.
SOS. Autre ne fut jamais de si longue durée
Qu'une où de mille coups j'eus la peau déchirée,
Où cent valets sur moi se lassèrent les bras;
La lune, pour me voir, arrêta court ses pas:
De vrai, cette première était plus longue encore*,
Et je désespérais du retour de l'aurore.
J'arrive enfin chez nous; entrons, nous y voici.
Mais, à l'heure qu'il est, que fait cet homme ici?
MERC. Il est poltron au point où plus on le peut être.
SOS. Je crains bien pour ma bourse un changement de maître.
MERC. Il tremble. SOS. Et je conçois, du bruit que font mes dents,
Un présage assuré de mauvais accidens.
Cet homme officieux, s'étonnant que je veille,
Quand si profondément tout le monde sommeille,
Soigneux de mon repos plus qu'il n'en est besoin,
Me va faire dormir, sans doute, à coups de poing.
Combien de ce repos la crainte me travaille!
Dieux! quel homme voilà! quel port et quelle taille!
MERC. Pour accroître sa peur, menaçons, parlons haut.
Sus, mes poings, donnez-moi le repas qu'il me faut;
Faites un compagnon de sort et de disgrace
Aux quatre hommes qu'hier j'assommai sur la place,
Ils surent qu'au besoin vous êtes bons et lourds.
SOS. Je ferai le cinquième! O malheur de mes jours!
MERC. De votre premier coup ne laissez dents en bouche.
SOS. Eh! de quoi donc manger! Je suis mort s'il me touche.
MERC. Voici de la matière à notre noble ardeur;
Je sens ici quelqu'un. SOS. O la funeste odeur!
MERC. Il ne peut être loin et vient de long voyage.
SOS. Cet assommeur devine. MERC. Il approche; courage.
SOS. Si tu me dois toucher, contre ce mur au moins,
Par gloire ou par pitié, daigne amollir tes poings.
MERC. Chargeons-le d'importance. SOS. Eh! je suis las de sorte

* A sensu latini auctoris Rotrovius hic deerravit; quum *hæc*, tanquam *illa* esset, interpretatus sit. Vid. I, 1, 125. N.

Que, sans charge, moi-même à peine je me porte.
MERC. Mais où ce malheureux détourne-t-il ses pas* ?
SOS. Quel serait mon bonheur s'il ne me voyait pas !
MERC. Sa voix, ou je m'abuse, a frappé mon oreille.
SOS. Et sa main va frapper la mienne à la pareille.
MERC. Il vient, je l'aperçois. SOS. J'ignore qui je suis,
En l'état malheureux où mes jours sont réduits;
De peur le poil me dresse, et tout le corps me tremble;
Mon ambassade et moi sommes péris ensemble.
Mais ta vertu, Sosie, au besoin se dément :
Il est seul comme toi; parle-lui hardiment.
MERC. Toi qui portes Vulcain en cette corne esclave.....
SOS. Mais toi qui brises tout et qui fais tant du brave.....
MERC. Où s'adressent tes pas ? SOS. Que t'importe ? Où je veux.
MERC. Es-tu libre, ou captif? SOS. Oui. MERC. Mais lequel des deux?
SOS. Lequel des deux me plaît, ou tous les deux ensemble.
MERC. Ce maraud veut périr. SOS. Tel menace qui tremble.
MERC. Mais qui, de grace, es-tu? Qui t'amène en ce lieu ?
SOS. J'appartiens à mon maître; es-tu content? Adieu.
MERC. J'arracherai, pendard, cette langue effrontée.
SOS. Ses remparts sont trop bons pour s'y voir affrontée.
MERC. Poltron, répliques-tu ? Que viens-tu faire ici?
SOS. Mais qu'y cherches-tu, toi qui t'en mets en souci ?
MERC. Créon y fait veiller les gardes de la ville.
SOS. Oui, mais notre retour rend ce soin inutile.
Va, laisse cette charge aux gens d'Amphitryon.
MERC. Ami, qui que tu sois, ou domestique ou non.....
SOS. Eh bien? MERC. Fuis tôt, et perds cette humeur suffisante,
Ou ta réception ne sera pas plaisante.
SOS. Je suis de ce logis; c'est où tendent mes pas,
Et tous tes vains discours ne m'en chasseront pas.
....
.... Mais pour quelle raison
Me met un étranger hors de notre maison?
Quel droit y prétend-il? MERC. Hors de ta maison, traître?
SOS. Oui, puisque j'y demeure et qu'elle est à mon maître.
MERC. Quel maître? SOS. Amphitryon, chef du peuple thébain,
Qui, chargé de lauriers, arrivera demain.

* Hæc sequentibus non recte prævia. Melius jocum Plautus concinnavit, I, 1, 175. N.

MERC. Et ton nom, imposteur? SOS. On m'appelle Sosie.
MERC. O dieux! quelle impudence, ou quelle frénésie!
SOS. Je ne m'abuse point, je parle sainement.
MERC. L'imposteur! l'effronté! de quelle audace il ment!
On t'appelle...? SOS. Sosie. MERC. A ton dam, misérable,
Tu viens si prestement de forger cette fable :
De cette invention cent coups seront le prix.
SOS. Au secours! au voleur! Tout est sourd à mes cris.
MERC. Au mensonge, pendard, tu joins encor la plainte!
SOS. Je ne t'ai point menti, je t'ai parlé sans feinte.
MERC. Quoi! Sosie est ton nom? SOS. Je te l'ai dit, hélas!
MERC. Sosie? SOS. Et plût au ciel ne le fussé-je pas?
MERC. Mes poings, cent coups encor pour cette menterie.
SOS. Qui veux-tu que je sois, dis-moi donc, je te prie?
Épargne un malheureux. MERC. Dis ton nom, affronteur.
SOS. Je suis ce qu'il te plaît, je suis ton serviteur,
Car tes coups m'ont fait tien. MERC. Ton audace est extrême
Jusques à m'affronter et prendre mon nom même?
C'est moi qui suis Sosie, et dans cette maison
Jamais d'autre que moi n'en a porté le nom.
Que viens-tu faire ici? SOS. Chercher mon cimetière,
Et fournir à tes coups une indigne matière.
MERC. Es-tu Sosie encor? Réponds, qui l'est de nous?
SOS. Plût aux dieux le fût-il, et reçût-il les coups!
MERC. Approche, dis ton nom, parle; quel est ton maître?
SOS. Tu m'as mis en état de ne me plus connaître.
A quelle déité s'adresseront mes vœux?
Mon maître est..... MERC. Qui? SOS. Je suis.... MERC. Quoi? SOS. Rien, si tu ne veux.
MERC. Que t'importe mon nom, et quelle extravagance
Te le fait usurper avec tant d'arrogance?
SOS. De grace, permets-moi de parler librement;
Tu sauras qui je suis en deux mots seulement.
MERC. Oui, parle; ma bonté t'accorde cette trêve.
SOS. Amphitryon.... MERC. Dis tôt. SOS. Sosie.... MERC. Après, achève.
SOS. Sosie, Amphitryon.... MERC. Que crains-tu? parle tôt.
SOS. Faisons donc trêve aux coups, ou je ne dirai mot.
MERC. Oui, je te la tiendrai. SOS. Je te crois, mais sur peine...
MERC. Que Mercure à jamais prenne Sosie en haine.
SOS. Pour rompre son serment il est trop généreux.

MERC. Parle. SOS. Je suis Sosie. MERC. Encore, malheureux!
SOS. Arrête, j'ai fait trève et ton serment te lie.
MERC. Ces coups sont un remède à guérir ta folie;
Et ton mal, je m'assure, est décru de moitié.
SOS. O déplaisant remède, importune pitié!
Fais ce qui te plaira : mais cette violence
Ne saurait plus long-temps m'obliger au silence.
Ta fourbe peut bien être un obstacle à mes pas,
Mais toutes ces raisons ne me changeront pas.
Je n'emprunte le nom ni la forme d'un autre;
Je suis le vrai Sosie, et ce logis est nôtre.
MERC. O le fou! l'insensé! SOS. Ce sont tes qualités.
Mon maître Amphitryon, ses ennemis domptés,
Ne m'a-t-il pas du port envoyé vers Alcmène,
Lui conter du combat la nouvelle certaine?
N'en arrivé-je pas une lanterne en main?
Voilà pas le palais de ce prince thébain?
Ne te parlé-je pas? sais-je pas que je veille?
Tes poings ne m'ont-ils pas étourdi cette oreille?
Que n'opposé-je donc ma défense à tes coups?
A quoi perds-je le temps? que n'entré-je chez nous?
MERC. Dieux! de quelles couleurs il sait peindre un mensonge!
Dois-je croire mes sens? Veillé-je, ou si je songe?
Il dit de point en point ce qui m'est arrivé;
Car mon maître en effet, le combat achevé,
Et sa main de Ptérèle ayant coupé la trame,
M'a du port Euboïque envoyé vers sa femme,
Lui conter de nos faits l'heureux événement.
SOS. Je ne me connais plus : en cet étonnement
Il me mettrait enfin au terme de le croire.
Quel présent lui fut fait après cette victoire?
MERC. D'un vase précieux, où Ptérèle buvait.
SOS. Il sait tout mieux que nous; sans doute il nous suivait.
MERC. Que mon maître aussitôt fit marquer de ses armes.
SOS. Quelle lumière, ô dieux! dissipera ces charmes?
Il l'a déja sur moi par la force emporté,
Et la raison encor semble de son côté.
Mais ma mémoire enfin a de quoi le confondre,
Et, sans être moi-même, il n'y saurait répondre.
Lorsque plus vivement choquaient les bataillons,

Qu'allas-tu faire seul dedans nos pavillons?
MERC. D'un flacon de vin pur.... SOS. Il entre dans la voie.
MERC. Pris d'un muid frais percé j'allai faire ma proie.
Hardi, je l'assaillis, et lui tirai du flanc
Cette douce liqueur qui tenait lieu de sang.
SOS. Je suis sans repartie après cette merveille,
S'il n'était par hasard caché dans la bouteille.
Il ne me reste plus avec quoi contester.
MERC. Eh bien! suis-je Sosie? as-tu lieu d'en douter?
T'ai-je assez bien guéri de cette frénésie?
SOS. Mais moi, qui suis-je donc, si je ne suis Sosie?
MERC. Prends ce nom, si tu veux, quand je l'aurai quitté,
Mais devant, défais-toi de cette vanité.
SOS. Certes, à dire vrai, plus je le considère,
D'autant plus ma créance à ma crainte défère;
Il n'a proportion, couleur, marque ni traits,
Que le miroir aussi ne marque en mon portrait;
On ne peut qu'ajouter à ce rapport extrême;
En un autre aujourd'hui je me trouve moi-même,
Démarche, taille, port, menton, barbe, cheveux,
Tout enfin est pareil, et plus que je ne veux.
Mais cet étonnement fait-il que je m'ignore?
Je me sens, je me vois, je suis moi-même encore,
Et j'ai perdu l'esprit, si j'en suis en souci.
Ne l'interrogeons plus. Entrons; qu'attends-je ici?
MERC. Traître, où vas-tu? SOS. Chez nous. MERC. Ah! c'est trop; le ciel même
Ne te pourrait soustraire à ma fureur extrême.
Tu t'obstines encore à me persécuter?
SOS. Comment de mon devoir puis-je donc m'acquitter?
Ne m'est-il pas permis de dire à ma maîtresse
Ce qui m'est ordonné par une charge expresse?
MERC. Oui, mais non à la mienne, ou de ce même seuil,
Où tu veux aborder, je ferai ton cercueil.
SOS. Retirons-nous plutôt. O prodige! ô nature!
Où me suis-je perdu? quelle est cette aventure?
Qui croira ce miracle aux mortels inconnu?
Où me suis-je laissé? que suis-je devenu?
Comment peut un seul homme occuper double place?
Moi-même je me fuis, moi-même je me chasse,

Je porte tout ensemble et je reçois les coups;
Je me vais éloigner, et je serai chez nous.
Quel est cet accident? Retournons à mon maître,
Et plût au ciel aussi qu'il me pût méconnaître!
De cet heureux malheur naîtrait ma liberté,
Et ce serait me perdre avec utilité.

SCÈNE IV.

MERCURE *seul.*

Ai-je avec gloire enfin abattu son audace?
Ne l'ai-je pas réduit à me céder la place?
Mon père cependant, sans importunité,
Possède le sujet qui tient sa liberté.
. . . .
L'heure approche bientôt qu'il faut qu'il s'en sépare,
Et le jour doit enfin succéder à la nuit.
Taisons-nous, le voici; la porte a fait du bruit.

SCÈNE V.

JUPITER, ALCMÈNE, MERCURE.

JUP. . . . .
Surtout conserve-toi; le temps est expiré
Où nous doit naître un fruit si long-temps désiré,
Où Thèbes de ma couche attend un capitaine,
Digne sang de mon sang et de celui d'Alcmène.
ALCM. Quel si pressant besoin vous tire de ce lieu,
Où le salut à peine a précédé l'adieu?
JUP. Je m'acquitte des soins où Créon me destine:
Par l'absence du chef, tout le corps se ruine;
Mon amour même ici dérobe à mon devoir
Ce court et doux moment que j'ai pris pour te voir:
Moi-même j'ai voulu t'apprendre les nouvelles
Du fruit de mon voyage et du sort des rebelles;
Et t'offrir de ma main ce riche vase d'or
Qui jadis de Ptérèle embellit le trésor.
Adieu, laisse-moi rendre un devoir à mes armes;
Et laisse mon retour au seul soin de tes charmes.
(*Seul.*) Déesse du repos, nuit, mère du sommeil,
Achève enfin ta course, et fais place au soleil.

ACTE II.

SCÈNE PREMIÈRE.

AMPHITRYON, SOSIE.

AMPH. MARCHE tôt. SOS. Je vous suis. AMPH. Marche, peste des hommes.
SOS. Tels sont nos attributs, malheureux que nous sommes!
Pestes, ivrognes, fous, impudens, effrontés,
On nous donne à bon prix toutes ces qualités;
Défiances, soupçons, coups, injures, menaces,
Le servage est l'objet de toutes ces disgrâces.
AMPH. Tu murmures, pendard? SOS. Et pour dernier malheur*,
On y défend encor la plainte à la douleur.
AMPH. Ma patience, ô dieux! est bien incomparable,
D'avoir pu si long-temps souffrir ce misérable.
SOS. Dites ce qui vous plaît, suivez votre courroux,
C'est à moi de souffrir, puisque je suis à vous;
Mais je ne vous dirai, quelque sort qui me suive,
Que la vérité même, et que ce qui m'arrive.
AMPH. Oses-tu, malheureux, encor me soutenir
Ce qui ne fut jamais ni ne peut avenir,
Qu'étant ici présent, tu sois chez nous encore?
SOS. C'est l'effet d'un pouvoir que moi-même j'ignore,
Mais je ne vous ments point. AMPH. Misérable est celui
Sur qui pend le malheur qui t'attend aujourd'hui.
SOS. Je ne me défendrai d'un traitement si rude
Qu'avecque la vertu qu'enjoint la servitude.
AMPH. Ton impudence encor s'obstine à me jouer!
C'est bien haïr ta vie, il le faut avouer:
Tu m'oses soutenir avecque tant d'audace
Qu'un même homme en même heure occupe double place?
SOS. Je le maintiens encor. AMPH. Te confondent les dieux!
SOS. Leur foudre, si je ments, m'extermine à vos yeux!

* Poetice et graviter dictum, sed poetice magis et gravius, quam rem et virum decet. N.

AMPH. Quelle confusion à la mienne est pareille,
Et combien justement douté-je si je veille!
SOS. Que désirez-vous plus? je vous l'ai dit cent fois,
Et vous verrez l'effet s'accorder à ma voix.
A quoi tant répéter ce discours inutile?
Me voici dans les champs, et je suis à la ville.
Parlé-je cette fois assez disertement,
En termes assez clairs, assez distinctement?
Nos fautes font bien moins, que votre défiance,
Ce malheur, qui chez vous nous ôte la créance.
Malheur, Amphitryon, à ceux que comme moi
Un sort abject et bas rend indignes de foi!
AMPH. Traître, qui te croira? quel esprit si crédule
Ne tiendra comme moi ce conte ridicule,
Que tu sois au logis, et que tu sois ici?
SOS. J'en suis le plus confus et le plus en souci;
Mais il n'est rien plus vrai. AMPH. Dessus quelle apparence
As-tu si fermement fondé cette assurance?
SOS. Il est trop vrai, vous dis-je, et cet étonnement,
S'il vous touche si fort, me touche également.
Je n'ai pas cru d'abord à cet autre moi-même,
J'ai démenti mes yeux sur ce rapport extrême;
Mais j'ai tant fait enfin que je me suis connu,
Je me suis tout conté comme il est avenu,
Jusques à me citer la coupe de Ptérèle;
J'ai mon nom, mon habit, ma forme naturelle;
Enfin je suis moi-même, et deux gouttes de lait
N'ont pas, à mon avis, un rapport si parfait.
J'ai trouvé, quand bien las j'ai ma course achevée....
AMPH. Quoi? SOS. Que j'étais chez nous avant mon arrivée;
Je travaillais ensemble et j'étais en repos,
Fatigué par les champs, et là frais et dispos.
AMPH. Dieux! comme il est troublé! Cette disgrâce insigne
Est le fatal présent de quelque main maligne,
Quelque méchant esprit rencontré sur ses pas.
SOS. Vous l'avez deviné, je ne le nirai pas.
Cette maligne main, si forte et si hardie,
D'un orage de coups m'a la joue étourdie.
AMPH. Qui t'a battu? SOS. Moi-même. AMPH. Et pourquoi? SOS. Sans raison.

AMPH. Toi? SOS. Moi, vous dis-je, moi, qui suis à la maison.
AMPH. Écoute, observe ici l'ordre que je désire,
Et réponds mot pour mot à ce que je vais dire.
Quel est, premièrement, ce Sosie inconnu
Qui t'a tout raconté ce qui t'est avenu?
SOS. Il est votre valet. AMPH. Trêve à sa courtoisie.
Deux me sont superflus, et j'ai trop d'un Sosie.
SOS. Le ciel ne soit jamais favorable à mes vœux,
Si je ne vous fais voir que vous en avez deux.
Celui que je vous dis, ma vivante peinture,
Passerait pour moi-même aux yeux de la nature;
Il m'est pareil de nom, de visage, de port;
Il m'est conforme en tout, il est grand, il est fort,
Et m'a de sa valeur rendu des témoignages:
Enfin je suis doublé; doublez aussi mes gages *.
AMPH. Un semblable miracle est trop prodigieux
Pour m'en fier à moins qu'au rapport de mes yeux.
Mais as-tu vu ma femme? SOS. Ayant fait mon possible
Pour me rendre d'abord votre porte accessible,
Enfin, rompu de coups, j'ai rebroussé mes pas.
AMPH. Et qui t'en a chassé? SOS. Moi, ne vous dis-je pas?
Moi que j'ai rencontré, moi qui suis sur la porte,
Moi qui me suis moi-même ajusté de la sorte,
Moi qui me suis chargé d'une grêle de coups,
Ce moi qui m'a parlé, ce moi qui suis chez vous.
AMPH. Le sommeil t'a surpris, t'a montré ton image,
Et ne t'a fait qu'en songe accomplir ton voyage.
SOS. Non, non, vos propres yeux vous le feront savoir;
Ce n'est point en dormant que je fais mon devoir:
J'ai veillé pour mon mal, j'ai veillé pour ma honte;
Veillant, je me suis vu, veillant je vous le conte:
Je me suis de cent coups, veillant, froissé les os;
J'ai veillé malheureux, et trop pour mon repos.
AMPH. Hâtons-nous, suis mes pas, et m'oblige à te croire
Faisant mes propres yeux témoins de cette histoire.
Par cette vue enfin je resterai confus.
SOS. Allons, mais que les coups, s'il se peut, n'en soient plus.

* Lepide jocatur; sed non meminit se esse mancipium, non mercenarium. Poetæ nostrates, ut cæteri illius ætatis, colloquentium in fabulis sermones ad morum convenientiam exigere non satis curaverunt. N.

SCÈNE II.

ALCMÈNE, CÉPHALIE.

ALCM. Par quel ordre fatal, ma chère Céphalie,
Faut-il que la douleur aux voluptés s'allie ?
Quel important besoin, quelle nécessité
Enchaîne ainsi la peine à la prospérité ?
C'est la première loi des lois de la nature
Qu'ici-bas un plaisir s'achète avec usure ;
Aux grands comme aux petits, aux rois comme aux bergers,
Les maux sont naturels et les biens étrangers.
Je l'éprouve chétive, et je sais par moi-même
Quelles sont les rigueurs de cette loi suprême ;
Moi, dis-je, dont tu vois que les tristes amours
Pour une bonne nuit ont tant de mauvais jours ;
Moi veuve d'un vivant, moi triste et solitaire,
Dont le soleil se couche aussitôt qu'il éclaire.
Tu vois qu'Amphitryon en une même nuit
Entre, sort, vient, s'en va, se laisse voir et fuit;
Sa venue en mes yeux trouve à peine des charmes,
Que sa perte aussitôt y veut trouver des larmes ;
Son retour me ravit, mais ce ravissement
Par l'ennui du départ est payé doublement.
CÉPH. Ce plaisir pour le moins doit soulager vos peines *,
Qu'il ramène vainqueur les légions thébaines.
. . . .
ALCM. Il est vrai que l'honneur dessus l'amour l'emporte,
Tant honnête soit-elle, et tant soit-elle forte :
De tous les beaux objets la gloire est le plus doux ;
Aussi de tous les biens ce bien seul est à nous.
Les trésors sont des biens, mais il les faut défendre ;
On vante un noble sang, mais on le peut répandre ;
Ce soir emportera tel qui vit aujourd'hui,
Et de ses jours le sort est plus maître que lui :
La vertu, ce seul bien de soi-même dispose ;

* Alcmena magnanimos sensus non sponte præ se fert, sed, hortante alia, induit. Sic amantior viri quam disciplinæ severæ tenacior. Ut gallicus a latino scriptor differt, ita mores novi ab antiquis. N.

Elle possède tout, et donne toute chose;
Et le sort.... Mais que dis-je? il revient sur ses pas.

SCÈNE III.

LES MÊMES; AMPHITRYON, SOSIE.

AMPH. Le plaisir est plus doux quand on ne l'attend pas;
Et ma vue en ce lieu sera d'autant plus chère
Qu'elle est moins attendue et que moins on l'espère.
ALCM. De quel avis nouveau naît ce prompt changement?
Je ne sais que juger en cet étonnement.
Ma chaste affection, lui serais-tu suspecte?
Douterait-il, hymen, combien je te respecte?
Vient-il voir à quel point me touche son départ?
Quelque tard qu'il arrive, il vient encore tard.
J'ignore quelle fin son retour se propose;
Mais je bénis l'effet, quelle qu'en soit la cause.
AMPH. Le ciel te rie, Alcmène, et soient bénis les dieux,
Dont le soin provident me ramène en ces lieux.
Viens-je aussi désiré que je te suis fidèle,
Et t'es-tu conservée aussi saine que belle?
SOS. Le beau ravissement, et le plaisant transport
Qu'elle me veut marquer par ce muet abord!
Quelle est cette surprise, et quel trouble l'agite?
La porte aurait parlé depuis qu'elle médite.
AMPH. Dieux! quels sont ces mépris et ces retardemens
Que ta défense apporte à nos embrassemens?
ALCM. Mais quel dessein plutôt, ou quelle humeur vous porte
A me venir railler et jouer de la sorte?
Qui, vous oyant parler, ne croirait qu'à ce jour
Vous faites en ce lieu votre premier retour,
Et que vous m'apportez les premières nouvelles
De votre heureux succès et du sort des rebelles?
AMPH. Qui le croirait ainsi ne s'abuserait pas:
Je viens de prendre port, j'arrive de ce pas;
Et ce baiser, payé d'une froideur si forte,
Est le premier salut que ma bouche t'apporte.
ALCM. Raillons s'il faut railler; vos plaisirs me sont doux,
Et je suis obligée à souffrir tout de vous:
Mais quel sujet retarde ou rompt votre voyage?

Avez-vous observé quelque mauvais présage?
Êtes-vous menacé par le vol des oiseaux?
Quelque soudain orage a-t-il ému les eaux?
Avez-vous redouté le pouvoir de Neptune,
Et laissez-vous l'armée au soin de la Fortune?
AMPH. Et quand, s'il t'en souvient, partis-je de ce lieu?
ALCM. Au lever du soleil vous m'avez dit adieu.
AMPH. Sosie, écoute. O dieux! quelle est sa frénésie?
ALCM. Je croirai là-dessus le rapport de Sosie.
SOS. Elle dort; laissons-là, nous troublons son repos:
Peut-elle sans rêver nous tenir ces propos?
ALCM. Non, non, je vous entends, je discours et je veille:
Veillant je vous ai vus. AMPH. Quelle est cette merveille?
SOS. Si d'un pilote adroit nos vaisseaux gouvernés,
Dormant, jusqu'en ce lieu nous avaient amenés;
Et que ce bon nocher pût introduire au monde
L'art de ramer sur terre aussi-bien que sur l'onde?
AMPH. Tu nous brouilles encore en cette occasion,
Et veux entretenir cette confusion.
SOS. C'est irriter les fous que de les contredire:
La folie est un mal que le remède empire.
AMPH. A quoi dois-je imputer un si mauvais accueil?
A ton extravagance, ou bien à ton orgueil?
Est-ce là cet abord de respect et de flamme
Que doit à son époux une pudique femme?
Sont-ce là ces transports d'amour et de devoir,
Qu'en ces occasions tu m'as toujours fait voir?
ALCM. Hier, à votre arrivée, avec quelle allégresse
Vous vins-je recevoir et vous fis-je caresse!
Je craignis justement que ma civilité
Ne passât du devoir à l'importunité.
CÉPH. S'il en était besoin, j'en rendrais témoignage.
AMPH. Nous sommes tous deux fous, si l'une et l'autre est sage.
SOS. Mais peut-être tous quatre, et c'est mon sentiment.
AMPH. Alcmène, est-ce folie ou divertissement?
Que t'est-il arrivé? quelle douleur te presse?
Ce fâcheux accident naît-il de ta grossesse?
ALCM. Je parle sainement. AMPH. Moi, je vins hier ici?
Tu l'oses soutenir? ALCM. Vous, et Sosie aussi.
SOS. Oui, mais je n'entrai pas. AMPH. Sa manie est extrême!

sos. Et je n'y vis que moi, qui m'en chassai moi-même.
AMPH. Écoute, Alcmène, et crois ce fidèle rapport :
Nos vaisseaux cette nuit se sont rendus au port,
Où j'ai pris le repas, où j'ai la nuit passée,
Où l'espoir de ta vue a flatté ma pensée,
D'où nous sommes partis ce matin seulement,
Et d'où nous arrivons en ce même moment.
ALCM. Faites à vos discours trahir votre mémoire,
Croyez ce qui n'est pas, si vous le voulez croire,
Et divertissez-vous à me mettre en souci ;
Mais dès hier arrivés, vous mangeâtes ici,
D'où vous n'êtes partis qu'au réveil de l'aurore.
AMPH. Je ne me connais plus ; moi-même je m'ignore.
ALCM. De quoi puis-je tenir, sinon de votre voix,
L'agréable récit du fruit de vos exploits,
Incomparable ardeur de ces foudres de guerre,
Qui semblent être nés pour conquérir la terre,
La prise de Télèbe, et le triste destin
Qui renversa l'orgueil de ce peuple mutin :
Votre duel enfin, et la mort de Ptérèle,
De qui, sinon de vous, tiens-je cette nouvelle ?
AMPH. Je t'ai fait ce récit? ALCM. Sosie était présent.
sos. Il ne m'en souvient point. O le débat plaisant!
AMPH. Il rit, et justement, de ton erreur extrême.
ALCM. Peut-il, instruit par vous, parler contre vous-même ?
AMPH. Dis-le, si tu le sais; m'as-tu vu l'aborder ?
sos. Êtes-vous fol aussi de me le demander,
La voyant, comme elle est, de sens si dépourvue?
AMPH. Au moins crois l'un des deux. ALCM. Je ne crois que ma vue;
Je vous parle sans art et sans déguisement,
Et n'ai point d'intérêt à parler autrement.
ALCM. Mais désavoûrez-vous une preuve certaine
Dont je vous vais convaincre et me tirer de peine ?
Ne tiens-je pas de vous ce riche vase d'or,
Dont on vous fit présent ? Le nîrez-vous encor?
AMPH. Non, il t'est destiné; t'en a-t-on avertie?
ALCM. Vous me l'avez baillé. AMPH. Quand ? ALCM. A votre sortie.
Trouverez-vous encor de quoi le contester ?
Vous plaît-il de le voir? le ferai-je apporter ?
AMPH. Voyons. Dieux! quel miracle égale ce prodige?

ALCM. Apportez, Céphalie. SOS. Elle est folle, vous dis-je :
Le voici que je porte, il est dans ce sachet,
Fermé de votre main et de votre cachet.
AMPH. Le sceau me semble entier. SOS. Avant que de ce terme
Elle passe en un pire, ordonnez qu'on l'enferme,
Pour votre sûreté comme pour son repos.
AMPH. Cet avis, ce me semble, est assez à propos*.
ALCM. Il est bien véritable, il faut que je le die,
Que les fous en autrui trouvent leur maladie,
Qu'ils tiennent tous esprits dans le défaut des leurs,
Et qu'ils se peignent tout de leurs propres couleurs.
CÉPH. Le voici. ALCM. Donnez-moi. Voyez si cette folle
Vous a fait concevoir une attente frivole,
Vous qui désavouez ce que vous avez fait;
Est-ce une illusion, ou ce vase en effet?
AMPH. O dieu, maître des dieux! divinité suprême!
Sosie, approche; tiens, le voilà, c'est lui-même.
Elle nous a charmés. SOS. Il le faut croire ainsi;
On ne le peut sans charme avoir ôté d'ici.
AMPH. Ouvre, romps le cachet. SOS. Quelle est cette aventure?
L'art veut à reproduire imiter la nature,
Et, comme vous et moi sommes déjà doublés,
Ce vase l'est encore, ou nous sommes troublés.
AMPH. Hâte-toi. SOS. Voilà fait. O dieux! AMPH. Apporte, montre.
SOS. Que vous puis-je montrer, si rien ne s'y rencontre?
O prodige inouï! AMPH. Retourne sur tes pas,
Traître; il le faut trouver. SOS. Ne le tient-elle pas?
Pour me l'avoir commis, qu'importe qui le rende?
AMPH. De qui l'as-tu reçu? ALCM. De qui me le demande.
AMPH. A quelle heure? où? comment? dis tout de point en point.
ALCM. Je vous vais tout conter, je ne me défends point.
Hier, au point que la nuit tendait ses sombres voiles,
Et qu'on voyait au ciel les premières étoiles
. . . . . AMPH. Après. ALCM. Je vous tendis les bras.
AMPH. Un si courtois accueil déja ne me plaît pas.
ALCM. Je reçus et rendis le salut ordinaire.
AMPH. J'ai peur d'avoir tant fait, qu'il m'en doive déplaire.

* Scurriliter et indecore Amphitruo cum servo colludit. Hæc non Plautus præivit. N.

Mais continue : après? ALCM. J'appris de vous enfin
Des contraires partis le contraire destin,
Et comme sous Créon toute la terre tremble.....
AMPH. Lors? ALCM. Il fallut manger; nous lavâmes ensemble.
AMPH. Et puis? ALCM. Nous prîmes place où le couvert fut mis.
AMPH. Tout cela m'est suspect, nous étions trop amis.
Enfin, après souper? ALCM. Fatigué du voyage.....
AMPH. Je crains, et justement, d'en savoir davantage.
ALCM. Vous vous mîtes au lit. AMPH. Je tremble. Achève; après?
ALCM. J'en usai comme vous, et vous suivis de près.
AMPH. Où? c'est ici le point que surtout j'appréhende.
ALCM. Auprès de vous. Pourquoi? quelle est cette demande?
AMPH. Comment! en même lit? ALCM. Avec la liberté
Qu'une pudique femme a de l'honnêteté,
Et par la loi d'hymen, immuable et sacrée,
Qui m'y donne ma place et m'en permet l'entrée.
AMPH. O malheur! ALCM. Qu'avez-vous? AMPH. Tais-toi, ne parle plus;
Ce funeste discours me rend assez confus.
O malheur de mes jours! malheureux hyménée!
Malheureuse cent fois ma triste destinée!

....

ALCM. Qu'est-ce? qu'a mon époux? AMPH. Horreur de ma maison,
Ne m'appelle jamais de ce funeste nom.
Avec d'autres que moi tu partages ma couche,
Tu reçois des baisers d'autres que de ma bouche.
O dieux! ô Jupiter, tu vis ce suborneur
D'un immortel affront diffamer mon honneur,
Et, cruel, à tes yeux tu souffris cette injure!
SOS. Je ne sais quel caprice est celui de nature,
J'ignore son dessein; mais, à ce que je voi,
Vous êtes pour le moins aussi double que moi.

....

ALCM. J'atteste de Jupin la puissance suprême
Que mon lit n'a reçu de mortel que vous-même,
Ou que vive je brûle en la place où je suis;
Femme j'ose jurer, mais chaste je le puis.
Les biens de mes parens sont un vil héritage;
J'eus la crainte des dieux et l'honneur en partage;
Ma pudeur, mon respect, ma chaste affection,
Plus que tout autre bien sont ma possession.

AMPH. Tout esprit, tout conseil et tout sens m'abandonne;
J'ignore qui je suis, et ne connais personne.
SOS. Quelque savant démon, en la magie expert,
Fait qu'ainsi tout se change, et se double et se perd.
AMPH. Si faut-il avec soin éclaircir cette affaire.
ALCM. Vous avez liberté, comme droit, de le faire.
AMPH. Même j'en ai moyen : si j'amène du port
Naucrate ton parent, croiras-tu son rapport?
Il sait ce que j'ai fait depuis notre venue,
Et n'a pas d'un moment abandonné ma vue;
Consens-tu, si sa voix convainc tes faussetés,
A rompre le lien qui joint nos libertés?
ALCM. Soit qu'il prouve ma faute, ou me trouve innocente,
Si vous le désirez, il faut que j'y consente.
AMPH. Je reviens. Va, Sosie, entre et m'attends chez nous.
ALCM. Qui rend cet insensé de soi-même jaloux?
SOS. Puisque nous sommes seuls, bannissons toute feinte,
Guérissez-moi l'esprit d'une mortelle crainte.
Ne m'avez-vous point vu? ne suis-je point chez nous?
Et ne m'attends-je point pour m'accabler de coups?
CÉPH. Que dit cet insensé? ALCM. Ne m'approche pas, traître,
Suppôt d'un imposteur, valet digne du maître.



ACTE III.

SCÈNE PREMIÈRE.

JUPITER *seul.*

Je suis ce suborneur, ce faux Amphitryon
Qui remplis tout d'erreur et de confusion,
Que tout charme défère à la beauté d'Alcmène.
. . . .
Mais ce chaste sujet de l'amour qui me presse
Sort les larmes aux yeux : modérons sa tristesse;
Chassons pour quelque temps le trouble de ces lieux,
Mais ne la détrompons que pour la tromper mieux.

SCÈNE II.

ALCMÈNE, CÉPHALIE, JUPITER.

CÉPH. Madame, où courez-vous? ALCM. Furieuse, interdite,
Je marche, je discours, je rêve, je médite,
Je cède à ma douleur, je suis son mouvement
Sans dessein, sans conseil et sans allégement :
Je vais, sans observer sentier, route, ni place,
De penser en penser et d'espace en espace,
Et mes pas incertains se perdent à chercher
Un endroit assez sombre où pouvoir me cacher.
Ma foi devient suspecte. O dieux! pourquoi, ma vie,
Pourquoi dès le berceau ne me fus-tu ravie?
Que ne me sauvas-tu d'un affront si honteux?
. . . .
JUP. Enfin laissons-nous voir, calmons ce grand courage;
D'une seule parole apaisons cet orage.
ALCM. Le voici de retour. Fuyons cet affronteur,
Fléau de mon repos, ce subtil imposteur.
JUP. Chère Alcmène, où fuis-tu? pourquoi, si fort émue,
De qui te veut parler détournes-tu la vue?
ALCM. Je la détourne ainsi de qui m'est odieux;
Ce qui déplaît au cœur ne saurait plaire aux yeux.

JUP. De qui t'est odieux ? ALCM. Oui; toujours incrédule,
Croyez que je vous ments et que je dissimule.
Mais le ciel voit mon cœur exempt de fiction,
Et connaît combien forte est cette aversion.
JUP. Il connaît combien prompte est aussi ta colère,
Et comme il me déplaît d'avoir pu te déplaire.
Celui n'aime pas bien qui peut tôt se venger;
Et c'est trop de rigueur pour un mal si léger.
ALCM. Laissez, retirez-vous : pouvez-vous sans folie
Agréer que ma main à la vôtre s'allie,
La main d'une impudique, une profane main?
Ne me souffrez jamais, si votre esprit est sain.
Quoi! celle que vous-même accusez d'infamie,
Vous ne la traitez pas comme votre ennemie?
Vos résolutions se laissent ébranler,
Et, sans être insensé, vous me pouvez parler?
JUP. Tu crois donc que mon cœur ait avoué ma bouche?
Non, trop sensiblement cette injure te touche,
Et certes plus avant que je n'espérais pas.
Pour t'ôter de souci, je reviens sur mes pas.
Tu fais d'un passe-temps une sensible offense;
Je voulais seulement éprouver ta constance;
Et, loin de témoigner tant de ressentiment,
Tu devais partager ce divertissement.
....
ALCM. Pourquoi n'amenez-vous ce fidèle témoin
Qui peut de fausseté me convaincre au besoin?
JUP. Fais-tu d'une risée un discours d'importance,
Et d'un mot dit par jeu tires-tu conséquence?
ALCM. Je sais combien l'affront me touche vivement.
JUP. Mon regret m'en punit assez cruellement,
Et ce que j'en croyais démentait mes paroles.
ALCM. J'ai fait par ma vertu qu'elles étaient frivoles :
A vos mauvais soupçons elle a tranché le cours;
Mais je le veux trancher à vos mauvais discours.
Détournons les malheurs où l'hymen nous expose,
Et pour les détourner ruinons-en la cause;
Laissons faire à ce jour ce qu'un autre ferait,
Et rompons un lien qui nous étoufferait.
JUP. Ah! ne m'oblige pas à tant de pénitence;

Proportionne au moins le supplice à l'offense;
Oppose ta froideur aux baisers que je veux,
Et de quelque mépris paie aujourd'hui mes vœux.
Mais, qu'aucun accident me sépare d'Alcmène!
Souhaite-moi la mort plutôt que cette peine:
Si quelque autre est plus sage en mon opinion,
Qu'à jamais Jupiter haïsse Amphitryon.
ALCM. Mais qu'il l'aime plutôt, et qu'il lui soit prospère.
JUP. J'ai juré justement, justement je l'espère.
Puis-je espérer aussi de vaincre ta rigueur?
ALCM. Dieux! qu'avec peu d'efforts vous me gagnez le cœur,
Et que j'ai de bonté! JUP. Tel est l'ordre des choses,
Que toujours quelque épine accompagne les roses:
Quelque nœud si serré qui joigne deux amours,
Toujours quelque accident en traverse le cours;
Mais notre ardeur enfin de ces douces querelles,
Comme un feu d'un peu d'eau, prend des forces nouvelles;
D'un petit différent naît une longue paix,
Et d'une triste cause il sort de beaux effets.
. . . .
. . . . Vous, appelez Sosie;
Qu'il amène les chefs du reste des soldats,
S'ils sont encore au port, prendre ici le repas.
(*A part.*) Ainsi de la maison sans soupçon je le chasse,
Où Mercure aussitôt occupera sa place.
. . . .

SCÈNE IV.

JUPITER, SOSIE.

SOS. Êtes-vous tous deux fous? quel est ce changement?
JUP. Vois quelle heureuse paix suit cette douce guerre.
. . . .
SOS. Jupiter soit béni d'une telle aventure!
JUP. Hé quoi! ne sais-tu pas que je voulais gausser?
SOS. Je croyais le contraire, il le faut confesser.
JUP. Cours de ce pas au port prier les capitaines,
Qui commandaient sous moi les légions thébaines,
De se rendre au palais, et d'y prendre un repas.
SOS. Entrez, je vais voler, je ne marcherai pas.

JUP. (*Seul.*) Toi qui du ciel en terre apportes mes nouvelles,
Quitte ce champ d'azur et fends l'air de tes ailes :
Adroit, dérobe-toi de la table des dieux;
Descends, divin Sosie, et te rends en ces lieux.

SCÈNE V.

MERCURE *seul, descendant du ciel sous la figure de Sosie.*

Hommes, dieux, animaux, sortez de mon passage;
S'éloigne qui pourra, fuie quiconque est sage,
Mais malheur à celui qui ne m'évite pas;
J'abats, romps, pousse, brise, et mets tout sous mes pas.
J'obéis à mon père et viens servir mon maître :
Tel un bon serviteur, tel un bon fils doit être;
Qui veut de son devoir s'acquitter dignement
Doit forcer tout obstacle et tout empêchement.
. . . .
Tout en désordre enfin j'ai traversé les nues
Par les routes de l'air à mes yeux si connues,
Et, pour ne pas ravir l'espace d'un moment
A l'ardeur que je dois à ce commandement,
Dedans ce vaste champ j'ai changé de figure :
Je suis Sosie en terre, au ciel j'étais Mercure.
J'arrive enfin à temps. On ouvre; quelqu'un sort.
. . . .



ACTE IV.

SCÈNE PREMIÈRE.

AMPHITRYON *seul.*

Et sur tout le rivage, et par toute la ville,
J'ai fait pour le trouver une course inutile :
Il n'est temple, bureau, halle, jeu, carrefour,
Dont pour le rencontrer je n'aie fait le tour.
Mais rien ne me succède, et sa recherche est vaine;
Ma seule lassitude est le fruit de ma peine.
. . . .
Entrons, et, s'il se peut, sachons quel imposteur
De ces confusions est le subtil auteur.
Tirons par la rigueur, si la douceur est vaine,
Cette confession de la bouche d'Alcmène;
Étouffons ce serpent, perdons ce suborneur,
Et puisse tout périr plutôt que mon honneur!
Holà! quelqu'un ici!

SCÈNE II.

MERCURE *à la fenêtre, sous la figure de Sosie;* AMPHITRYON.

MERC. Qu'est-ce? AMPH. Ouvre tôt la porte.
MERC. Que veut cet insolent, qui heurte de la sorte?
AMPH. Ouvre, c'est moi. MERC. Qui moi? AMPH. Moi, qui te parle, moi.
MERC. T'exterminent les dieux, toi qui me parles, toi!
Jamais si violent n'éclata le tonnerre.
S'il frappe encore un coup, il mettra tout par terre.
AMPH. Comment? MERC. Qu'est-ce, comment? que veut cet insensé?
AMPH. Quoi, tout, jusqu'aux esprits, est ici renversé?
Quel dieu de ce désordre a ma maison remplie?
Sosie! MERC. Eh bien! c'est moi; crains-tu que je l'oublie?
Achève, que veux-tu? AMPH. Traître, ce que je veux!
MERC. Que ne veux-tu donc point? réponds-moi si tu peux.

Il pense s'adresser à quelque hôtellerie,
De la façon qu'il frappe, et qu'il parle et qu'il crie.
Eh bien! m'as-tu, stupide, assez considéré?
Si l'on mangeait des yeux, il m'aurait dévoré.
AMPH. Quel orage de coups va pleuvoir sur ta tête!
Moi-même j'ai pitié des maux que je t'apprête.
Sois-je aussi cher aux dieux que je vais en ta mort
Faire un exemple horrible à tous ceux de ton sort!
MERC. Mais si ce malheur même arrive à qui menace?
AMPH. A-t-il perdu l'esprit? Dieux! quelle est son audace?
Mais qu'attends-je en ce lieu? Traître, tu n'ouvres pas?
Rompons tout, brisons tout, et mettons tout à bas!
MERC. Spectre, qui que tu sois, fantôme, ombre vivante,
Qui crois par ta menace exciter l'épouvante,
Si ta fuite, insensé, tarde encore un moment;
Si du pied, de la main, ou du doigt seulement,
Même du souffle seul, tu touches cette porte,
Devine quel congé cette tuile te porte:
Un passe-port du jour aux éternelles nuits.
AMPH. Connais-tu qui te parle, et sais-tu qui je suis?
MERC. Ni je ne te connais, ni ne te veux connaître.
AMPH. Misérable est le serf qui s'attaque à son maître.
MERC. Toi mon maître? AMPH. Qui donc? MERC. O le doux passe-temps!
AMPH. Je te le vais, pendard, apprendre à tes dépens.
S'il se peut, que l'on m'ouvre; ou si tu peux descendre.....
MERC. Autre qu'Amphitryon n'a droit de me l'apprendre;
Je ne reçois des lois d'autres maîtres que lui.
AMPH. Qu'entends-je? quel parais-je? et qui suis-je aujourd'hui?
Sosie, ouvre les yeux; quelle est ta frénésie?
Je suis Amphitryon, ou tu n'es pas Sosie.
MERC. Ne l'ai-je pas bien dit, qu'il était insensé?
Passe, mauvais bouffon; tu t'es mal adressé;
Passe, laisse mon maître, en l'entretien d'Alcmène,
Posséder le repos qui succède à sa peine.
La guerre faite aux champs, laisse la paix chez nous,
Et ne fais point mon temps l'exercice des fous.
AMPH. Quels fous, et qui ton maître? MERC. Amphitryon, te dis-je.
A combien de discours cet importun m'oblige!
AMPH. Eh! de grâce, Sosie, ôte-moi de souci.

Tu dis qu'Amphitryon..... MERC. Oui, te dis-je, est ici.
AMPH. En la chambre d'Alcmène? MERC. Et dessus son lit même.
AMPH. Que résoudrai-je, ô dieux! en ce désordre extrême?
Que ferai-je? en quel lieu s'adresseront mes pas?
Sosie, encore un coup, ne me con..ais-tu pas?
MERC. Oui, pour un importun. AMPH. Descends, lâche; ouvre, traître,
Peste, ivrogne éternel, qui méconnais ton maître.
Nous verrons, à la fin d'un passe-temps si doux,
Si tu reconnaîtras ce que pèsent mes coups.
MERC. Attends, au nom des dieux. AMPH. Te puissent-ils confondre!
MERC. Je te vais envoyer qui te saura répondre.
AMPH. Qu'il vienne, qu'il paraisse. MERC. Il te fera raison.
AMPH. Périssent valet, femme, et famille, et maison!
Dieu, souverain des dieux, je réclame ton aide;
Tu peux seul à ma peine apporter du remède;
Éclaircis mes soupçons, débrouille ce chaos;
Si tu ne veux ma perte, établis mon repos,
Dessille-nous les yeux, dissipe ce nuage,
Et rends-moi pour le moins mon nom et mon visage.

SCÈNE III.

SOSIE, TROIS CAPITAINES, AMPHITRYON.

1er CAP. Tu nous en contes bien; qui t'en a tant appris?
Oh! comme tu joûrais de crédules esprits!
SOS. Il n'est rien plus certain. 1er CAP. A d'autres ces chimères,
Ces contes à plaisir, ces coups imaginaires.
SOS. Pour mon dos toutefois c'étaient des vérités,
Et vous doutez à tort de ces duplicités.
Vous fasse Jupiter partager notre peine,
Et puissiez-vous produire un autre capitaine,
Qui vous traite d'abord comme je fus traité,
Et qui convainque enfin votre incrédulité!
....
2e CAP. Avançons, le voici. SOS. Je crains quelque disgrâce.
2e CAP. Comment? SOS. Voyez que seul, errant en cette place,
Il murmure en lui-même, et semble avec les yeux
Vouloir manger la terre et menacer les cieux.

1er CAP. En attendant la faim, rêvant, il se promène.
SOS. Vous pourrez mal dîner si ma crainte n'est vaine.
AMPH. Je doute quel succès est le plus glorieux,
Ou celui des vaincus, ou des victorieux;
La fin de mon triomphe est un désordre extrême
Qui me rend plus vaincu que n'est le vaincu même;
Et d'un si long voyage, et si laborieux,
Le seul travail est mien, la gloire en est aux dieux.
SOS. Arrêtez, un mot seul me tirera de peine.
AMPH. Que ce vice ait fait brèche à la vertu d'Alcmène!
Quel prodige inouï peut plus nous étonner?
Et quelle honnêteté ne doit-on soupçonner?
La coupe de Ptérèle est une autre merveille
Qui ne se peut comprendre et n'a point de pareille,
Et l'ouïr de nos faits conter l'événement
Passe toute créance et tout étonnement.
Mais je conçois la fourbe, et tout cet artifice
De l'esprit de Sosie est sans doute un caprice
Que lui-même accusé ne peut désavouer,
Puisqu'à mes propres yeux il ose me jouer.
SOS. On parle ici pour moi? La fatale journée!
Quelque incommodité m'est encor destinée.
AMPH. Mais s'il peut aujourd'hui tomber entre mes mains,
Misérable est son sort sur tous ceux des humains:
Il peut compter ce jour le dernier de sa vie.
SOS. Il m'obligerait fort s'il perdait cette envie.
A qui naît fortuné tout lui succède bien;
Un malheureux fait mal, même en ne faisant rien.
Allez, sachez de lui quelle est cette disgrâce,
Et faites s'il se peut que ce désir lui passe.
1er CAP. Le ciel, Amphitryon, soit propice à vos vœux.
AMPH. Vous venez justement à l'heure où je vous veux:
Enfin votre rapport nous tirera de peine.
Quel sort si favorable en ce lieu vous amène?
1er CAP. Nous vous obéissons, mandés expressément,
Et Sosie est porteur de ce commandement.
AMPH. Quoi! de ma part? 1er CAP. Sosie au moins nous l'a fait croire.
AMPH. O ciel! avec mon nom perds-je encor la mémoire?
Qui de ces mandemens chargea cet insensé?
Où vous a-t-il trouvés? où l'avez-vous laissé?

1er CAP. Le voilà. AMPH. Qui? 1er CAP. Sosie. AMPH. Où? 1er CAP. Devant vos yeux même.
Ne le voyez-vous pas? AMPH. Ma colère est extrême
Jusqu'à m'ôter le sens et jusqu'à m'aveugler.
Approche : c'est toi, traître, à qui je veux parler;
Toi, peste des mortels, dont l'audace effrontée,
A ma vue, à mon su, jusqu'à moi s'est portée;
Qui tout soin, tout devoir et tout respect à bas,
Veux railler tout le monde et ne m'exceptes pas :
Le ciel même, le ciel, à mes desseins contraire,
Ne te soustrairait pas à ma juste colère.
Laissez, votre défense irrite mon courroux.
1er CAP. Écoutez-moi. AMPH. Parlez. Mais, toi, reçois les coups.
SOS. Pourquoi? quelle furie, à ma perte animée,
De cette aveugle ardeur a votre âme enflammée?
Ai-je où vous m'envoyez fait un trop long séjour,
Et pouvais-je plus tôt être ici de retour?
1er CAP. Arrêtez. SOS. Je suis mort. Quel démon vous agite?
J'ai couru, j'ai volé; peut-on marcher plus vite?
AMPH. De ton audace enfin ai-je tiré raison?
Traître, voilà le toit, la tuile, la maison;
Reconnais-tu la porte, et vois-tu la fenêtre
D'où tu feignais tantôt de ne me pas connaître?
1er CAP. Vous a-t-il offensé? AMPH. Me le demandez-vous?
Il me veut, l'insolent, éloigner de chez nous;
Il me ferme la porte, il me joue, il me chasse,
Et de cette fenêtre il m'use de menace.
SOS. Moi? AMPH. De combien de coups ne m'as-tu menacé,
Si j'eusse osé heurter, ou si j'eusse avancé?
Veux-tu nier? SOS. Pourquoi ne le nîrai-je pas?
. . . .
N'ai-je pas en ces gens un trop clair témoignage?
Ne les mandez-vous pas? viens-je pas du rivage?
Vous puis-je faire injure en vous obéissant?
Vous voyais-je du port, et vous parlais-je absent?
N'y suis-je pas allé par votre charge expresse?
AMPH. De moi? SOS. Que j'ai laissé parlant à ma maîtresse,
Après l'heureux accord qui vous a réunis?
AMPH. Comment, Alcmène et moi? SOS. Dont les dieux soient bénis.
AMPH. Es-tu capable encor de cette effronterie?

1er CAP. Que je vous dise un mot : laissez-le, je vous prie.
Les divers accidens arrivés en ces lieux,
Si j'en crois ses discours, sont si prodigieux,
Qu'il serait à propos d'en faire plus d'enquête
Avant que cet orage éclatât sur sa tête :
Quelque charme secret vous peut brouiller ainsi,
Qui mériterait bien qu'on s'en mît en souci.
AMPH. Entrons, et me prêtez et vos soins et votre aide
A chasser de ce lieu l'erreur qui nous possède.

SCÈNE IV.

LES MÊMES; JUPITER.

JUP. Que m'a-t-on rapporté ? que veut cet insolent,
Qui trouble mon repos d'un bruit si violent ?
Que ne parut au camp cette humeur importune
Qui veut à ma valeur devoir son infortune,
Qui m'offre après la paix des exploits superflus,
Et m'apporte du sang quand je n'en cherche plus !
SOS. Voici, voici, Thébains, la doute consommée :
Ce seul Amphitryon commanda votre armée ;
Que votre gloire en lui connaisse son auteur.
L'autre est un insolent, un fourbe, un imposteur.
1er CAP. Que voyez-vous, mes yeux ? quelle est cette merveille ?
2e CAP. Que vois-je ? ô Jupiter ! rêvé-je, ou si je veille ?
SOS. Que ne lui parlez-vous ? C'est lui, n'en doutez plus :
Voyez qu'à son abord l'autre reste confus.
. . . .
1er CAP. Quelle est cette aventure, et quelle occasion
A jamais excité tant de confusion ?
Le ciel même, le ciel, trompé par son ouvrage,
Ne pourrait discerner l'un ni l'autre visage :
S'il se peut toutefois vidons ce différent.
SOS. Le premier est un fourbe, il est trop apparent.
AMPH. Ce fourbe tôt ou tard te rendra cette injure.
SOS. Te perde Jupiter ! AMPH. Te confonde Mercure !
JUP. Balancez-vous encor dessus ce jugement ?
1er CAP. Qui n'y balancerait ? C'est certes justement.
Mais répondez tous deux. AMPH. Auteur de la nature,
Qui te fait, Jupiter, emprunter ma figure ?

1er CAP. Ne parlez qu'à moi seul. Vous, quel est votre nom?
AMPH. Amphitryon, vous dis-je. 1er CAP. Et vous? JUP. Amphitryon.
AMPH. Qui suis fils de Dias. JUP. Qui suis mari d'Alcmène.
AMPH. Nommé chef par Créon..... JUP. De la troupe thébaine.
AMPH. Qui, lorsque le soleil..... JUP. Approchait du lion.....
AMPH. Fus porter la terreur..... JUP. A la rébellion.
AMPH. La mort suivit l'effroi..... JUP. De ce peuple rebelle.
AMPH. Voici la propre main. JUP. Par qui mourut Ptérèle.
AMPH. D'un vase précieux..... JUP. Où buvait le mutin.....
AMPH. Il me fut fait présent..... JUP. Qui fut tout mon butin.
AMPH. Enfin victorieux..... JUP. Je partis du rivage.
AMPH. Laissant aux ennemis..... JUP. La mort ou le servage.
AMPH. Un favorable vent..... JUP. Nous a rendus au port.
AMPH. Me voici de retour..... JUP. Et voici mon abord.
AMPH. Mais chacun aujourd'hui..... JUP. Me semble méconnaître.
AMPH. Voilà qu'un suborneur..... JUP. Arrête, tu mens, traître.
Fais mieux faire à ta main que t'a bouche n'a fait,
Et du discours enfin prouvons-nous par l'effet.
AMPH. Cette voie en effet est la meilleure preuve;
C'est par elle qu'il faut qu'Amphitryon se treuve*,
Et que j'ôte la vie à qui m'ôte mon nom.
Donnons. 1er CAP. Amphitryon, épargne Amphitryon;
Exerce ta valeur ailleurs qu'à te détruire;
Veuille en d'autres plutôt encor te reproduire.
Tous deux épargnez-vous, calmez cette fureur;
Je connais le moyen de nous tirer d'erreur.
Vous, parlez le premier. Le jour de la victoire
Qui sur les Taphiens nous acquit tant de gloire,
De quoi, de votre part, reçus-je un ordre exprès?
AMPH. De faire sur le port tenir des vaisseaux prêts.
JUP. Où j'eusse mon recours au cas de la défaite.
1er CAP. Et quelle autre ordonnance encore me fut faite?
AMPH. Que mes coffres surtout, conservés avec soin...
JUP. Ne nous pussent manquer en l'extrême besoin.
1er CAP. Remplis de quel argent? AMPH. De cent talens attiques.
JUP. De cent ioniens, et de deux cents persiques.

* Amphitruonem pavitantem præberi decorum gallicum non sinebat. Vir injuria et contumeliis lacessitus, gladio non decernere, in nostrati scena, non poterat. N.

1[er] CAP. Tous deux également disent la vérité,
Et me laissent confus par cette égalité.

. . . .

AMPH. Mais quoi ! ne suis-je pas cet Amphitryon même
Qui fit Taphe l'objet de sa valeur extrême,
Acarnane, Télèbe, et cent peuples divers
Que j'ai soumis aux lois de Créon que je sers ?
JUP. C'est moi qui de mon père ai vengé l'homicide
Sur toute l'Achaïe et toute la Phocide;
Qui sur la mer Égée ai conquis cent vaisseaux,
Et laissé la frayeur en l'empire des eaux.
AMPH. Dieux ! qu'a-t-il réservé ? que peut-il dire encore ?
Je doute qui je suis, je me perds, je m'ignore;
Moi-même je m'oublie et ne me connais plus.
1[er] CAP. Pour moi puisqu'à ce point chacun reste confus,
Dans ces doutes enfin, l'avis où je m'arrête
Est de suivre celui chez qui la table est prête*.
Qui de vous nous a fait préparer le repas ?
JUP. Moi, qui vous ai mandés. 1[er] CAP. Nous suivrons donc vos pas.
JUP. Entrons. 2[e] CAP. Pour ce rêveur la porte sera close;
Qu'il médite à loisir sur la métamorphose.
AMPH. Quoi! cet affront encore à tant d'autres est joint ?
2[e] CAP. Point, point d'Amphitryon où l'on ne dîne point.
SOS. Oh ! qu'un heureux effet succède à mon envie !
AMPH. Quoi, par cet imposteur ma maison m'est ravie,
Mes valets, mes amis, ma famille, mon nom ;
Et par Amphitryon périt Amphitryon ?
Non, non ; à qui tout manque il reste du courage,
Et l'innocence enfin surmontera l'outrage :
Sans consumer de temps en frivoles discours,
Allons de Créon même implorer le secours,
Et par son aide, jointe à l'ardeur qui l'enflamme,
Faisons plutôt périr valets, amis, biens, femme,
Enfans, parens, voisins, honneur, charges, maison,
Que de cet affronteur je n'aye pas raison.

* Hujusmodi judicium Sosiæ attribuerunt, sapientius quidem, Plautus, dein Molierus. N.

ACTE V.

Multa, ut quintum fabulæ suæ actum expleret, Rotrovius commentus est, non satis feliciter, ut opinor; quippe qui personas dramatis rursus eisdem ludis, quos jam vidimus, agitatos reponat, scilicet Sosiam abactum domo a Mercurio et vapulantem, Jovem duces Thebanos fallentem specie Amphitruonis, etc. N.

SCÈNE IV.

AMPHITRYON, SOSIE, LES GARDES DE CRÉON, LES CAPITAINES.

. . . .

AMPH. Entrons, rompons, brisons; secondez mon dessein;
Surprenons, s'il se peut, l'adultère en son sein.
Partout l'honnêteté repose à porte ouverte;
Cette porte fermée assure encor ma perte :
Le vice seulement aime de se cacher;
La femme qui s'enferme a dessein de pécher.
Joignez donc vos efforts à ma juste colère;
Frappons, brisons, entrons, convainquons l'adultère.

SCÈNE V.

LES MÊMES; CÉPHALIE *effrayée.*

. . . .

CEPH. Quel effroi, quelle horreur, quel bruit, quelle épouvante!
Respiré-je le jour! suis-je morte ou vivante?
Où vais-je? que deviens-je? où sera mon recours?
Le ciel même peut-il m'apporter du secours?
Mais ce grand bruit enfin calme sa violence,
Les cieux ont à la nue imposé le silence :
Cet ordre rétablit mes sentimens perclus,
Et l'horreur du trépas ne m'épouvante plus.
O dieux! quelle frayeur fit jamais tant de peine?
Et dans quel appareil le ciel visite Alcmène!
Mais qu'aperçois-je? hélas! de quel nombre de corps

A le tonnerre accru le triste rang des morts?
Amphitryon est mort, et de cette tempête
Ses lauriers infinis n'ont pu sauver sa tête;
La mort les a changés en de tristes cyprès.
Pour le mieux reconnaître approchons-en plus près.
Mon maître, Amphitryon! AMPH. Je suis mort. Qui m'appelle*?
CÉPH. Soit bénie, ô Jupin, ta puissance immortelle,
Qui des coups de ton foudre a garanti son sort!
Amphitryon, parlez. AMPH. Que veux-tu? Je suis mort.
CÉPH. Levez-vous. AMPH. Qui me tient? CÉPH. Moi, votre Céphalie.
AMPH. De quels traits, sans mourir, est ma vie assaillie!
Quoi! je revois le jour? CÉPH. Rassurez vos esprits.
D'une égale frayeur nous étions tous surpris;
Mais un bon calme enfin succède à cet orage.
....
Quand un dieu veut en terre annoncer sa venue,
C'est ainsi qu'il en use; il fait parler la nue.
Oyez par la merveille arrivée en ces lieux,
Combien votre maison doit être chère aux dieux.
AMPH. Dis tôt donc, hâte-toi de me tirer de peine.
Mais me reconnais-tu? CÉPH. Oui, pour mari d'Alcmène.
AMPH. Vois bien. CÉPH. Je vous vois trop. AMPH. Ne t'abuses-tu point?
CÉPH. Croyez-vous que la peur m'ait troublée à ce point?
AMPH. Qui suis-je? CÉPH. Amphitryon. AMPH. De toute ma famille
La raison est restée à cette seule fille,
Ou leur aveuglement naissait de leur dessein.
CÉPH. Je suis la plus troublée, et tout le reste est sain.
AMPH. Que n'est fou tout le reste, et qu'Alcmène n'est sage!
Mais que de la raison elle a perdu l'usage!
L'affront que j'en reçois me trouble tellement,
Que j'en perds sens, repos, raison et jugement.
CÉPH. Quelque apparent sujet où ce mépris se fonde,
Il blesse une vertu qui n'a point de seconde.
Par un récit, témoin de son honnêteté,
Oyez combien à tort vous en avez douté.
Sachez premièrement que pendant ce tonnerre
Cette chaste princesse a mis deux fils par terre.

* Mimice nimis et imprudenter imitando auctori latino nunc Rotrovius inservit, qui Amphitruonem non sibi constantem prodit. Vide not. p. 150. N.

AMPH. Le ciel est trop soigneux de conserver mon nom.
SOS. Oh ! que d'Amphitryons d'un seul Amphitryon !
CÉPH. Mais écoutez comment : quelques douleurs légères,
Du terme finissant communes messagères,
L'ont à peine obligée à réclamer les dieux,
Que de soudains éclairs éblouissent nos yeux,
Et que votre maison, de ces feux éclairée,
Du bas jusqu'au lambris paraît être dorée.
Alcmène cependant, et sans cris et sans pleurs,
Ordinaires effets de pareilles douleurs,
Aussitôt qu'elle souffre aussitôt soulagée,
De ce riche fardeau se trouve déchargée.
AMPH. Le ciel est trop soigneux de ma postérité,
Et ne la traite pas comme elle a mérité.
CÉPH. Son innocence enfin vous sera manifeste;
Ne m'interrompez point, écoutez ce qui reste :
A peine ils sont lavés, que nous voyons l'un d'eux
Étendre et déployer ses petits bras nerveux,
Et des pieds et des mains, par des efforts étranges,
Se défendre sur nous de la prison des langes;
Et l'ayant au berceau non sans peine rendu,
(O prodige incroyable, et jamais entendu !)
Deux horribles serpens ailés, à larges crêtes,
Dressant vers ce berceau leurs venimeuses têtes,
D'un vol impétueux sur lui se sont lancés.
AMPH. O dieux ! CÉPH. Ne craignez rien : lui, ses langes forcés,
Tant qu'à son petit corps ne resta nul obstacle.....
AMPH. Que dit-elle, bons dieux ? qui croira ce miracle ?
CÉPH. Les prend, les presse au col, et leur fait à tous deux
Faire autour de ses bras cent replis tortueux.
De leur col allongé sort une jaune bave
Qui coule entre ses doigts et tout le bras lui lave,
Il serre enfin les mains, redouble ses efforts,
Et tous deux étouffés à terre tombent morts.
AMPH. Dieux ! par ton seul récit leur venin m'est funeste;
Ce seul discours me tue. CÉPH. Écoutez donc le reste.
. . . .
Là d'une claire voix la chambre retentit,
Et ces termes distincts ont frappé nos oreilles :
Cet enfant sera dieu; tous ses faits des merveilles,

La gloire son objet, l'univers sa maison;
Son père est Jupiter, qu'Hercule soit son nom.
. . . .

AMPH. Je plaindrais mon honneur d'un affront glorieux,
D'avoir eu pour rival le monarque des dieux!
Ma couche est partagée, Alcmène est infidèle,
Mais l'affront en est doux, et la honte en est belle,
L'outrage est obligeant; le rang du suborneur
Avecque mon injure accorde mon honneur.
Mais quel nouvel orage à ce calme succède?
O Dieu, maître des dieux, je réclame ton aide.

SCÈNE VI.

Les mêmes; JUPITER *en l'air.*

JUP. Rassemble, Amphitryon, et possède tes sens;
C'est bien ici le même foudre
Dont je mis les Titans en poudre,
Mais il ne tombe pas dessus les innocens.

Roi monarque des rois, dieu souverain des dieux,
Pour tirer ton esprit de peine
Et soutenir l'honneur d'Alcmène,
De mon trône éternel je descends en ces lieux.

Je suis le suborneur de ses chastes attraits,
Qui sans l'emprunt de ton image,
Quelque beau que fût mon servage,
Pour atteindre son cœur aurais manqué de traits.

D'un fils frère du tien, digne sang de mon sang,
Sa couche vient d'être honorée,
Qui de cette basse contrée
Un jour des immortels viendra croître le rang.
. . . .

Qu'Hercule soit le nom de ce jeune héros;
Que par lui chacun te révère;
Chéris le fils, aime la mère,
Et possède avec elle un paisible repos.

AMPH. Cet agréable charme est enfin dissipé.

Qu'à bénir le charmeur chacun soit occupé;
Alcmène, par un sort à toute autre contraire,
Peut entre ses honneurs conter un adultère;
Son crime la relève, il accroît son renom,
Et d'un objet mortel fait une autre Junon.
. . . .
sos. Cet honneur, ce me semble, est un triste avantage:
On appelle cela lui sucrer le breuvage.
. . . .

Quisquis hæc legerit, mirabitur certe illam vim scribendi et elegantiam poetæ illaboratam, tanquam e divite vena profluentem. Felix profecto et præclarum viri ingenium, qui utinam colligenda comœdiarum materie, componendisque argumentis, majorem curam insumpsisset, ac studio perfecisset dotes, quas a natura acceperat, neque, quod magis proclive erat versus prompte facienti et voluptatibus dedito, hispanicas fabulas imitari fere semper voluisset! inter præcipua nostratis theatri decora etiam nunc spectaretur. N.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

ASINARIA.

DRAMATIS PERSONÆ[1].

LIBANUS [2], servus.
DEMÆNETUS [3], senex.
ARGYRIPPUS [4], adolescens.
CLEÆRETA [5], lena.
LEONIDA, servus.
PHILENIUM [6], meretrix.
DIABOLUS [7], adolescens.
PARASITUS.
ARTEMONA [8], uxor.
MERCATOR.

1. Nomina fere cuncta mores aut facta personarum per analogiam, vel per antiphrasin, sicut infra Demænetus, Cleæreta, produnt. Conf. Donat. ad Terent. Adelph. I, 1, 1. N.

2. Gentile nomen est Syriacum. CAMERAR.

3. Publice laudandus, δῆμος, αἰνετός; senex autem est vita infamis. N.

4. Poeta non sine consilio hoc nomen juveni affinxit, qui dorso suo servum equitare ob pecuniam patitur (ἀργύριον, ἵππος), act. III, sc. 3, vs. 109-120. N.

5. Κλέος, gloria, αἱρετὸς, optabilis. N.

6. Imminuitur nomen Philenis, derivatum a φιλήνιος, patiens freni. Sic per diminutivum blandiloquum Philotin Syrus salutat, Hecyr. I, 2, 122: «et tu bene vale, Philotium». Eodem modo Erotium, Phronesium, multaque alia græca meretricum nomina desinunt, ut audiit illa celeberrima Epicuri Leontium. N.

7. Διάβολος, calumniator; hic enim Demænetum et Argyrippum apud Artemonam criminatur. N.

8. Ab ἀρτέμων, q. e. velum grandius. Hæc viro dominatur. N.

ARGUMENTUM

(UT QUIBUSDAM VIDETUR)

PRISCIANI.

*A*MANTI argento filio auxiliarier
*S*ub imperio vivens volt senex uxorio.
*I*taque ob asinos relatum precium Saureæ
*N*umerarier jussit servolo Leonidæ.
*A*d amicam id fertur: cedit noctem filius.
*R*ivinus amens ob præreptam mulierem;
*I*s rem omnem uxori per parasitum nuntiat.
*A*ccurrit uxor, ac virum e lustris rapit.

1. *Amanti filio.* Verbum *amare* sine regendo apud veteres comicos vulgo significat: « meretricio amori indulgere », Pœnul. III, 3, 48; Trin. II, 1, III, 2, 93; Trucul. I, 1, 57. Conf. Terent. Adelph. I, 1, 36: « cur amat? cur potat? » Ibid. 2, 39: « amat? dabitur a me argentum ». Etiam de Nerone Dio, LXI, 4: καὶ κώμους ἐκώμαζε καὶ ἐμέθυε, καὶ ἤρα. Ea indoles, is mos fuit amoris veterum. N.

3. *Saureæ*, servo dotali Artemonæ. N.

5. *Cedit noctem filius.* Noctem fruendam cum Philenio concedit patri filius. N.

6. *Rivinus*, rivalis Argyrippi. N.

ALIUD ARGUMENTUM

CAMERARII.

HUJUS comœdiæ et nomen, et argumentum leve atque jocosum, et tota, quemadmodum in prologo dicitur,

ridicula res est. Sed ingens turpitudo et nefarium flagitium hac fabula exponitur, societatis scelestæ, et eorum, quæ animadversione acerrima digna, non solum impunita essent legibus, sed jocis etiam verborum vulgo celebrarentur. In hac fabula, volente et jubente patre, argentum a se aufertur, quod detur filio amanti : ea lege, ut filius patri apud amicam locum esse patiatur. Mirifice autem ludunt adolescentem servi, parta præda. Et finis continet pudendam criminationem uxoris, educentis e lustro virum suum. Camer.—Plautus senes libidinosos et, ut ipse dicit, capulares et acherunticos amatores haud semel corripuit atque ridiculo verberavit acerrimo; hujusmodi jocosæ philosophiæ videre licet exempla et Bacchidibus, Casina, Mercatore. Ibi quidem multa verborum spurcities, actorum fœdissima protervitas. Sed hæc romani moris fuerunt, sapiens vero consilium poetæ; qui dum speculum vitiis opponit, multos suæ turpitudinis fortasse pœnituit. Neque locum habet in illis æstimandis operibus nostratis præclarissimi sententia,

> Je fuis un effronté qui prêche la pudeur;

quippe quum Plautus fabulas docuerit, quas populo romano, non hominibus nostris, approbaret. Memineris Floralium spectacula meretricia, memineris mimorum obscœnitatem.

> Nubilis hos virgo, matronaque, virque, puerque
> Spectat, et e magna parte senatus adest (1).

Nunc est decernere, pejusne, quod isti Romanorum verecundiæ parum pepercerit, quam melius, quod notam inusserit impudentiæ, poeta meritus sit. N.

(1) Ovid. Trist. II, 501.

M. ACCII PLAUTI
SARSINATIS UMBRI
ASINARIA.

PROLOGUS*.

Hoc agite, soltis, spectatores, nunc jam,
Quæ quidem mihi atque vobis res vortat bene,
Gregique huic, et dominis, atque conductoribus.
Face jam nunc, præco, omnem auritum poplum.

* Quum mos esset, ut, antequam fabula ageretur, allocutione præpararentur spectantium animi, hoc officium procurabat vel aliquis deus ex machina, vel una e dramatis personis, ut Milite glorioso, vel ipse dux gregis, qui, vestitu peculiari, aut narrator argumenti, aut orator pacis, in scenam prodibat, sicut Ambivius procemia Terentianarum comœdiarum pronuntiavit. « Orator ad vos venio, ornatu prologi ». Hecyr. Prol. II, 1. Quem ornatum videbis effigie descriptum inter imagines, quas ex veteri MS in suam Terentii editionem Daceria transtulit. Notandum est vocem *prologus* significare modo præfationem (« nullum invenire prologum potuisset novus », Terent. Phorm. Prol. 15), modo actorem prologi, πρωτολογοῦντα (« Oratorem esse me voluit, non prologum », Terent. Heaut. Prol. 11. Cf. Hecyr. l. c.) N.

1. *Hoc agite. Hoc age*, solemnis est locutio, qua moneas aliquem ut sit attentus. *Soltis*, si voltis, ut *sis*, pro « si vis ». *Jam* dissyllabum iambicum per diastolen. N.

3. *Gregique huic.* Bothius delet *huic*, glossema ἔκμετρον. *Et dominis a. conductoribus*. Histriones plerique servi erant, neque omnes in protagonistæ mancipio, sed eos domini locabant ad ludos. Talis fuit Panurgus, Fannii servus, quem Roscius docendum artem susceperat ea lege, ut communis utriusque fieret. Cic. pro Rosc. 10. *Conductores* sunt ædiles qui sumptus ludorum faciunt, et conducunt gregem. N.

4. *Face*, pro « fac », veteri forma. *Præco* solebat præire cuicumque verba facturo apud omnem populi conventum, seu concionem in foro,

Age, nunc reside: cave modo ne gratiis.
Nunc, quid processerim huc, et mihi quid voluerim,
Dicam; ut sciretis nomen hujus fabulæ.
Nam quod ad argumentum adtinet, sane breve'st.
Nunc, quod me dixi velle vobis dicere,
Dicam: Huic nomen græce Onago'st fabulæ.
Demophilus scripsit, Marcus vortit barbare.
Asinariam volt esse, si per vos licet.
Inest lepos ludusque in hac comœdia.
Ridicula res est: date benigne operam mihi,
Ut vos item alias, pariter nunc, Mars adjuvet.

seu consessum in cuneis. *Auritum*, qui sedulo audiat. Horat. od. I, 12, 11, « auritas quercus ». N.

5. *Nunc reside*, postquam jussisti silere omnes. *Gratiis*, gratis. Epid. III, 4, 38. Cave modo ne non mercedem dent editores ludorum, qui tuam operam conduxerunt. N.

7. *Ut sciretis*, etc. Subaud. « ideo, veni ». N.

10. *Onago'st*. ὀνηγὸς, asinarius.

11. *Demophilus* in albo poetarum græcorum nullus reperitur. Itaque Diphilum esse scribendum docti censuerunt, quem Athenæus laudat ἥδιστον, Menandro coætaneum, quarto sæculo ante Christum. *Marcus*, Plauti prænomen. *Barbare*, latine. Idem in Captiv. III, 1, 74: « barbarica lege... jus persequi »; in Pœnul. III, 2, 21, *Barbaria* pro *Italia*; in Milit. glor. II, 2, 56, « poetæ barbaro ». Cur ita Plautus? ratio est in promptu. Hæ comœdiæ palliatæ sunt. At Græcis gentes omnes aliæ erant barbaræ. Festus, in voce *barbari*, hunc locum profert atque ita explicat. LAMBIN. — Item Cato major in præceptis ad filium: « jurarunt (Græci) inter se barbaros necare omnes medicina », apud Plin. XXIX, 1. Et Gellius, XIII, 6, narrat olim non barbare, sed rustice loqui dictum fuisse, si quis vitiose loqueretur. N.

12. *Asinariam*, subaud. *fabulam*. I. e. in qua de asinis venditis fit negotium. Sic Aulularia, Cistellaria, etc. Pomponius Bononiensis, laudatissimus Atellanarum scriptor, qui septimo U. C. sæculo vixit, Laberio et Publio Syro fere æqualis, Asinariam quoque fecit, de qua exstat fragmentum hoc unum: « Exsilui de nocte ad molam fullone festinatim », apud Non. cap. XI, 37. N.

15. *Ut vos item alias*, etc. Malim: « Ita vos, ut alias, etc. » Ita i. q. vobis benigne audientibus. Hæc autem optat videlicet flagrante bello Punico, ut in prologo Casinæ ult. vv. Cistell. I, 3, 49. Poetæ solebant blanda præfatione captare spectatorum gratiam. Sic Cæcilius apud Priscian. VI, 1, 5: « Nullæ nationi tot tantas tam continuas victorias tam brevi spatio datas arbitror quam vobis ». N.

M. ACCII PLAUTI
SARSINATIS UMBRI
ASINARIA.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

LIBANUS, DEMÆNETUS.

LIB. SICUT tuum vis unicum gnatum tuæ
Superesse vitæ, sospitem et superstitem:
Ita te obtestor, per senectutem tuam,
Perque illam, quam tu metuis, uxorem tuam:
Si quid med erga tu hodie falsum dixeris,
Ut tibi superstes uxor ætatem siet:
Atque, illa viva, vivos ut pestem obpetas.

1. *Sicut tuum vis*, etc. Hic protasis non fit, ut solet. Neque argumentum eget enarratione, adeo simplex et breve est, ut poeta dixit; ipsum se progressu explicabit. Itaque dramatice et verosimillimum in modum fabula incipit, dum pergunt sermone colloqui, quem, antequam prodirent, inisse jam videntur. Libanus Demænetum ducentem sequitur, et conscius sibi nequitiæ quærit sollicitus quo agatur, an ad supplicium. — *Sicut... obpetas*. Orationem concisam ellipsi et implicitam sic explanari posse arbitror: « Per tuum natum, quem vis superesse tibi, et per senectutem atque uxorem, quam metuis, te obtestor (ut mihi verum dicas, imprecatus), si me fefelleris, ut tibi (neque filius sit superstes et) uxor supersit. N.

4. *Med erga*. Erga me, quod ad me adtinet, mihi. N.

6. *Ætatem*, pro *diutissime*, sive *æternum*, adverbialiter positum monet Nonius. ERN.

7. *Pestem*. *Pestis* etiam pro morte ponitur, sicut *febris* pro quocumque

DEM. Per deum Fidium quæris: jurato mihi
Video necesse esse eloqui, quicquid roges,
Ita me obstinate adgressus, ut non audeam
Profecto, percontanti quin promam omnia.
Proinde actutum illud, quid sit, quod scire expetis,
Eloquere: ut ipse scibo, te faciam ut scias.
LIB. Dic obsecro, hercle, serio, quod te rogem.
Cave mihi mendacii quicquam. DEM. Quin tu ergo rogas?
LIB. Num me illuc ducis, ubi lapis lapidem terit?
DEM. Quid istuc est? aut ubi est istuc terrarum loci?
LIB. Ubi flent nequam homines, qui polentam pransitant.

morbo. MEURS.—Inde *pestem oppetere*, quemadmodum *mortem oppetere*. Vetus poeta apud Cic. Tuscul. lib. II: « Vestras manus peto, priusquam obpeto pestem ». Cf. Captiv. III, 3, 11. GRONOV.

8. *Per deum Fidium quæris.* Me, quum ita obtestaris, religione dei Fidii obstringis, ita ut videam necesse esse mihi tamquam jurato, id est, fide jurejurando data, etc. Sic, « jurati testes, jurati judices ». Edit. vetus: « Per deum Fidium, quæ quæris, jurato, etc. » sanato versu. N. — *Fidius* est Jovis filius, id est, Hercules, Διὸς υἱὸς Ἡρακλῆς, cujus sacramentum sanctissimum erat. Vide Festum. ERN.

10. *Audeam*, possim, sustineam. Cf. Menechm. I, 2, 40.— *Non audeam... quin.* Idem quod « non possim quin ». N.

15. *Quin tu ergo rogas?* Agedum, roga. N.

16. *Lapis lapidem.* Duæ rationes molendi indicantur a poeta; una, quum suspensa mola fruges frangimus, ut in faba fresa, et in polenta crassiuscula; altera, quum molæ non suspenduntur, sed lapis lapidem terit, id est, mola molam; quum tenuior farina et minutior elicitur. Atque hinc, comica quadam lascivia et lusu servus circumloquitur *pistrinum*, ex genere molituræ. TURN.

18. *Polentam.* Servi molitores in Græcia, non pane, sed polenta vesci solebant. Fiebat autem polenta hoc modo: perfusum aqua hordeum siccabatur per unius noctis spatium, postero die frigebatur, postremo molis tundebatur. Erat autem machina quædam nomine παυσικάπη, quæ collo molentium inserebatur, ita ut manus ori admovere et polentam edere præpediret. LAMB.—Inde *flebant* miseruli Tantali, opere, vinclis, fame enecti. Sunt qui frequentativum *pransitant* velint esse i. q. cupiant prandere, ut Virgil. Æneid. II, 444, dixit: « prensant fastigia dextris ». Camerarius mutavit, *pinsitant*, contra omnium MSS fidem, quod Gronovius in speciem commodius existimat, quia servorum opus non est *pransitare;* sed aliud ponit, « ni polentam pransitent ». Verum emendationem locus non requirit. Namque non laborem, sed victum hominum hoc verbo « pransitant » Plautus ostendit. Gall. *les mangeurs de polenta*. N.

DEM. Quid istuc sit, aut ubi istuc sit, nequeo noscere,
Ubi flent nequam homines, qui polentam pransitant.
LIB. Apud fustitudinas ferricrepinas insulas,
Ubi vivos homines mortui incursant boves.
DEM. Modo, pol, percepi, Libane, quid istuc sit loci;
Ubi fit polenta, te fortasse dicere. LIB. Ah!
Neque, hercle, ego istuc dico, nec dictum volo.
Teque obsecro, hercle, ut, quæ locutus, despuas.
DEM. Fiat, geratur mos tibi. LIB. Age, age, usque exscrea.
DEM. Etiamne? LIB. Quæso, hercle, usque ex penitis faucibus.
DEM. Etiam? LIB. Amplius. DEM. Nam quousque? LIB.
Usque ad mortem volo.
DEM. Cave sis malam rem. LIB. Uxoris dico, non tuam.
DEM. Dono te ob istuc dictum, ut expers sis metu.
LIB. Di tibi dent, quæcumque optes. DEM. Redde operam mihi:

21. *Fustitudinas.* Ergastula ridicule vocat insulas *fustitudinas*, quod illic fustibus adigerentur servuli, si alicubi cessarent; *ferricrepinas* etiam, quod compedibus vincirentur, ne fugiendi daretur facultas. LONG. — Conficta jlocalariter nomina veteribus comicis placebant. Sic Laberius: *mendicimonium* et *mœchimonium*; Varro, *virgidemia*. Plautus in hoc multus est et ingeniosus, ut Molierus noster. N.

22. *Mortui*, etc. Id est, ubi servi loris e corio bubulo factis cæduntur. Cf. Amph. IV, 2, 15. LAMB.

24. *Ubi fit*, etc. (percepi) te fortasse dicere (locum), ubi fit polenta, id est, pistrinum, quo mittebantur supplicii causa servi nequam. N.

26. *Despuas.* Despuebant veteres, quæ abominabantur ne evenirent. LAMB. — Sputum apud veteres erat religiosum in avertendis malis omnibus; cf. Plin. XXVIII, 4: « Veniam quoque a deis spei alicujus audacioris, petimus in sinum spuendo. » Ad illud referendum etiam, quo utebantur medicinæ causa in morbis, quos incantando curari putabant. Plinius, loco citato: « Si dormiens spectetur infans, a nutrice terna (precatione) adspui ». Vide Nostrum, Capt. III, 4, 18. GRON.

30. *C. sis m. rem.* I. e. supplicium. *Ux. dico*, etc. Servus procax et vafer, ita verbis ludificat herum, ut quum ob infaustas preces, iratum et minantem videat, possit interpretatione non veniam solum, sed gratiam consequi; siquidem mortem, non Demæneti, sed odiosæ uxoris, optaret. N.

31. *Expers metu. Expers* cum ablativo junxit, ut in Amphit. II, 2, 81. Lucret. VI, 1180: « expertia lumina somno ». Catull. com. Beren. « omnibus expers ». LAMB.

32. *Redde operam.* Scil. da vicissim operam auscultando. Gall. *écoute-moi à ton tour.* LAMB.

Cur hoc ego ex te quæram! aut cur miniter tibi,
Propterea quod me non scientem feceris?
Aut cur postremo filio subcenseam,
Patres ut faciunt ceteri? LIB. Quid istuc novi est?
DEM. Equidem scio jam filius quod amet meus
Isthanc meretricem e proxumo Philenium.
Estne hoc, ut dico, Libane? LIB. Rectam instas viam.
Ea res est: sed eum morbus invasit gravis.
DEM. Quid morbi est? LIB. Quia non subpetunt dictis data.
DEM. Tune es adjutor nunc amanti filio?
LIB. Sum vero, et alter noster est Leonida.
DEM. Bene, hercle, facitis, et a me initis gratiam.

33. *Cur hoc ego*, etc. *Cur* in hoc versu et inde tertio significat mentem sentientis rem esse factu inutilem; tamquam diceret: « Quid prosit, quid opus, etc. Nolo igitur quærere ». — *Ex te quæram*. Quærere aliquid, quæstionem de aliqua re habere, est suspectos, sontes persequi, rationem facti reposcere. N.

36. *Quid istuc novi est?* Vix mihi dubium fit, quin post hæc ponendus sit versus 69: *Demiror quid*, etc. At versus ordine 70 delendus. ERN.

37. *Equidem scio jam, filius quod amet*. Numquam magis se traduxit Scioppius, quam quum congestis aut corruptis, aut male intellectis auctorum locis vincere voluit, *scio quod*, ut vulgus usurpat, latine dici. De singulis videbimus alibi. Nunc monemus tirones, ab hac barbarie sibi caveant. Hic autem scribendum aut cum Fr. Sanctio, *quom*, vel *quum*: aut *Equidem scio jam, filius quam amet meus*, *Isthanc*. Quasi esset, *Isthanc scilicet*. Bis eodem modo peccatum est apud Livium, lib. III, 52, et lib. IV, 31. GRONOV. — Quantacumque sit Gronovii scientia, cui etiam adspirat Lambinus, tamen eis refragari ausim, cum Scioppio, fretus multis auctoribus, quorum scripturam neque corruptam, neque intellectu ancipitem, eruditi comprobant. Cato apud Plinium, XXIX, 1: « Dicam... quid Athenis exquisitum habeam, et *quod* bonum sit eorum litteras inspicere». Tacit. Ann. III, 29: « Adversis animis acceptum *quod* filio Claudii socer Sejanus destinaretur ». Justinus, XXV, 1, 7: « Ignarus *quod*... eorum animos... sollicitabat». Idem, XXVII, 3, 8: « Cognito *quod* insidiæ sibi pararentur». Claud. de Laud. Stil. II, 129: « Quum cernat uterque, *Quod* nec inops jaceat probitas». Quid autem mirum si Plautus, qui græcos latine vertebat, hellenismum fecerit? Namque *quod* idem est atque ὅτι. N.

38. *E proxumo*. Quæ habitat proxime nos. N.

41. *Non subpetunt*, etc. Non habet, unde promissum solvat. LAMB.

44. *Bene facitis*. Donatus monet in consuetudinem venisse ut hoc, non judicantis sit, sed gratias agentis.

Verum meam uxorem, Libane, nescis qualis siet?
LIB. Tu primus sentis, nos tamen prænoscimus.
DEM. Fateor eam esse inportunam atque incommodam.
LIB. Posterius istuc dicis, quam credo tibi.
DEM. Omneis parenteis, Libane, liberis suis,
Qui mihi auscultabunt, facient obsequelam:
Quippe qui mage amico utantur gnato et benevolo:
Atque ego me id facere studeo: volo amari a meis,
Volo me patris mei similem, qui causa mea
Nauclerio ipse ornatu per fallaciam,
Quam amabam, abduxit ab lenone mulierem.
Neque puduit eum id ætatis sycophantias
Struere, et beneficiis me emere gnatum suum sibi.
Eos me decretum est persequi mores patris.
Nam me hodie oravit Argyrippus filius,
Uti sibi amanti facerem argenti copiam:
Et id ego percupio obsequi gnato meo:
Volo amori obsecutum illius, volo amet me patrem;
Quamquam illum mater arcte contenteque habet,

Ad Terent. Eunuch. I, 2, 106. Cf. Liv. VI, 18. N.

45. *Nescis qualis siet?* Hermann. in Doct. Metric. censet scribendum *scis*, ut rectus fiat versus. N.

46. *Nos tamen prænoscimus.* Frustra Scioppius, Camerario et Langio auctoribus, sollicitat hunc locum et adfert e MSS, *nos tamen in pretio sumus*, id est, in loco post te primum, et citat Pœnulum, I, 2, 117. Noster codex, *prænoscimus*, quod longe optimum, quippe acutior sententia. Quid me rogas an sciam qualis sit uxor? Tu quidem primus sentis, non primus noscis; nos quoque prænoscimus, antequam dicas. N.

48. *Posterius*, etc. Credo prius quam dicis, adeo res est manifesta. Gall. *sans que vous le disiez, je le crois*. N.

50. *Obsequelam.* Scalig. et Gruter. *obsequentiam*. ERN. — Sed repugnat Nonius, qui profert hunc versum cum *obsequelam*. N.

56. *Id ætatis.* Ea, qua erat, ætate. —*Sycophantias struere.* Fallacias, dolos machinari. Gallice, *intrigues*. In Trinummo doli exsecutor vocatur sycophanta. N.

62. *Obsecutum esse*, p. obsequi. Cf. Curcul. II, 3, 35, 37. N.

63. *Quamquam illum mater... habet.* Invita matre, quæ habet, etc. *Contente.* Cic. p. Planc. «Cn. Manlium, non solum ignobilem, verum sine virtute, sine ingenio, vita etiam con-

Patres ut consueverunt: ego mitto omnia hæc.
Præsertim quom is me dignum, quoi concrederet,
Habuit, me habere honorem ejus ingenio decet:
Quom me adiit, ut pudentem gnatum æquom'st, patrem;
Cupio esse amicæ quod det argentum suæ.
[LIB. (seorsum) Demiror quid sit, et quo evadat, sum in metu.
DEM. Equidem scio jam, filius quod amet meus.]
LIB. Cupis id, quod cupere te nequicquam intellego.
Dotalem servom Sauream uxor tua
Adduxit, cui plus in manu sit, quam tibi.

tenta ac sordida». Latinus Pacatus: «Quum videret imperatorem, rerum potientem, terrarum hominumque dominum, parce contenteque viventem». Cicero pro Sex. Roscio: «Hæc attenta vita et rusticana». GRONOV.

64. *Patres ut consueverunt.* Senec. «Non vides, quanto aliter patres, aliter matres indulgeant? Illi exercitari jubent liberos ad studia obeunda mature: feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, et sudorem illis, et interdum lacrymas excutiunt. At matres fovere in sinu, continere in umbra volunt». ERN. — Ita se gerunt parentes Clitiphonis in Terentii Heautont. —*Mitto omnia hæc.* Etiamsi hæ causæ non sint. N.

66. *Habere honorem.* Morem ipsi gerere. LAMB. — *Ingenio.* Ingenium æque ac animus vulgo dicitur pro eo quod animus fert, cupit. Miretur quisque prudens comicæ artis æstimator qua dexteritate et veri subdole conficta imagine procedat senis perversa calliditas, qui patria charitate prætexere suam ipse turpitudinem studet, atque in juveniles libidines delapsus, cum servis et filio flagitia, quæ piget eum fateri, mox paciscitur. Plautus, quum vitia hominum in scena, tali schemate traducit, non corruptor morum, imo censor gravissimus. «Ridiculum acri fortius ac melius magnas plerumque secat res.» N.

69, 70. Expungi velim hinc duos versus uncis inclusos, alterum alio transferendum, alterum meram tricesimi septimi repetitionem; præsertim quum hiulcum sermonem faciant. Cf. Ernest. ad v. 37. N.

71. *Quod cupere te*, etc. Quod frustra cupis, ut intelligo. N.

72. *Dotalem* Douza eumdem esse dicit, quem Gellius *receptitium*, XVII, 6: «Quando mulier dotem marito dabat, tum quæ ex suis bonis retinebat, neque ad virum transmittebat, ea dicebatur *recipere*». Ergo receptitius servus, proprius uxoris. Sed longe aliud est *dotalis*, quippe qui in dotem cedat; et hoc loco magis comicum. Namque Artemona, imperiosa conjux, quem lege in manum mariti cum dote tradidit, eum re habet proprium et dotem simul. Versus 73 hoc probat. N.

73. *Cui plus in manu*, etc. Id est, qui plus possit quam tu. Namque ille habet in manu dotem, quam uxor attulit, remque omnem familiarem. Vid. v. 81. LAMB.

DEM. Argentum adcepi, dote imperium vendidi.
Nunc verba in pauca conferam, quid te velim.
Viginti jam usu'st filio argenti minis.
Face id ut paratum jam sit. LIB. Unde gentium?
DEM. Me defrudato. LIB. Maxumas nugas agis.
Nudo detrahere vestimenta me jubes.
Defrudem te ego? age sis, tu sine pennis vola.
Tene ego defrudem, cui ipsi nihil est in manu?
Nisi quid tu porro uxorem defrudaveris.
DEM. Qua me, qua uxorem, qua tu servom Sauream
Potes, circumduce, aufer; promitto tibi
Non obfuturum, si id hodie ecfeceris.
LIB. Jubeas una opera me piscari in aere,
Venari autem rete jaculo in medio mari.
DEM. Tibi optionem sumito Leonidam.

74. *Argentum adcepi*, etc. Jocosa confessio, quæ gravissimo documento iis erat, qui dotatas ambibant. Hunc morbum a veteribus comicis græcis latinisque sæpissime tractatum fragmenta eorum collecta testantur. Titinnius Prælio: « Verum enim dotibus deliniti ultro etiam uxoribus ancillantur ». Cæcilius Plocio: « Quæ, nisi dotem, omnia quæ nolis, habet. Qui sapit de me discet, qui, quasi ab hoste captus, libere servio, salva Urbe atque arce ». N.

75. *Te velim*. *Te* in sexto casu positum, pro ex te. Locutio usitatissima. Simili modo Lucilius: « quid me fiet », apud Nonium, cap. IV, 46. Et Ennius: « si quid me fuerit humanitus ». N.

76. *Usu'st*. Conf. Amph. I, 3, 7. — *Viginti minis*. Mina sexagesima pars talenti, drachmas centum valet, fere 92 fr. Miratur Muretus qui jam scire senex potuerit viginti minas filio opus esse, quum, sc. 3 v. 77, 90, demum lena pretium paciscatur. Filius vero, qui nosceret lenam, quantum postulatura esset, prævidere facile potuit et cum patre communicare Vid. v. 65. SCHMIEDER. — *Jam*, illico, sicut versu sequenti. N.

78. *Defrudato*. *Defrudare* antique pro *defraudare*, ut *cludere* pro *claudere*, etc. N.

84. *Circumduce*. Decipe, circumveni. Gloss. Mss. BOXH. — Cf. Pseudol. I, 5, 115; Pœnul. V, 5, 8. N.

86. *Piscari in aere*. *Piscari in aere* et *venari in mari*, habent formam proverbii. Vide Erasmum. ERN.

87. *Rete jaculo*. Est *rete jaculum*, retis genus dictum a jaciendo, quod et *funda* appellatur, βόλος Græcis, ut docet Serv. Georg. I, 141. Dicitur *rete jaculum*, ad differentiam *verriculi*, quod non jacitur, sed verritur, i. e. trahitur. TURN. — Rete jaculo piscabantur in piscinis et lacubus. Trucul. I, 1, 14. N.

88. *Optionem*, adjutorem. Optio,

Fabricare quidvis, quidvis comminiscere.
Perficito, argentum hodie ut habeat filius,
Amicæ quod det. LIB. Quid ais tu, Demænete?
Quid si forte in insidias devenero?
Tu redimes me, si me hosteis interceperint?
DEM. Redimam. LIB. Tum tu igitur aliud cura quid lubet.
DEM. Ego eo ad forum, nisi quid vis. LIB. I; etiamne ambulas?
DEM. Atque audin' etiam? LIB. Ecce. DEM. Si quid te volam, ubi eris?
LIB. Ubicumque libitum fuerit animo meo.
Profecto nemo'st, quem jam dehinc metuam, mihi
Ne quid nocere possit, quom mihi tua
Oratione omnem animum ostendisti tuum.
Quin te quoque ipsum facio haud magni, si hoc patro.
Pergam, quo obcœpi, atque ibi consilia exordiar.
DEM. Audin' tu? apud Archibulum ego ero argentarium.
LIB. Nempe in foro? DEM. Ibi: si quid opus fuerit. LIB. Meminero. (egreditur.)

ut docet Festus, hunc locum proferens, in re militari appellatur is, quem decurio aut centurio optat sibi rerum privatarum ministrum, quo facilius officia publica obeat. Veget. II, 7: « Optiones ab optando appellati, quod antecedentibus ægritudine præpeditis, hi, tamquam adoptati, eorum vicarii solent universa curare ». LAMB.

91. *Quid ais*, i. q. *ain'*. Non exclamatio est mirantis, sed percunctatio quærentis ab altero an aliquid annuat aut asseveret. N.

94. *Aliud cura.* Id est, tu de hac re sis securus, ego videro. Potes aliud quidvis curare. TAUBM.

95. *Nisi quid vis.* Verba discedentium. LAMB.—*Etiamne ambulas?* Quid cessas? quin ambulas? Sic in Mostell. IV, 2, 28: « etiam aperis?... » I. q. quin tu aperis? LAMB.

101. *Quin te quoque*, etc. Imo te quoque herum contemno, non metuo, si hoc effecero. Feriam sidera vertice. N.

103. *Argentarium.* Fuit olim in civitatibus certum corpus sive σύστημα argentariorum, quorum erat publicum officium. Tabernas et mensas cum ære in foro positas habebant. Apud mensas pecuniæ deponebantur, permutabantur, emebantur, vendebantur: quod latine est *cambire*, græce ἀνταμείβεσθαι. CUJAC.

104. *Si quid opus.* Hoc de solemnibus romanæ antiquitatis formulis depromptum, teste Cic. ad Attic.

DEM. Non esse servos pejor hoc quisquam potest,
Nec magis vorsutus, nec quo ab caveas ægrius.
Eidem homini, si quid recte curatum velis,
Mandes : moriri sese misere mavolet,
Quam non perfectum reddat, quod promiserit.
Nam ego illud argentum tam paratum filio
Scio esse, quam me hunc scipionem contui.
Sed quid ego cesso ire ad forum, quod inceperam?
(Ibo) atque ibi manebo apud argentarium.

SCENA SECUNDA.

ARGYRIPPUS.

Siccine hoc fit? foras ædibus me ejici?
Promerenti optume hoccine pretii redditur?
Bene merenti mala es, male merenti bona es.
At malo cum tuo : nam jam ex hoc loco
Ibo ego ad treisviros, vestraque ibi nomina
Faxo erunt : capitis te perdam ego et filiam,
Perlecebræ, pernicies, adolescentum exitium.

« Erat enim, si meministi, in consulatus petitione per te mihi pollicitus, SI QUID OPUS ESSET ». DOUZA.

111. *Contui.* Id est, contueri, cernere. LAMB.

113. *Ibo.* Bip. ed. *ibo adeo.* N.

4. *At malo cum tuo.* Veteres, quum minarentur, aut significarent, quod quis diceret aut faceret, impune non habiturum, *malo* id ejus futurum aiebant, et fere hac formula, *malo tuo.* J. GUIEL. — *Ex hoc loco.* Id est, e vestigio. LAMB.

5. *Treisviros.* Tresviri vel triumviri capitales ex magistratibus erant minoribus, qui carceri præerant et suppliciis, cognoscebant de criminibus servorum, meretricum et viliorum capitum, eosque puniebant. Unde apud Horat. « Sectus flagellis triumviralibus ». GRONOV.* — Vid. notas Amph. act. I, scen. 1, vs. 3. — *Nomina.* Solebant enim reorum nomina apud magistratum ante accusationem datis tabellis deferre. DOUZ.

6. *Capitis te perdam.* Scilicet judicio capitali, quod non semper morte, verum deportatione et verberibus sontes plectebat. N.

7. *Perlecebræ,* etc. *Pellecebræ* delinimenta sunt meretricia, blandidicis dictis et suaviludiis imperitos juvenum animos irretientia : unde ipsæ meretrices *pellices*, et hoc loco *perlecebræ*. J. GUIEL.

Nam mare haud est mare, vos mare acerrumum.
Nam in mari repperi, heic elavi bonis.
Ingrata atque inrita esse omnia intellego,
Quæ dedi, et quod benefeci : at posthac tibi,
Male quod potero facere, faciam, meritoque id faciam tuo.
Ego, pol, te redigam eodem, unde orta es, ad egestatis terminos.
Ego, edepol, te faciam, ut, quæ sis nunc, et quæ fueris, scias.
Quæ, priusquam istam adii, atque amans ego animum meum isti dedi,
Sordido vitam oblectabas pane, in pannis, inopia.
Atque ea si erant, magnas habebas omnibus dis gratias.
Eadem nunc, quom est melius, me, cujus opera est, ignoras, mala.
Reddam ego te ex fera, fame mansuetem, me specta modo.
Nam isti quod subcenseam ipsi, nihil est : nihil quicquam meret.
Tuo facit jussu, tuo imperio paret : mater tu, eadem hera es.
Te ego ulciscar, te ego ut digna es, perdam, atque ut de me meres.

8. *Nam mare*, etc. Præ vobis mare non est mare, i. e. vorago æstuosa et rapax. Lamb.

9. *In mari repperi.* Quum navibus mercaturam facerem, reperi divitias. *Elavi bonis*, consumpsi, perdidi omnia bona. Metaphora sumpta ab aquis, quæ lavando cuncta auferunt. Cf. Rud. II, 7, 21. Poeta, pro more suo, ludit sensu proprio et tralatitio. N.

15. *Istam.* Hanc tuam filiam, Philenium. N.

16. *Sordido vitam oblectabas pane.* *Sordidum panem* Lambinus interpretatur panem cibarium, qui servis dabatur, nempe vilissimum. Ern.

17. *Atque ea si erant.* Hoc loco frustra hærent strictiore interpretatione. Gronovius laborat probare *ea* ad *inopiam* quoque referri posse. At oratio viri dolore amentis non ad amussim exigenda. Satis est si clara et aperta est sententia. Quis non videt, quum diceret *ea si erant*, illum voluisse : « Si panis sordidus et vestis pannucea, tuæ inopiæ solatia, tibi erant ». N.

18. *Eadem nunc*, tu scilicet. *Me, cujus opera est*, cujus hoc beneficium est, ut sis dives. *Ignoras*, non agnoscis. Vid. Amph. act. IV, sc. 5. *Mala* in casu vocandi, lenam appellat. N.

19. *Me specta modo.* Locutio minantis. *Specta*, i. q. exspecta. Conf. Bacch. I, 2, 2. N.

At, scelesta, viden' ut ne id quidem me dignum esse existumat,
Quem adeat, quem conloquatur, cuique irato subplicet.
Atque, eccam, inlecebra exit tandem; opinor heic ante ostium
Meo modo loquar, quæ volam, quoniam intus non licitum'st mihi.

SCENA TERTIA*.

CLEÆRETA, ARGYRIPPUS.

CL. Unumquodque istorum verbum numis Philippeis aureis
Non potest auferre hinc a me, si quis emptor venerit.
Nec recte quæ tu in nos dicis, aurum atque argentum merum'st.
Fixus heic apud nos est animus tuus clavo Cupidinis.

23. *Ne id quidem me dignum..... quem*, etc. Dictio notabilis: *me dignum id* pro *eo*. N.

* Optima quum ad comicos lusus tum ad morum disciplinam scena, quæ naturali peripetia sævum flectet ad preces, atque fraudes et dura imperia meretricum amantumque mollitiem et miserias ostendet. N.

1-2. *Unumquodque... venerit.* Lena, quæ probrosa dicentem audiit, significat eum, quem tenet amor captivum, magno pretio mox redempturum injurias. Si quis venerit ad me empturus ea, quæ tu dixisti, non potest a me auferre (verbum mercatorium), non tradam singula verba pro singulis Philippeis, et quidem aureis, quæ tu majore pretio redimes. Sic fere in comœdia *les Plaideurs*, servus, accensum judicum gerens, notissimus ille *l'Intimé*, fustis ictus sibi imminentes magni æstimat. N.

3. *Nec recte.* Non recte. Festus docet antiquis *nec* usurpatum pro *non*. In XII tabul. « Furto quod nec manifestum erit ». Turpilius in Demetrio: « nec recte dici mihi quod jamdudum audio ». Inde, negligo i. q. nec lego, necquicquam, necdum, etc. LAMB.

4. *Clavo Cupidinis.* Cicero Verr. V, 21, explicat hanc allegoriam proverbio: « ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, clavo trabali figeret », id est, firmissimum faceret. Ita vim necessitatis describens Horatius, Od. I, 34, clavos trabales manu gerentem fingit. Sunt qui *clavum* ad rem navicularium referant, quia sequentia prospiciunt. Sed hanc sententiam verbum *figere* cum nomine *clavo* conjunctum tolerare mihi non videtur. N.

Remigio veloque, quantum poteris, festina et fuge;
Quam magis te in altum capessis, tam æstus te in portum refert.
ARG. Ego, pol, istum portitorem privabo portorio.
Ego te dehinc, ut merita es de me et mea re, tractare exsequar:
Quom tu me, ut meritus sum, non tractas, quæ ejicis domo.
CL. Magis istuc percipimus lingua dici, quam factis fore.
ARG. Solus solitudine ego ted atque ab egestate abstuli:
Solus si ductem, referre gratiam nunquam potes.
CL. Solus ductato, si semper solus, quæ poscam, dabis.
Semper tibi promissum habeto hac lege, dum superes datis.
ARG. Qui modus dandi? nam nunquam tu quidem expleri potes.
Modo quod adcepisti, haud multo post aliquid, quod poscas, paras.
CL. Quid modi'st? ductando, amando, nunquamne expleri potes?
Modo remisisti, continuo jam ut remittam ad te rogas.
ARG. Dedi equidem, quod mecum egisti. CL. Et tibi ego misi mulierem.

5. *Remigio veloque*. Notatur summa et celeritas et conatus. TAUBM.

6. *In altum*. Id est, mare. — *Capessis*. Immittis. ERN.

7. *Istum port. priv. port*. De portorio conf. Trinum. IV, 4, 15, et Nonius v. *Portitores*. Quam Clesreta incepit, retorquet ille metaphoram. Istius portus portitorem privabo vectigali meo; namque istuc non redire certum est. Minitatio amantis. Vid. v. 74 et seq. N.

12. *Ductem*, scilicet illam Philenium. *Ducere* et *perducere* inter venerea verba habentur. GRUT.— Si solus potiar illa. Sic infra V, 2, 13, « amicam ductet senex », et Terent. Phorm. III, 2, 15: « meam ductes gratiis ». LAMB.

14. *Dum superes datis*, scilicet cæteros: si plura, quam cæteri, dederis. *Superes* non oritur a *superesse*, sed a *superare*, quippe quod in subjunctivo positum esse debeat. N.

16. *Modo quod accepisti*. Vixdum accepisti. Ita Cicero Epist. Fam. VII, 23: « Tantum quod ex Arpinati veneram, quum mihi a te literæ redditæ sunt ». *Quod poscas paras*. Cf. Trucul. I, 1, 30: « Ita disciplina in ædibus est lenoniis; Priusquam unum dederis, centum quæ poscat, parat. Aut aurum periit, aut, etc. » N.

17. *Modo remisisti*. Vix remisisti ad me Philenium. LAMB.

18. *Quod mecum egisti*. Pretium, quod mecum pacta es. N.

Par pari datum hostimentum'st, opera pro pecunia.
ARG. Male agis mecum. CL. Quid me adcusas, si facio opficium meum?
Nam neque usquam fictum, neque pictum, neque scriptum in poematis,
Ubi lena beneagat cum quiquam amante, quæ frugi esse volt.
ARG. Mihi quidem te parcere æquom'st tandem, ut tibi durem diu.
CL. Non tu scis? quæ amanti parcet, eadem sibi parcet parum.
Quasi piscis, itidem'st amator lenæ; nequam'st, nisi recens.
Is habet succum, is suavitatem: eum quovis pacto condias;
Vel patinarium vel assum: vorses quo pacto lubet.
Is dare volt, is se aliquid posci: nam ubi de pleno promitur,
Neque ille scit quid det, quid damni faciat: illi rei studet;
Volt placere sese amicæ, volt mihi, volt pedissequæ,
Volt famulis, volt etiam ancillis: et quoque catulo meo

20. *Hostimentum.* Festus: *Hostimentum est beneficii pensatio.* Nonius: *Hostimentum est æquamentum, unde et hostes dicti sunt. Hostire* et *redhostire* dicebatur pro « referre vicem ». Cf. inf. II, 2, 110. *Opera,* id est, meretricia. N.

22. *Fictum.* Formatum, effigiatum. Sic Nonius in verbo *fingere,* ubi hunc locum profert. Cleæreta enarrat omnia exemplarium genera plastica, pictoria, poetica. LAMB.

23. *Ubi lena bene agat.* Nullam præbuerunt imaginem, in qua lena, quæ frugi, proba (cf. Cic. Tusc. III, 8), esse vult, videatur bene, honeste, recta fide agere. Namque lena non lena esset, si non improba. *Quiquam* pro vet. *quoiquam,* et inde *quoquam,*ut sæpe *qui* pro *quo,*olim *quoi.* N.

25. *Non tu scis,* etc. Quæ amantem parce et timide poscet, ea sibi erit damnosa. LAMB.

27-29. *Is habet,* etc. *Is dare volt.* Ita pisci amantem adsimilat, ut hunc ab illo nomine distinguere non curet. N.

28. *Patinarium. Piscis patinarius* est, qui non assatur, nec elixatur, sed in patina cum jure apponitur. « Patinam qui tollere jussus, Semesos pisces tepidumque ligurierit jus ». Horat. Satir. I, 3, 80. LAMB. — *Vorses.* Amatorem scil. ut piscem, dum assatur. TAUBM.—Id. Bacch. IV, 5, 6, « vorsabo ego illum hodie probe ». Cistell. I, 95, « mihi istum hominem vellem dari; ut ego illum vorsarem ». LAMB.

29. *Nam ubi,* nam quum. *De pleno.* Donec plenus est sacculus, unde pecunia expromitur. N.

31-32. *Volt placere... volt mihi,* etc. Quam expresse, per illam verbi iterationem, sollicitudo omnia timentis significatur! *Se* aman-

Subblanditur novos amator, se ut quom videat, gaudeat.
Vera dico. Ad suum quemque hominem quæstum esse æquom'st callidum.

ARG. Perdidici isthæc esse vera, damno cum magno meo.

CL. Si, ecastor, nunc habeas, quod des, alia verba perhibeas:
Nunc quia nihil habes, maledictis te eam ductare postulas.

ARG. Non meum'st. CL. Nec meum quidem, edepol, ad te ut mittam gratiis.
Verum ætatis atque honoris gratia hoc fiet tui:
Quia nobis lucro fuisti potius, quam decori tibi.
Si mihi dantur duo talenta argenti numerata in manum,
Hanc tibi noctem honoris causa gratiis dono dabo.

ARG. Quid, si non est? CL. Tibi non esse credam; illa alio ibit tamen.

ARG. Ubi illæc, quæ dedi ante? CL. Abusa: nam si ea durarent mihi,

tem; namque ab amante pendet omnis oratio. *Gaudeat* catulus. Hæc sibi arripuit, qui suum undequaque recipiebat. *Un amant fait sa cour où s'attache son cœur, Il veut de tout le monde y gagner la faveur: Et pour n'avoir personne à sa flamme contraire, Jusqu'au chien du logis il s'efforce de plaire.* Les Femmes Savantes, act. I, scen. 3. N.

36. *Alia verba perhibeas.* Alia verba expromas, meretrici fausta; scilicet: « dabo, largior, accipe ». N.

37. *Maledictis.* Probris; sane improba pecunia, qua ductandam Philenium conatur emere. N.

38. *Non meum est.* Non me dignum. Proinde ac si dicat: non consuevi Philenium ductare maledictis, sed magnis muneribus. Sic Lucil. « homini amico et familiari non est mentiri meum ». Cf. Ter. Heaut. IV, 5, 34. LAMB.

39. *Ætatis... gratia.* Ætas mea, tua, sæpe i. q. ego, tu. « In te nunc sunt omnes spes ætatis meæ ». Pseud. I, 1, 109. « Væ ætati tuæ », Stich. IV, 2, 14. Igitur « ætatis et honoris tui gratia », valet « ob te et tuum honorem », *par considération pour vous, à cause que c'est vous.* Haud absimilem per jocum notissimus in scenis nostratibus tonsor Hispalensis fatetur sibi a medico commodari gratuito officinam, dum ipse illi gratuito quoque quadraginta nummos annuos retribuat. N.

41. *Duo talenta argenti numerata in manum.* Vide Turneb. lib. IV, 11, ubi explicat illud Cicer. II Philipp. *in manum latio.* TAUBM.

43. *Tibi non esse credam.* Tibi credam dicenti non esse pecuniam unde pretium des. Absit ut injuria mendacem te existimem; sed filiam non ductabis. N.

44. *Abusa.* Utendo consumpta.

Mulier mitteretur ad te: nunquam quicquam poscerem.
Diem, aquam, solem, lunam, noctem, hæc argento non emo:
Cetera, quæque volumus uti, græca mercamur fide.
Quom a pistore panem petimus, vinum ex œnopolio,
Si æs habent, dant mercem: eadem nos disciplina utimur.
Semper oculatæ manus sunt nostræ; credunt, quod vident.
Vetus est, Nihili cocio est... scis quojus? non dico amplius.

Sic Nonius in *abusa*, ubi hunc locum profert. Lamb.

47. *Quæque volumus uti.* Usitatum *quæque* pro *quæcumque*, et antiquis licitum jungere casum accusandi cum *uti*. Lamb.— *Græca mercamur fide.* Turnebus et Gronovius hæc verba *græca fide* in bonam partem interpretantur, ut in palliata; quoniam Græci Græcis favent. Sed tantorum virorum venia dixerim; longe alia Plauti sententia est. Palliata quidem agitur, sed Romæ, Romanis spectantibus, qui proverbium illud non Græcorum honoris causa circumferebant. *Mercari græca fide* est præsenti pecunia transigere, non accepta fide promissorum. Etiam apud Euripidem Iphigenia Thoantem, ut vinclis captivos Græcos constringat, sic hortatur: πιςὸν Ἑλλὰς οἶδεν οὐδέν. Iphig. in Taur. v. 1205. N.

48. *Quom a pistore panem.* Quem omnes editores non dubitant recipere pro Plautino, hunc vs. ut suspectum habeam, me Non. in v. *pinsere* monet, locum Varronis recitans: « Nec pistorem ullum nossent (antiqui), nisi eum qui in pistrino pinseret farinam... nec pistoris nomen erat, nisi ejus, qui ruri far pinsebat, nominati ab eo quod pinsunt ». Quæ tempora Varro spectaverit, Plinius docet XVIII, 2: « Pistores Romæ non fuere ad Persicum usque bellum ab urbe condita super DLXXX; ipsi panem faciebant Quirites... certumque fit Ateii Capitonis sententia, coquos tum panem lautioribus coquere solitos, pistoresque, qui far pinsebant, nominatos ». Atque etiam Lucilii ætate, pristinum morem apud multos adhuc obtinuisse ostendit hoc: « Pistricem validam, si nummi suppeditabunt, Addas empleuron, mamphulas quæ sciat omnes ». Adjice hoc Varronianum: « nunc illum (tuum pistorem), qui norunt, volunt emere millibus centum ». Gell. XV, 19. N.

49. *Habent*, accipiunt. N.

51. *Vetus est, Nihili cocio est*, etc. Locum hunc alii alio trahunt, qui tamen hæret adhuc in obscuro. Gronovius veteres glossas, quibus Festus v. *arilator* et Porphyrio ad Horat. Sat. II, 3, 25, videntur adstipulari, attulit, scilicet: « Arilator, cocio, ὁ μεταβολεύς; cocio, μετάβολος; μεταπράτης, cocio; μετάβολος, dardanarius, cocionator, arilator ». Itaque non satis intelligo qua ratione ille divinarit, et ab illo multi crediderint cocionem esse proxenetam, qui arrha data contrahentes conciliet, atque eumdem aliquando pro emptore spondentem interve-

ARG. Aliam nunc mihi orationem despoliato prædicas:
Longe aliam, inquam, præhibes nunc atque olim, quom dabam:
Aliam atque olim, quom inliciebas me ad te blande ac benedice:
Tum mihi ædeis quoque adridebant, quom ad te veniebam, tuæ.
Me unice unum ex omnibus te atque illam amare, aibas mihi.
Ubi quid dederam, quasi columbæ pulli, in ore ambæ meo

nire, et locum hunc sic enarrandum: « pro nihilo habeo cocionem (sponsorem), qui promittat ad diem solutum iri ». Cocio est propola; sed propolæ negotium est ut vendendi, ita emptitandi, et hac significatione *cocionem* positum opinor; ut et gallice dicitur *marchand* pro emptore. Ex. g. *à mauvais marchand point de crédit*. Ergo, si retinenda scriptura est *cocio*, interpretor « nihil est (nihil valet) cocio (empturiens): et orationem suspensam habeo per aposiopesin, quæ τῷ *scis quojus* suppletur, aut potius innuitur supplenda, et sic ego periclitor supplere: Nihili est cocio, scis cujus (rei)... nempe, pecuniæ non præsentis, i. e. qui non præstat pecuniam. Hoc loco casus genitivus adjective ponatur, ut sæpe in hujusmodi locutionibus: « homo paucæ pecuniæ, homo sublestæ fidei ». Quod si parum placet, libenter concedo qualibet alia divinatione absolvendam orationem. Sed multi tentant corrigere hunc locum, et volunt vel *coactio* (scilicet nihili est coactio, qua oporteat promissam pecuniam recuperari), vel *cautio*, quippe potuerit *cocio* pro *cautio* scribi, ut *plodo* pro *plaudo*, *copo* pro *caupo*, *Clodius* pro *Claudius*. Hæc Muretus; cujus conjecturæ facile acquiesco, quum præsertim Gronovius non repugnet. Inde autem sententia exoritur lucida « nihili cautio est ». Quam tamen docti varie interpretantur. Namque nonnulli volunt hanc orationem esse absolutam: « Nihil valet promissa pecunia, præsens tantum valet », et τὸ *scis quojus* enarrant sic: « Scis cujus hoc sit vetus proverbium, nempe sapientissimi et celeberrimi viri, itaque nihil dico amplius ». Mihi vero acuta magis videtur sententia, si Cleæreta locutione, non e sapientum sacrario quæsita, sed tritissima, et passim in ore vulgi apud Romanos, utatur, quæ notior sit, quam ut ad intellectum audientis absolvi eam oporteat, et qua insuper abrupta pudori Argyrippi parcere simulet improba. Potuit proverbium integrum esse, « nihili cautio est egentis », vel « magna promittentis », vel quid simile, vel forte etiam « amatoris ». Semper vero lis erit sub judice. N.

57. *Quasi columbæ pulli.* Nota est columborum in osculando improbitas. Catull. carm. 65: « Nec tantum niveo gavisa est ulla co-

Usque eratis: meo de studio studia erant vostra omnia.
Usque adhærebatis: quod ego jusseram, quod volueram,
Faciebatis; quod nolebam ac vetueram, de industria
Fugiebatis, neque conari id facere audebatis prius.
Nunc neque quid velim, neque nolim, facitis magni, pessumæ.
CL. Non tu scis? hic noster quæstus aucupii simillimu'st.
Auceps quando concinnavit aream, obfundit cibum.
Aveis adsuescunt. Necesse'st facere sumptum, qui quærit lucrum.
Sæpe edunt: semel si captæ sunt, rem solvont aucupi:
Itidem heic apud nos: ædis nobis area'st, auceps sum ego,
Esca est meretrix, lectus inlix est, amatores aveis:
Bene salutando consuescunt, conpellando blanditer,
Osculando, oratione vinnula, venustula.
Si papillam pertractavit, haud est ab re aucupis.
Savium si sumsit, sumere eum licet sine retibus.

Iambo Compar, quæ multo dicitur improbius Oscula mordenti semper decerpere rostro ». LAMB.

58. *Meo de studio.* Id solum agere studebatis, quod mihi placebat. ERNEST.—*Prius*, i. e. etiam priusquam, quid vellem, quid nollem, edixissem. N.

64. *Concinnavit.* Paravit locum æquabilem et planum. ERN.

68. *Inlix. Ab illiciendo fit illix.* Nonius. ERN.

69. *Bene salutando.* Id est, dum salutantur. TAUBM. — Sæpe gerundium vim habet passivam. « Carpit enim vires paulatim uritque videndo (dum videtur) Femina », Virgil. Georg. III, 215; « Frigidus in pratis cantando (dum incantatur) rumpitur anguis », Eclog. VIII, 71. N.

70. *Vinnula.* Ita Isidorus Orig. lib. II: « Vinnulata vox, est lenis et mollis atque flexibilis: et vinnulata dicta, a vinno », id est, *cincinno molliter flexo.* DOUZ. — *Osculando.* Bothius, auctore Acidalio, conjicit ab *oscultando* scripto pro *auscultando* evenisse *osculando* mendose; quippe quod esset idem ac vs. 72 *savium*, etc. *Auscultando* autem ad obsequium referatur. Sed ego non offendo ibi tautologiam. *Osculum* est meretricis salutantis et recipientis ad se amatorem (« brevi osculo exceptus, » Tacit. Agric. 40); suavium est amatoris habentis rem cum meretrice. N.

71. *Ab re.* Alienum a re, contra rem, noxium. Trinum. II, 1, 12: « ab re consulit ». N.

72. *Sumere eum.* Capere amantem. *Sine retibus*, quippe qui manum non effugiat, se capiendum ultro offerat.

Hæccine te esse oblitum, in ludo qui fuisti tamdiu?
ARG. Tua ista culpa'st, quæ discipulum semidoctum abs te amoves.
CL. Remeato audacter, mercedem si eris nactus: nunc abi.
ARG. Mane, mane, audi: dic quid me æquom censes pro illa tibi dare,
Annum hunc ne cum quiquam alio sit. CL. Tene? viginti minas,
Atque ea lege: si alius ad me prius adtulerit, tu vale.
ARG. At ego: est etiam, priusquam abis, quod volo loqui. CL. Dic quod lubet.
ARG. Non omnino jam perii: est reliquom, quo peream magis.
Habeo, unde istuc tibi, quod poscis, dem: sed in leges meas
Dabo, ut scire possis, perpetuum annum hunc mihi uti serviat,
Nec quemquam interea alium admittat prorsus, quam me, ad se virum.

73. *In ludo*. In schola, ubi docentur; hic magistra improbitatis erat lena. LAMBIN.

75. *Mercedem*. Duplici cavillatur sensu; namque merces et meretrici et ludi magistro dabatur. Cf. Sueton. de ill. Gramm. 7, 13. N.

77. *Tene?* Respondet illis verbis: « Quid me æquum censes..... etc. » Visne dicam quid censeam æquum *te* dare; et *tene?* dixit, quasi parata esset illius honoris causa faciliorem aditum illi præbere quam cuivis. Sed derisui illum habet. *Viginti minas*, i. q. 2000 drachmas, 1833 fr. nostratis monetæ. N.

79. *At ego : est etiam*, etc. Lambinus distinctionem omittit post *ego*, et ordinem sic instituit: « At est etiam quod ego volo loqui, priusquam abis ». Hujusmodi explanationem Plautus non renuit, namque sæpissime vidimus orationis partes non optimo ordine digestas, imo confusas. Vid. Amph. prol. 83, 84. Sed cum distinctione fit ellipsis, quæ suppletur non difficile: *at ego* (afferam); et opponitur priori versui: « si alius, etc. » N.

80. *Non omnino*, etc. Non omnia funditus perdidi. Est aliquid reliquum, quod perdere etiam velim, ut me conficiam omnino, *pour consommer ma ruine*. Hic vere furor amore insanientis. N.

81. *In leges meas*. Dabo istuc sub legibus, quas ponam. Quum conditionem acciperet meretrix, amator scribebat leges, syngraphum. Vid. infra IV, 1, 1. N.

82. *Ut scire possis*. Ut sis præmonita. N.

CL. Quin, si tu voles, domi servi qui sunt, castrabo viros.
Postrem out voles nos esse, syngrapham facito adferas.
Ut voles, ut tibi lubebit, nobis legem imponito:
Modo tecum una argentum adferto, facile patiar cetera.
Portitorum simillimæ sunt januæ lenoniæ:
Si adfers, tum patent: si non est quod des, ædeis non patent. (egreditur)

ARG. Interii, si non invenio ego illas viginti minas.
Et profecto, nisi illud perdo argentum, pereundum'st mihi.
Nunc pergam ad forum, atque experiar opibus, omni copia:
Subplicabo, exobsecrabo, ut quemque amicum videro:
Dignos, indignos adire, atque experiri certum'st mihi.
Nam si mutuas non potero, certum'st, sumam fœnore.

88. *Portitorum simillimæ*, etc. Januæ lenoniæ simillimæ portitoribus, qui nihil dantem, scilicet portorium non solventem, arcent et excludunt. Bothius emendat: *portuum*, quia absurdum videtur portitoribus januam, hominibus rem, comparare. Sed januæ istæ oculatæ sunt et animatæ ingenio meretricio. Cui memoria non suppeditet sexcenta hujus figuræ exempla? Cf. inf. II, 3, 6. N.

93. *Exobsecrabo*. Exquisite obsecrabo. LAMB.

94. *Dignos, indignos*. Id est, omnes, probos, vel improbos. ERN.

95. *Si mutuas non potero*, suppl. « minas accipere. » « Mutuum sine usuris: fœnus cum usuris sumitur ». NONIUS.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

LIBANUS.

Hercle vero, Libane, nunc te meliu'st expergiscier,
Atque argento conparando fingere fallaciam.
Jam diu'st factum, quom discesti ab hero, atque abisti ad forum,
Igitur inveniundo argento ut fingeres fallaciam.
Ibi tu ad hoc diei tempus dormitasti in otio.
Quin tu abs te socordiam omnem reice, et segnitiem amove,
Atque ad ingenium vetus vorsutum te recipis tuum.
Serva herum : cave tu idem faxis, alii quod servi solent,
Qui ad heri fraudàtionem callidum ingenium gerunt.
Unde sumam? quem intervortam? quo hânc celocem conferam?
Inpetritum, inauguratum'st : quovis admittunt aveis.

1. *Meliu'st.* Oportet. Melius est te expergisci, quam stare otiosum. N.

4. *Igitur.* I. q. scilicet, ideo, enim, in multis locis. Cf. Mostell. II, 1, 33, V, 1, 53. N.

6. *Reice*, rejice. Virg. Eclog. III, 96 : « reice capellas ». *Quin tu... reice... et amove, atque... recipis.* Sic habent omnes optimæ notæ editiones, at in hujusmodi complexione, aut potius inconcinnitate orationis me hærere fateor ; nisi sequar Lambinum, qui me laqueo expedit, scribendo *reicis*, *amoves*. N.

10. *Unde sumam*, viginti minas. Vid. I, 1, 76. Lamb.—*Intervortam*, decipiam, dolis occupabo et circumveniam. Hoc valet « intercipere et fallere simul. N. — *Celocem*. *Celox* navigium breve et celere, quod majoribus et tardioribus subservit. Significat se dubitare quibus rationibus et qua celeritate navem in portum ducat, hoc est, rem ad optatum exitum perducat. Lamb.

11. *Inpetritum.* In sacrificiis quod *litare* est, id in auspiciis *impetrire*. Nihil autem aliud est, quam *impe-*

Picus et cornix ab læva est; corvos porro ab dextera.
Consuadent: certum, hercle, est, vostram consequi sententiam.
Sed quid hoc, quod picus ulmum tundit? non temerarium'st:
Certe, hercle, ego, quantum ex augurio auspicii intellego,
Aut mihi in mundo sunt virgæ, aut atriensi Saureæ.
Sed quid illuc, quod exanimatus currit heic Leonida?
Metuo, quod illic obscævavit meæ falsæ fallaciæ.

SCENA SECUNDA.

LEONIDA, LIBANUS.

LEON. Ubi ego nunc Libanum requiram, aut familiarem filium?

trare. SCAL. — *Inauguratum'st*. Hæc dicens Libanus cælum contemplatur, et formula utitur solenni, quæ significat « res est auguriis concessa, secundata ». N. — *Quovis admittunt*. Quocunque vertam oculos, admittunt. Verba *admittere*, *addicere* propria sunt augurum, quibus et *admissivæ aves* dicebantur, quæ consulentem de incepto bene sperare juberent. GRON.

12. *Cornix est*, etc. Cic. de Div. I, « Quid habet augur, cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum? » LAMB.

14. *Ulmum*. Unde virgæ fiebant. TAUBM. — *Non temerarium'st*. Non fortuito, non sine mente Deum hoc fit. Aul. IV, 3, 1: « Non temere'st quod corvos cantat mihi nunc ab læva manu ». N.

15. *Augurio auspicii* videtur Bothio insolitum loquendi genus, et sequitur Merulæ conjecturam: « auguriis auspicioque ». N.

16. *In mundo*. Id est, paratæ sunt; in expedito sunt. Charisius. Vid. Epid. V, 1. GRON. — *Atriensi*. *Atrienses* servi observabant atrium, ubi cœnabant veteres: et suppellectilem ædium aut villæ exponebant, et ut omnia munda et integra præstarentur, curabant. ERN. — *Aut mihi... aut... Saureæ*, servo Artemonæ, hosti debellando. Itaque strenuus vir periculum videt, sed communem martem reputat. N.

17. *Illuc*. Illud. *Heic* sæpe ad tempus refertur, pro nunc. Vult edit. Bip. *huc*. N.

18. *Obscævavit*. Scæva omen est. Casin. V, 44: « bona scæva... obcessit mihi ». *Obscævare* est omen objicere, offerre in malam partem. *Falsæ fallaciæ*, Plautinus pleonasmus; *falsæ*, i. q. ad fallendum aptæ. Ita Captiv. III, 5, 13: « fallaciæ falsidicæ ». N.

1. *Familiarem*. Filiumfamilias nostrum, Argyrippum. Varro in Agathone: « quid familiaris filius amat ». Eodem modo Terentius, Andr. III, 4, 23: « in nuptias conjeci herilem filium ». N.

Uti ego illos lubentiores faciam, quam Lubentia'st?
Maxumam prædam et triumphum eis adfero adventu meo.
Quando mecum pariter potant, pariter scortari solent,
Hanc quidem, quam nactus prædam, pariter cum illis partiam.
LIB. Illic homo ædeis conpilavit, more si fecit suo.
Væ illi, qui tam indiligenter observavit januam.
LEON. Etiam de tergo ducentas plagas prægnanteis dabo.
LIB. Largitur peculium, omnem in tergo thesaurum gerit.
LEON. Ætatem velim servire, Libanum ut conveniam modo.
LIB. Mea quidem, hercle, opera liber nunquam fies ocius.
LEON. Nam si huic obcasioni tempus sese subterduxerit,
Nunquam, edepol, quadrigis albis indipiscet postea:
Herum in obsidione linquet, inimicum animos auxerit.

2. *Lubentiores.* Hilariores, lætiores. *Quam Lubentia 'st*, hilaritatis dea, Venus lubentina. LAMB.

6. *Ædeis.* Privatam domum. Vid. inf. v. 79. N.

7. *Observavit.* Forte *obseravit.* CAMER. — Custodes, servitii pars erant: eorum munus *observare* dicitur, aut *servare.* J. GUL. — Terent. Eunuch. IV, 7, 10: « Sannio servat domi. »

8. *De tergo*, etc. Jocus vernilis. Quianam quæritat studiose adeo Libanum? nempe ut cum bono nuntio præclarum largiatur insuper munus, ducentas plagas, quas expromet de tergo, fundo enim hujusmodi segetis locupletissimo; et hæ quidem sunt prægnantes, turgent atque gemmant, et pæne efflorescunt. Sic Plinius « prægnans arbor, prægnantia folia » dixit. Sed aliter explicant Lambinus, Taubmannus et alii, qui volunt *prægnantes* esse *eminentes*, *protuberantes*, ut prægnantium uteri solent, et citant Varronem hoc loco: « excitatum verberibus corpus ». Dijudicabis, lector. N.

10. *Ætatem velim*, etc. Velim nunc sine mora Libanum invenire, vel ea conditione ut serviam diutissime vel semper. Vide Nonium v. *ætatem.* LAMB. — Locutio sæpissime obviam fit apud Plautum et alios. Vide infra 18, et Pseud. I, 5, 100; Curcul. IV, 3, 22. Terent. Heaut. IV, 3, 38. N.

13. *Quadrigis*, etc. *Quadrigæ albæ* sunt *Jovis quadrigæ*, quæ celerrimo per cælum ferri curriculo censentur. TURN.—Hyperbole est: proverbium olet. LAMB. — *Indipiscet.* Libanus adsequetur, adipiscetur. Festus. ERN.

14. *In obsidione.* In discrimine, a re militari sumpta comparatione. Hujusmodi locutiones vulgo usurpatæ apud bellicosum populum. ERNEST.

Sed si mecum obcasionem obprimere hanc, quæ obvenit, studet,
Maxumas opimitates gaudio ecfertissumas
Suis heris ille una mecum pariet, gnatoque et patri :
Adeo ut ætatem ambo ambobus nobis sint obnoxii,
Nostro devincti beneficio. LIB. Vinctos nescio quos ait.
Non placet : metuo in commune, ne quam fraudem frausu' sit.
LEON. Perii ego oppido, nisi Libanum invenio jam, ubi ubi est gentium.
LIB. Illic homo socium ad malam rem quærit, quem adiungat sibi.
Non placet : pro monstro exemplum'st, quando, qui sudat, tremit.
LEON. Sed quid ego heic properans concesso pedibus, lingua largior?
Quin ego hanc jubeo tacere, quæ loquens lacerat diem?

15. *Obprimere.* Occupare, et ita subito arripere, ut elabi non possit. TAUBM. — Gallice, *saisir au passage.* N.

16. *Opimitates.* Capt. IV, 1, 2.

18. *Sint obnoxii. Obnoxium esse alicui* pro obligatum alicui esse, sive per beneficia accepta, sive per potestatem et jus, puta magistratus vel domini, vel patris. GRON.*

19. *Vinctos.* Audiit *devincti*, et vinculis assuetus aliquid mali suspicatur, quasi non omnem sententiam perceperit. Scurrilitas. N.

20. *In commune.* Mihi et illi. *Ne quam fraudem frausu' sit.* Id est, fraudem commiserit. FESTUS. — Formulam hanc antiquam emollivit Livius lib. XXIII, 14 : « Qui capitalem fraudem ausi, quique pecuniæ judicati in vinculis essent ». Ubi tamen Scaliger mavult *frausi.* GRONOV.*

23. *Pro monstro.* Portenti loco est, ἀντὶ τέρατος. TAUBM. — *Exemplum'st*, res est ; vulgatæ *extemplo 'st*, minus commode. — *Quando, qui sudat, tremit.* Leonida alludit ad illud Libani : *perii*, quo fateri se metu trementem videtur, et ille quidem sudat, qui exanimatus accurrit. Nonnulli putant eum alludere ad sudiculum, flagelli genus, de quo Festus agit. Sed parum liquet. N.

24. *Concesso.* Bosius, *cum cesso.* Male : nam *concesso*, nihil aliud est, quam cesso. Pœnulo, I, 2, « ambæ nunquam concessavimus ». Ut *condoleo*, *concastigo*, *computo*, idem quod simplicia significant. Quid ego pedibus cesso, ire moror. GRON.

LIB. Edepol, hominem infelicem, qui patronam conprimat!
Nam si quid sceleste fecit, lingua pro illo pejerat.
LEON. Adproperabo, ne post tempus prædæ præsidium parem.
LIB. Quæ illæc præda est? ibo advorsum, atque electabo quicquid est.
Jubeo te salvere voce summa, quoad vires valent.
LEON. Gymnasium flagri, salveto. LIB. Quid agis, custos carceris?
LEON. O catenarum colone. LIB. Virgarum o lascivia.
LEON. Quot pondo ted esse censes nudum? LIB. Non, edepol, scio.
LEON. Scibam ego te nescire: at, pol, ego, qui te expendi, scio.
Nudus vinctus centum pondo es, quando pendes per pedes.

26. *Patronam*. Sic Menander γλωσσάσπιδας servos vocat: quod lingua se, tamquam scuto, defendant. TAUBM. — *Conprimat*. Vim faciat; in ambiguo scurratur. Vid. Amphitr. I, 1, 192. Majus scelus et graviore pœna dignum, si quis vel cliens, vel libertus patronis injuriam faceret. N.

28. *Post tempus*. Sero, quando præterierit jam tempus. *Prædæ* in casu dandi positum. N.

29. *Electabo*. Eliciam. FEST.

30. *Jubeo te salvere*, i. q. salve. Solennis formula salutantium. N.

31. *Gymnasium flagri*. Verbero, in cujus tergo flagra exerceutur, ut juventus in gymnasio. LAMB. — *Custos carceris*, qui a carcere nunquam discedis, tamquam custos. N.

32. *Colone*. Hunc versum profert Nonius in *colere*. Vid. Pseud. IV, 6, 38. LAMB. — Item, apud nostrates comicos, sæpe retorridos scelerum architectos se invicem commutatione laudum haud honestarum quidem salutantes videas. Molierus in fabula, *les Fourberies de Scapin*, duo nequissimos *Scapin* et *Silvestre*, et clarus LESAGE in *Crispin rival de son maître*, alterum par prioribus non inficiandum, *Labranche* et *Crispin*, certantes inter se amœbæa hujusmodi collaudatione inducunt. N. — *Virgarum lascivia*. In cujus tergo lascivire, exsultare solent virgæ. LAMB.

33. *Nudum*. Ludit in ambiguitate sensus, nam, dum videtur interrogare simpliciter quot pondo ille sit sine vestimentis aliove tegumento, quo onus corporis augeatur, cavillatur in supplicii apparatu, ad quod servi denudabantur. N.

34. *Expendi*. Libravi, heri jussu. Servi autem vapulaturi machina tollebantur, quam conservus aliquis trahebat. N.

35. *Centum pondo es*. Vix assentior Casaubono et aliis qui eum

LIB. Quo argumento istuc? LEON. Ego dicam, quo argumento et quo modo.
Ad pedes quando adligatus es æquom centupondium,
Ubi manus manicæ conplexæ sunt, atque adductæ ad trabem,
Nec dependis, nec propendis, quin malus nequamque sis.
LIB. Væ tibi! LEON. Hoc testamento Servitus legat tibi.
LIB. Verbis velitationem fieri conpendi volo.
Quid istuc negoti est? LEON. Certum'st credere? LIB. Audacter licet.

sequuntur, « usitatam hominis staturam pedum fere sex, pondus Romanarum librarum centum (gallicarum 75) plus minusve fuisse ». Exiles sint homines; sed si perrexeris legere duo seqq. versus, intelliges hoc pondus esse non hominis, sed massæ pedibus additæ. N.

37. *Adligatus es.* Nonnulli volunt *adligatum est.* Sed lectio vulgaris ab ingenio Plautino non abhorret. Id est, « Quum adligatus es *secundum* centupondium ad pedes ». N. — *Æquum centupondium.* *Æquum centupondium* est justum et æquum centum librarum pondus (*cent bonnes livres*). Alligabatur autem ad pedes servorum pendentium pondus aliquod : ne inter vapulandum calcitrarent, neve pedibus aut calcibus eos a quibus verberabantur, peterent. Bos.

38. *Manicæ. Vincula, quibus manus vinciuntur.* Non. — *Ad trabem*, ubi trochleæ affixæ erant, quibus noxius, divaricatis brachiis, sustollebatur. N.

39. *Nec dependis, nec propendis.* Ita MSS et editores ante Aldum omnes legere Gruterus observavit; non, *dependes*, *propendes*. Taubm. *Dependis.* *Dependere* est non satis pendere; nec pondus æquare. *Propendere*, plus pendere. Turn. — *Quin malus nequamque sis.* Non plus minusve pendes, quam ut sis malus. Neque minus, neque plus pendes quam centupondium illud, quo nequam servi gravatos habent pedes. *Tu ne pèses ni plus ni moins qu'un fripon et un vaurien.* N.

40. *Hoc testamento.* Servitus tibi *væ*, id est, miseriam, tanquam legatum quoddam, testamento reliquit. Lamb.

41. *Verbis*, etc. Sensus est : *verbis velitationem*, id est, hanc ipsam velitationem et contentionem nostram, quæ fit verbis, volo compendi fieri, id est, transigi : volo nos desinere verbis velitari. *Verbis* autem cohæret cum *velitationem* : ut intelligamus, *verbis velitationem* dictum, pro « verborum velitationem », quam λογομαχίαν Græci appellant. Lamb. — *Fieri compendi.* Compendi facere, i. q. finem facere Plauto et aliis usitatum, « fletus facere compendi licet ». Pacuv. Hermion. « orationem facere compendi potes ». Lucil. ap. Non. v. *tergum.* N.

42. *Certum'st credere?* Possum-

LEON. Sis amanti subvenire familiari filio,
Tantum adest boni inproviso, verum conmistum malo.
Omneis de nobis carnuficum concelebrabuntur dies.
Libane, nunc audacia usu'st nobis inventa et dolis.
Tantum facinus modo inveni ego, ut nos dicamur duo
Omnium dignissumi esse, quo cruciatus confluant.
LIB. Ergo mirabar, quod dudum scapulæ gestibant mihi,
Hariolari quæ obceperunt sibi esse in mundo malum.
Quicquid est, eloquere. LEON. Magna est præda cum magno malo.
LIB. Siquidem omneis conjurati cruciamenta conferant,
Habeo opinor familiarem tergum, ne quæram foris.
LEON. Si istanc firmitudinem animi obtines, salvi sumus.
LIB. Quin si tergo res solvenda'st, rapere cupio publicum:

ne certo credere hoc tibi? sed Lambinus et alii non recipiunt signum interrogandi, et explicant: « decrevi, volo illud tibi credere », et quidem hoc sensu *certum'st* Plauto usurpatur. Vid. infr. III, 3, 23, et Trucul. II, 6, 68. N.

43. *Sis*, pro *si vis*, i. e. licet, si volueris. ERN.

44. *Tantum adest*, etc. Magnum bonum offertur ex improviso, sed illud quidem non sine malo; *tantum* pro *multum*. N.

45. *Omnes de nobis carnuficum*, etc. Lambinus monet statutos fuisse dies carnificum. Sed hoc ille comminiscitur, neque cómœdiæ Plautinæ comprobant. Nam pœna, si quam meruit servus, non procrastinatur. Omnes dies carnificum plano sensu accipiendum, tanquam omne tempus existimo. *Concelebrabuntur*, replebuntur, agitabuntur, negotio occupabuntur. Itaque sensus est: « carnifices non cessabunt laborare supplicio de nobis sumendo ». Ita fere Cicero, de Prov. Cons. 9: « celebrantur aures quotidie meæ novis nominibus gentium ». N.

49. *Scapulæ gestibant*. Sic fere Sosia Amph. I, 1, 139: « perii; dentes pruriunt ». N.

52. *Si quidem omneis*, etc. Etsi omnes conjurarint in me conferre cruciamenta. N.

53. *Familiarem tergum*. Id est, domi habeo tergum, ne mihi quærendum sit foris; quæ quis domi possidet, ea dicuntur *res familiaris*. *Tergus* autem, masculino genere veteres dixisse, hinc probat Nonius. ERN. — Pari fortitudinis jactantia *Scapin* in fabula ejus nomine insignita: *Va, va, nous partagerons les périls en frères, et trois ans de galère de plus ou de moins ne sont pas pour arrêter un noble cœur*. N.

55. *Quin si tergo res solvenda'st*. Omnes et pall. et nostri Voss. ac Jun. *resolvenda* vel *re solvenda*. Plaut. scripsit: « Quin si tergom re sol-

Pernegabo atque obdurabo, perjurabo denique.
LEON. Hem! ista virtus est, quando usu'st, qui malum fert fortiter.
Fortiter malum qui patitur, idem post patitur bonum.
LIB. Quin rem actutum edisseris? cupio malum nanciscier.
LEON. Placide ergo unumquidquid erogita, adquiescam: non vides
Me ex cursura anhelitum etiam ducere? LIB. Age age, mansero
Tuo arbitratu, vel adeo usque dum peris. LEON. Ubi nam est herus?
LIB. Major apud forum'st, minor heic est intus. LEON. Jam satis est mihi.
LIB. Tum igitur tu dives factus? LEON. Mitte ridicularia.
LIB. Mitto: istud, quod adfers, aures exspectant meæ.
LEON. Animum advorte, ut æque mecum hæc scias. LIB. Taceo. LEON. Beas.
Meministin' asinos Arcadicos mercatori Pellæo
Nostrum vendere atriensem? LIB. Memini: quid tum postea?

venda est ». Nam *re solvenda esse*, et *solvendo esse* idem. Et sane Acid. « Quin si tergum resolvenda est », id est, si tergum debet solvere. GRONOV. — *Cupio.* Paratus sum. Si hoc tantum agitur, ut pœnas tergo verberibus lacerato exsolvam, ego vel publicam pecuniam rapere (quod gravissimum scelus), non reformido. N.

57. *Hem! ista virtus est*, etc. Ita explana orationem: ista, quam tu geris, est vera virtus, scilicet hominis qui fert malum, quando oportet. *Voilà du courage, voilà un homme qui sait braver au besoin le danger.* N.

58. *Idem post patitur bonum.* Lambinus, *potitur*, quasi pati semper de malo dicatur. Imo non semper, ut Græci εὖ πάσχειν. GRONOV.

63. *Major*, pater Demænetus; *minor*, filius. LAMB.

64. *Tum igitur tu dives?* Jocus ex eo, quod dixerat Leonida, sibi jam *satis esse*, etc. LAMB.

66. *Beas* me, quod taces. LAMB.

67. *Asinos Arcadicos.* Plinius Arcadicos asinos præcipue a veteribus quæsitos ostendit. LONG. — *Pellæo.* *Pellæo.* Pella urbs est Macedoniæ, in qua natus Alexand. Magn. In ea mercatores famosissimos fuisse, facile est videre apud Lucianum. SCALIG.

68. *Vendere* cum verbo *memini*, pro *vendidisse*, solemne. N.

LEON. Hem! ergo is argentum huc remisit, quod daretur Saureæ
Pro asinis: adulescens venit modo, qui id argentum adtulit.
LIB. Ubi is homo'st? LEON. Jam devorandum censes, si conspexeris.
LIB. Ita enimvero: sed tamen tu nempe eos asinos prædicas
Vetulos, claudos, quibus subtritæ ad femina jam erant ungulæ.
LEON. Ipsos, qui tibi subvectabant rure huc virgas ulmeas.
LIB. Teneo: atque iidem te hinc vexerunt vinctum rus. LEON. Memor es probe.
Verum in tonstrina, ut sedebam, me infit percontarier:
Ecquem filium Stratonis noverim Demænetum?
Dico me novisse extemplo, et me ejus servom prædico
Esse, et ædeis demonstravi nostras. LIB. Quid tum postea?
LEON. Ait se ferre ob asinos argentum atriensi Saureæ,
Viginti minas; sed eum se non novisse hominem, qui siet:
Ipsum vero se novisse callide Demænetum.
Quoniam ille elocutus hæc sic... LIB. Quid tum? LEON. Ausculta ergo; scies.
Extemplo facio facetum me atque magnificum virum,
Dico med esse atriensem: sic hoc respondit mihi:

69. *Remisit.* Misit resolvens pretium. N.

71. *Devorandum.* Pareus subodoratur in hac voce aliquid obscœnæ ambiguitatis; sed nimium intelligendo non intelligit, ut opinor. N.

72. *Asinos prædicas.* Loqueris de asinis. N.

73. *Femina.* Hyperbole. Douza conjicit *flemina.* Vid. Epid. V, 2, 5. Credo male. LAMB.

81. *Viginti minas.* Meurs. leg. *viginti mnas*, numeris obsecutus. Veteres dicebant, *mna, mina*, ut *lamna*, *lamina.* Ita Curc. II, 3, *triginta mnis.* ERN.

83. *Quoniam.* Lambinus vult mutari *quom jam;* sed necquicquam, namque oratio quæ, interpellante Libano, abrumpitur, potest a *quoniam* incipere, scil. « quoniam ille hæc dixit... extemplo facio me, etc. » N.

84. *Facetum*, elegantem, lautum ut decet servum atriensem, præpollentem Sauream. Mostell. I, 1, 43: « faceti victus », sunt splendidi. N.

Ego, pol, Sauream non novi, neque qua facie sit scio :
Te non æquom est subcensere: si herum vis Demænetum,
Quem ego novi, adduce: argentum non morabor, quin feras.
Ego me dixeram adducturum, et me domi præsto fore.
Ille in balineas ituru'st, inde huc veniet postea.
Quid nunc consilii captandum censes? dic. LIB. Hem istuc ago,
Quomodo argentum intervortam, et adventorem, et Sauream.
Jam hoc opus est exasciatum: nam si ille argentum prius
Hospes huc adfert, continuo nos ambo exclusi sumus.
Nam me hodie senex seduxit solum, seorsum ab ædibus:
Mihi, tibique interminatu'st, nos futuros ulmeos,
Ni hodie Argyrippo viginti essent argenti minæ.
Jussit vel nos atriensem, vel nos uxorem suam
Defrudare : dixit sese operam promissam dare.
Nunc tu abi ad forum ad herum, et narra, hæc ut nos acturi sumus.
Te ex Leonida futurum esse atriensem Sauream.
Dum argentum adferat mercator pro asinis. LEON. Faciam uti jubes.

92. *Intervortam.* Hoc verbum ita solet a Plauto adhiberi, ut nomen personæ defraudatæ in casu quarto, nomen rei subreptæ in sexto ponatur, « intervortere aliquem aliqua re ». Sed hoc loco complementum quoque obliquum in casu accusandi posuit, hellenice quidem, subintellecta præpositione, ut apud eum fieri amat. N. — *Et adventorem.* Scribo *advectorem*, id est, qui argentum advexit. Vide de Pec. vet. 2, 3, et ad Senec. de Tranq. an. c. 5. GRON. — *Adventorem.* Id est, hospitem. Cf. Trucul. I, 2, 2.

93. *Est exasciatum.* Significat, hoc negotium jam inceptum esse. *Exasciare* est ascia sive securi et rudiore quasi opera præparare. LAMB. — Acid. *exasciandum*, i. e. inchoandum; quod melius cum sequentibus cohæret, et τὸ *jam*, i. e. sine mora, indicat. N.

96. *Futuros ulmeos.* Ita opertum iri virgis ulmeis, ut toti ulmei videamur. LAMB.—Item Mil. gl. II, 2, 2, « vestra faciam latera lorea ». N.

99. *Dixit sese*, etc. Dixit, se nobis adjutorem fore. *Dare* pro *daturum esse. Operam . . . . . promissam*, filio scilic. et hoc a se factum supra indicavit Demænetus. TAUBM.

LIB. Ego illum interea heic oblectabo, prius si forte advenerit.
LEON. Quid ais? LIB. Quid vis? LEON. Pugno malam si tibi percussero,
Mox quom Sauream imitabor, caveto ne subcenseas.
LIB. Hercle, vero tu cavebis, ne me adtigas : si me tagis,
Næ hodie malo cum auspicio nomen conmutaveris.
LEON. Quæso æquo animo patitor. LIB. Patitor tu item, quom ego te referiam.
LEON. Dico, ut usu'st fieri. LIB. Dico hercle ego quoque ut facturu' sum.
LEON. Ne nega. LIB. Quin promitto inquam hostire contra, ut merueris.
LEON. Ego abeo : tu, jam scio, patiere : sed quis hic est? is est:
Ille est ipsus : jam ego recurro huc : tute hunc interea heic tene.
Volo seni narrare. LIB. Quin tu opficium facis ergo, ac fugis?

SCENA TERTIA.

MERCATOR, LIBANUS.

MERC. Ut demonstratæ sunt mihi, hasce ædeis esse oportet,
Demænetus ubi dicitur habitare. I, puere, pulta.

103. *Oblectabo.* θέλγω, blandis verbis lactabo et retinebo. LAMB.

104. *Quid ais?* Longe aliud atque *quid dicis?* hoc jubes iterare aliquem, quæ dixit, illo nuntias te propositurum aliquid, quod egeat adsensu. *Aio* significat me esse consentientem. *Quid ais?* perinde valet ac « num dicis tibi hoc placere? » Itaque respondet alter : « Quid vis? » Gallice verterem quid ais? *ah! ça, dis-moi.* N.

106. *Ne me adtigas*, etc. Bothius restituit : « ne me adtingas, si sapis. » Quod probant vett. edd. et noster MSS. N.

107. *Næ hodie malo cum auspicio nomen conmutaveris.* Ex Leonida Saurea. N.

109. *Dico ut usu'st fieri.* Dico me hoc facturum, quia sic nobis expedit, quo verisimiliore fallacia mercator decipiatur. N.

110. *Hostire.* Redhostire, par pari referre, supra I, 3, 20.

111. *Jam scio, patiere.* Gall. *j'en suis sûr. Scire* sæpe apud nostrum et Terentium i. q. *opinari.* N.

113. *Ac fugis.* Id est, curris hinc ad dominum. Sed ambiguo verbo alludit ad morem fugitivorum. Opficium est servi nequam fugere. N.

2. *Puere.* Priscianus docet dictum antiquis *puerus* et *puera*, et laudat

Atque atriensem Sauream, si est intus, evocato huc.
LIB. Quis nostras sic frangit foreis? Ohe, inquam, si quid audis.
MERC. Nemo etiam tetigit; sanusne es. LIB. At censebam adtigisse,
Propterea, huc quia habebas iter : nolo ego [foreis] conservas meas
A te verberarier : sane ego sum amicus nostris [ædibus].
MERC. Pol, haud periclum est, cardines ne foribus ecfringantur,
Si istoc exemplo tu omnibus, qui quærunt, respondebis.
LIB. Ita hæc morata'st janua : extemplo janitorem
Clamat, procul si quem videt ire ad sese calcitronem.
Sed quid venis? quid quæritas? MERC. Demænetum volebam.
LIB. Si sit domi, dicam tibi. MERC. Quid? ejus atriensis?
LIB. Nihilo mage intus est. MERC. Ubi est? LIB. Ad tonsorem ire dixit.
MERC. Quom venisset, post non rediit? LIB. Non edepol: quid volebas?
MERC. Argenti viginti minas, si adesset, adcepisset.
LIB. Qui pro istuc? MERC. Asinos vendidit Pellæo mercatori

Afranium, Statium Cæcilium, lib. VI, cap. 8. N.

4. *Ohe!* Vox significantis, satis esse. ERN.

6. *Foreis* videtur glossema, quo insititio versus vitiatur nimietate. *Conservas.* Lepide fores domus herilis, *conservas* suas appellat. Sic Ovid. Amor. I, 6, 47 : « Duraque conservæ ligna valete fores ». Douz.

7. *Amicus nostris ædibus.* Furcillis expello illud *ædibus*, quod huc inferserunt ii, qui non animadverterent, *nostros* dixisse Veteres de iis, qui in eadem secum familia, hoc est, familiares essent; ut cæteros, *alienos*. Lepide igitur servus de janua ut de familiarium aliquo loquitur. J. GUL. — Bipontinus editor *meas* a versu proximo in hunc transfert, et *ædibus* expungit. N.

9. *Istoc exemplo.* Isto modo. L.

10. *Morata.* Moribus prædita. L.

13. *Si sit*, etc. Si esset domi, dicerem hunc ibi esse; ergo domi non est. N.

15. *Quom venisset. Venisset*, pro *ivisset.* Gloss. MSS Plaut. Boxh. I. e. ex quo abiit illuc. Virg. Buc. I, 66. N.

17. *Qui pro*, pro quo, quare. Gl.

Mercatu. LIB. Scio, tu id nunc refers? jam heic credo eum adfuturum.

MERC. Qua facie voster Saurea'st? si is est, jam scire potero.

LIB. Macilentis malis, rufulus, aliquantum ventriosus,
Truculentis oculis, commoda statura, tristi fronte.

MERC. Non potuit pictor rectius describere ejus formam.
Atque, hercle, ipsum adeo contuor, quassanti capite incedit.

LIB. Quisque obviam huic heic obcesserit irato, vapulabit.
Siquidem, hercle, Æacidinis minis animisque expletu' cedit,
Si med iratus tetigerit, iratus vapulabit.

SCENA QUARTA.

LEONIDA, MERCATOR, LIBANUS.

LEON. Quid hoc est negoti? neminem meum dictum magnifacere.
Libanum in tonstrinam ut jusseram venire, is nullus venit.
Næ ille, edepol, tergo et cruribus consuluit haud decore.

MERC. Nimis imperiosu'st. LIB. Væ mihi hodie! LEON. Salvere jussi

MSS Boxh. Sic *quicum* pro *quocum*.

18. *Mercatu.* «Mercatus locus est, in quo agitur mercatura ». NON.

19. *Si is est*, quem inveni, et qui se dixit Sauream. Vid. sup. sc. 2, v. 84, 85. N.

21. *Commoda statura. Statura commoda*, classicis auctoribus dicitur etiam *media*, item *militaris*. Et hanc quæ superaret, dicta *statura procera, eminens*. STEWECH.

24. *Quisque*, pro *quicumque*. Sæpissime. Cf. Bacch. III, 3, 67; Mil. gl. II, 2, 1.

25-26. *Si quidem hercle... vapulabit. Si quidem*, i. e. *etsi*. Cf. sc. sq, 8. Pseud. II. 2, 33. «Etsi Achilleis minis et ira expletus incedit, tamen si me tetigerit, referiam illum ». Hæc secum Libanus. Cf. scen. sup. v. 104 seqq. LAMB. — *Cedit*. Vulgatæ *incedit*, sed versu ægre ferente. *Cedit* idem est. Cf. Aul. III, 5, 52. Pseud. IV, 1, 45. N.

1. *Quid hoc*, etc. Simulat se esse atriensem Sauream imperio durum.

2. *Nullus venit.* Sic Cicer. ad Attic. lib. XI, ep. 24: « Philotimus nullus venit ». Sic Noster Bacchid. « Nullus adfueris ». TAUBM.

3. *Tergo*, quia virgis variabitur; *cruribus*, quia vincientur compedibus, *consuluit haud decore*, non pepercit. LAMB.

4. *Salvere jussi Libanum libertum!* Saluto. ERN.

Libanum libertum! jam manu emissus? LIB. Obsecro te.
LEON. Næ tu, hercle, cum magno malo mihi obviam obcessisti.
Cur non venisti, ut jusseram, in tonstrinam? LIB. Hic me moratu'st.
LEON. Siquidem, hercle, nunc summum Jovem te dicas detinuisse,
Atque is precator adsiet, malam rem ecfugies nunquam.
Tu, verbero, inperium meum contempsisti! LIB. Perii! hospes.
MERC. Quæso, hercle, noli, Saurea, mea causa hunc verberare.
LEON. Utinam nunc stimulus in manu mihi sit! MERC. Quiesce, quæso.
LEON. Qui latera conteram tua, quæ obcalluere plagis.
Abscede, et sine me hunc perdere, qui semper ira incendit.
Quoi nunquam unam rem me licet semel præcipere furi,
Quin centies eadem inperem, atque obganniam: itaque jam, hercle,
Clamore ac stomacho non queo labori subpeditare.
Jussin', sceleste, ab janua hoc stercus hinc auferri?
Jussin' columnis dejici operas aranearum?
Jussin' in splendorem dari bullas has foribus nostris?
Nihil est: tamquam si claudus sim, cum fusti'st ambulandum.

5. *Libanum libertum!* etc. Est autem ironia qua significat, Libanum se gerere, quasi libertatem adeptus sit. LAMB.

6. *Næ tu*, etc. Tu profecto, qui nunc venis, habebis malum. Et vafer ille fingit se mercatori non attendere, quo verisimilior Saureæ truculenti species eum decipiat. N.

13. *Qui.* Quo (stimulo) conteram latera. N. — *Obcalluere.* Id est, sensum longa mali assuetudine amisere. LONG.

17. *Labori*, quo clamando et stomachando conficior. N. — *Subpeditare.* Ἐπαρκεῖν, par esse. LAMB.

20. *In splendorem dari*, nitidas fieri. Cf. Mil. glor. I, 1, 1. *Bullæ* ornamenta sunt quædam valvarum, fortasse clavi argentei vel aurei, vel æneï. Cic. Verr. IV, 57: « nam bullas aureas omnes ex his valvis..... non dubitavit auferre ». LAMB.

21. *Cum fusti.* Fustis est et claudicantium, et eorum qui imperiosi sunt in negligentes. In dubia vel verbi, vel rei significatione Plautinæ comœdiæ jocus versatur. BOXHORN.

Quia triduum hoc unum modo foro operam adsiduam dedi,
Dum reperiam, qui quæritet argentum in fœnus, heic vos
Dormitis interea domi, atque herus in hara, haud ædibus,
habitat.
Hem ergo, hoc tibi. LIB. Hospes, te obsecro, defende.
MERC. Saurea, oro,
Mea causa ut mittas. LEON. Eho, ecquis pro vectura olivi
Resolvit? LIB. Resolvit. LEON. Quoi datum'st? LIB. Sticho
vicario ipsi
Tuo. LEON. Vah! delenire adparas: scio mihi vicarium esse,
Neque eo esse servom in ædibus heri, qui sit pluris, quam
ille sit.
Sed vina quæ heri vendidi vinario Exærambo,
Jam pro iis satisfecit Sticho? LIB. Fecisse satis opinor:
Nam vidi huc ipsum adducere trapezitam Exærambum.

22. *Triduum hoc unum modo. Hoc* in quarto casu cum *triduum* jungitur. *Modo*, tantum. Non plus tres dies occupatus fui foris. N.

23. *Dum reperiam*, etc. In officio atriensis erat pecuniam domini administrare et fœnori collocare. Ita se quasi non cogitans magnificum facit Pseudosaurea, ut venditet apud se herilem esse fidem, et pecuniam sibi abundare, ne in suspicionem veniat mercatori. N.

24. *In hara*. Stabulo porcorum. « Epicure noster, ex hara producte, non ex schola. » Cic. in Pison. L.

25. *Hem*. Lambinus et Taubmann. volunt *hem* esse verberantis; sed obliti quid Libanus Leonidam scena superiori in fine monuerit. Credo minari modo Leonidam. N.

26, 27. *Ecquis... Resolvit?* — *Resolvit*. Gallic. « *A-t-on payé?* — *Oui.* » *Resolvere* est id quod debetur, vel creditum est, reddere. *Vicario*. Servus callide conservo blanditur; nam nihil superbius quam in infimo ordine majestatis affectatio; is magnæ rei procurator erat, cui vicarius dabatur. Sed vide qua arte mercatorem uterque deludat. N.

30. *Heri*, hesterno die; hoc differt ab illo *heri*, domini, vs. priore.

32. *Nam vidi huc ipsum adducere trapezitam Exærambum*. Lambinus et cum illo multi explicant: « Nam vidi Exærambum huc adducere ipsum (Stichum) ad trapezitam », invitis verbis, ut opinor. Nam argentariæ tabernæ erant in foro, et illi nunc colloquuntur ante domum Demæneti. Ergo scribendum fuit *hinc* vel *illuc*, si recte interpretantur. Etiam nonnulli editores infarsere *ad* ante *trapezitam*, quod Lambinus subintelligit. Mihi facilius et verius videtur sic orationem exponere: « Vidi Exærambum, quum huc (domum) adduxit ipse trapezitam », nempe quo inter-

LEON. Sic dedero : prius quæ credidi, vix anno post exegi.
Nunc satagit : adducit domum etiam ultro, et scribit numos.
Dromo mercedem rettulit? LIB. Dimidio minus, opinor.
LEON. Quid reliquom? LIB. Aiebat reddere, quam extemplo redditum esset :
Nam retineri, ut, quod sit sibi operis locatum, efficeret.
LEON. Scyphos, quos utendos dedi Philodamo, rettulitne?
LIB. Non etiam. LEON. Hem! non? si velis, da, commoda homini amico.
MERC. Perii, hercle! jam hic me abegerit suo odio. LIB. Heus, jam satis tu :
Audin' quæ loquitur? LEON. Audio, et quiesco. MERC. Tandem, opinor,

nuntio et sponsore scriberet nummos certa die solvendos. Vid. inf. v. 34. N.

33. *Sic dedero.* Jure queritur Camerarius, injuria hoc mutari : non cepit tamen, quum explicat, ita potius donare velle, quam vendere, quum tam male solvatur : quem sequitur Lambinus. Sensus enim : « Hac quidem conditione semper paratus sum dare rem, nempe si ipse ultro debitor et tam celeriter satisfaciat », ut etiam accepit Acidalius. GRON. — *Exegi* est redegi et recepi. *Prius quæ credidi.* Gallice, *le marché précédent pour lequel je lui ai fait crédit.* N.

34. *Satagit.* Festinat, scilicet satisfacere. N.

35. *Mercedem.* Moris erat servos artifices mercedis causa locari a dominis. Plutarchus narrat ex eo præcipue fonte Crassi tantas opes paratas, siquidem ille haberet aurifices, scribas, tabellarios, carptores opsoniorum et omnium operum artifices, quibus edocendis suam cuique artem ipse diligenter adesset. N.

36. *Quid reliquum?* Quid? reliquum quando afferet? LAMB. — *Reddere*, se redditurum ; *quam extemplo*, statim ac. N.

37. *Retineri.* Dicit, Dromonem excusasse se, quod reliquum non reddat : eo, quod is, cui operæ Dromonis a Saureà locatæ essent, totam mercedem non prius solvere velit, quam locatum opus sit perfectum. *Retineri* scil. mercedem vel reliquum. PISTOR.

39. *Si velis, da, commoda*, etc. Puto Plautum scripsisse ; « ..... si velis dare, commoda homini amico ». Quasi dicat : idem est dare et commodare amicis; quod scilicet raro reddant commodatum. DISS.

40. *Me abegerit suo odio.* Parum abest quin hinc abierim, adeo me istius odiosæ loquacitatis tædet. *Odium* idem est quod tædium. Cf. Persa, I, 1, 49. Terent. Hecyr. I, 2, 48, 59. *Heus jam satis tu?* credo hæc submissa voce Libanum Leonidæ dicere, ne mercator audiat; atque item respondet Leonida : « quiesco », taceo. N.

Conticuit : nunc adeam optumum'st, priusquam incipit tinnire.
Quam mox mihi operam das? LEON. Ehem, optume : quamdudum tu advenisti?
Non, hercle, te provideram : quæso, ne vitio vortas,
Ita iracundia obstitit oculis. MERC. Non mirum factum'st.
Sed, si domi'st, Demænetum volebam. LEON. Negat esse intus.
Verum istuc agentum tamen mihi si vis denumerare,
Repromittam istoc nomine solutam rem futuram.
MERC. Sic potius, ut Demæneto tibi hero præsente reddam.
LIB. Herus istunc novit, atque herum hic. MERC. Hero huic præsente reddam.
LIB. Da modo meo periculo ; rem salvam ego exhibebo :
Nam si sciat noster senex fidem non esse huic habitam,
Subcenseat, quoi omnium rerum ipsus semper credit.
LEON. Non magni pendo; ne duit, si non volt : sic sine adstet.
LIB. Da, inquam : vah! formido miser, ne hic me tibi arbitretur
Suasisse, sibi ne crederes : da, quæso, ac ne formida.

42. *Tinnire.* Strepere, garrire, clare loqui. Tralatio est a metallis, maxime ab ære, quod dicitur tinnire, ubi pulsatum sonat. LAMB.

43. *Quam mox mihi operam das?* Quando me audire vis? N.

46. *Negat.* Hic Libanus. N.

48. *Repromittam.* Id est, stipulatione a te concepta, me obstringam. Vel *repromittam* tibi neminem amplius isto nomine petiturum, teque omni obligatione liberum præstabo. LAMBIN. — *Istoc nomine.* Pro ea re quod attinet ad hoc tuum negotium. Sic Curtius, VII, 4, 10 : « natura mortalium *hoc* quoque *nomine* (ea re) prava ac sinistra dici potest, etc. » N.

49. *Sic potius.* Solutam rem malo fieri ita, ut, etc. N.

51. *Da modo*, etc. Egregium vadem se offert Libanus, qui pollicetur rem salvam fore, et suo periculo spondet. *Exhibebo*, præstabo. N.

53. *Omnium rerum... credit.* Subintellige *gratia.* Sic Trucul. II, 2, 52 : « numquam, edepol, mihi Quisquam homo mortalis posthac duarum rerum creduit, Ni, etc. » N.

54. *Ne duit.* Ne det, si nolit. Sic Leonida egregie decorum Saureæ superbi tuetur. *Sine adstet.* Sine eum exspectare. N.

Salvom, hercle, erit. MERC. Credam fore, dum quidem ipse in manu habeo.
Peregrinus ego sum, Sauream non novi. LIB. At nosce sane.
MERC. Sit, non sit, non, edepol, scio : si is est, eum esse oportet.
Ego certe me incerto scio hoc daturum nemini homini.
LEON. Hercle, istum di omneis perduint : verbo cave subplicassis.
Ferox est, viginti minas meas tractare sese.
Nemo adcipit : aufer te domum : abscede hinc, molestus ne sis.
MERC. Nimis iracunde. Non decet superbum esse hominem servom.
LIB. Malo, hercle, jam magno tuo nunc isti nec recte dicis.
Inpure, nihili, non vides irasci? LEON. Perge porro.
LIB. Flagitium hominis, da obsecro argentum huic, ne male loquatur.

58. *At nosce sane.* At eum certe potes cognoscere, qui adest. N.

59. *Eum esse oportet.* Eum esse posse concedit, sed pecuniam non dabit. N.

60. *Incerto.* Lambinus interpretatur « me incerto », quasi esset casus ablativus absolute positus. Sed melius, ni fallor, *incerto* componas cum *nemini homini*, et intelligas, « nemini non bene cognito ». *Incertus homo*, i. e. homo, de quo non certus sim, an sit Saurea. N.

61. *Verbo cave subplicassis.* « Ne unum quidem verbum adjicias, quo istum preceris ». Hæc ad Libanum. N.

62. *Ferox est... sese tractare.* « Eo ferox est, quod habet in manu minas quæ sunt meæ ». Suas dicit falsus atriensis, utpote qui rem herilem procuret. N.

63. *Nemo adcipit.* Leonidas simulat nunc se non accepturum, etiam si minæ dentur. LAMB. — Dicitur *nemo adcipit*, ut gallice aliquis diceret de semet loquens : *on ne recevra pas. Domum* scilic. tuam. Hæc ad mercatorem. N.

65. *Nec recte.* Vid. sup. I, 3, 3. Libanus, ut mendacium tueatur, fingit se rixam pro Pseudosaurea suscipere, utpote quem timeat, ne pœnas ille repetat, si desertus sit a conservo suo. N.

66. *Inpure, nihili.* Donatus ad Terent. Phorm. II, 3, 25, « pergin' hero absenti male loqui, impurissime », enarrat : « *impurissime* improbissime ». Cf. Adelph. II, 1, 29. *Nihili*, homo nihili, nequam. *Non vides irasci* (Sauream)? N.

67. *Ne male loquatur.* Ne tibi maledicat. Vid. infr. v. 72. N.

MERC. Malum, hercle, vobis quæritis. LEON. Crura, hercle, disfringentur,
Ni istum inpudicum percies. LIB. Perii hercle! age, inpudice,
Sceleste, non audes mihi scelesto subvenire?
LEON. Pergin' precari pessumo? MERC. Quæ res? tun' libero homini
Male servos loquere? LEON. Vapula. MERC. Id quidem tibi, hercle, fiet,
Ut vapules, Demænetum simul ac conspexero hodie.
In jus voco te. LEON. Non eo. MERC. Non is? memento. LEON. Memini.
MERC. Dabitur, pol, subplicium mihi de tergo vostro. LEON. Væ, te!
Tibi quidem subplicium, carnufex, de nobis detur? MERC. Atque et jam
Pro vostris dictis maledictis pœnæ pendentur mihi hodie.
LEON. Quid, verbero? ain' tu, furcifer: herum nosmet fugitare censes?

68. *Disfringentur. Crurifragium* sive *crurifrangium*, σκελοκοπία, ut *crux* ipsa, servorum peculiare quasi supplicium fuit. Ratio autem et modus frangendi crura talis erat; ut incus cum malleo vel vecte ferreo inferretur, ac tibias incudi apponerent, validis ictibus sic frangendas. LIPSIUS.

69. *Percies*. Id est, clara voce proclamabis. ACID.

70. *Non audes?* Sæpe *audere* pro *velle* ponitur. *Non audes*, id est, « ergo non vis »? Cf. Menæch. I, 2, 40. Ita *sodes* pro *si audes*, idem quod *si vis*. Exclamatio est ægre ferentis, quod mercator nolit, gratia Libani, ne vapulet, dare argentum. N. — *Mihi scelesto*. Mihi infelici, cui dii sunt irati, ut scelesto. LAMB. — *Subvenire*. Credo in vocibus *perciere impudicum*, *subvenire*, subesse aliquid parum honestæ ambiguitatis. N.

72. *Vapula*. Vox est insultantis et significantis se minas alicujus non magni pendere. Latine jubentur vapulare, qui contumeliose abiguntur. Cf. Curcul. IV, 4, 12. Similiter Græci κλαίειν λέγω σοί et Horat. Satyr. I, 10, 91: « te jubeo plorare ». N.

74. *In jus voco*. Scil. ad triumviros capitales, qui de servilibus personis jus habebant. Vid. Amph. I, 1, 3. N. — *Memento*. Alludere videtur ad formulam attestandi. Cf. Pers. IV, 9, 10. Pœnul. V, 4, 59. N.

78. *Ain' tu?* Dic mihi, te quæso. formula quæ plurima significatione

I nunc jam ad herum, quo vocas jamdudum, quo volebas.
MERC. Nunc demum? tamen nunquam hinc feres argenti nummum, nisi me
Dare jusserit Demænetus. LEON. Ita facito; age, ambula ergo.
Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?
Tam ego homo sum, quam tu. MERC. Scilicet ita res est. LEON. Sequere hac ergo.
Præfiscini hoc nunc dixerim; nemo etiam me adcusavit

variis locis adhibetur, modo percunctatorie, modo, ut hoc versu, increpatorie. *Herum nosmet fugitare censes?* credisne nos esse improbos, ut sunt fugitivi? N.

80. *Nunc demum?* Scil. nunc demum, postquam tibi interminatus sum pœnas, ad herum venire velle te dicis? Douz.

82. *Contumeliam facias.* Antonius dixerat, « facere contumeliam », pro affici contumelia; ut *facere damnum*, *jacturam :* quam phrasin Cicero Philip. 3, reprehendit; non, tanquam nemo unquam sic locutus fuerit, sed quod tunc ita nemo loqueretur. Taubm. — Vide de hoc loquendi genere, quas scripsimus Observ. lib. III, 8. Gron. — *Contumeliam alteri*, etc. Contumeliam tu facto, scil. diffidentia, mihi objicias; ego tibi dictis non rejiciam? N.

83. *Tam ego homo sum, quam tu.* Nota hanc orationem apud Romanos, in quorum jure fuit scriptum, « servus res est, non persona ». Hæc naturæ vox erat, quæ servitutem abrogari jubebat. *Sequere hac ergo.* Sperat tandem se fucum fecisse mercatori et illum, quia mitius agere videatur dicens: « ita res est », pecuniam daturum. At machinas facit irritas sapientia hospitis, et lusor luditur probe, cum magna delectatione spectantium. N.

84. *Præfiscini.* Vetus erat opinio, periculum esse aliquod a fascino, ubi quis impensius aut laudaret ipse se, aut præsens ab alio laudaretur. Virgil. Eclog. VII, 26, « Aut si ultra placitum laudarit, bacchare frontem Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro ». Et ex ea opinione receptum erat, ut in laudando plerumque adderent vocem *præfiscine* aut *præfiscini*, qua invidiam et fascinum a se amolirentur ac deprecarentur. Vid. Turn. lib. XIV, c. 31; Gell. lib. X, 24. Mur. — Hac formula vulgo utebantur, et Plautus sæpe. Charisius edit. Putsch. pag. 189, citat Titinnium, veterem comicum : « Paula mea, amabo, pol, tu ad laudem addito : præfiscine ». In hac voce τὸ *præ* sensu negativo, vel avertendi, sumitur, ut docet idem Charisius; i. e. sine fascino, præoccupato fascino. Et deus fuit quo fascinum averteretur. Cf. Plin. XXVIII, 4 : « Fascinus imperatorum quoque, non solum infantium, custos, qui deus inter sacra romana a Vestalibus colitur, et currus triumphantium sub his pendens defendit, medicus invidiæ ». N.

Merito meo, neque me Athenis est alter hodie quisquam,
Quoi credi recte æque putent. MERC. Fortassis! sed me tamen
Nunquam hodie induces, ut tibi credam hoc argentum ignoto.
Lupus est homo homini, non homo, quom, qualis sit, non novit.
LEON. Jam nunc secunda mihi facis: scibam huic te capitulo hodie
Facturum satis pro injuria: quanquam ego sum sordidatus,
Frugi tamen sum, nec potest peculium enumerari.

85. *Athenis*. Fere semper Athenis res agitur. Sed illi Athenienses mores romanos sermone præferunt. N.

88. *Lupus est homo homini, non homo*. Homo est lupus, non homo, homini, quum hic non novit qualis ille sit. Proverbium, quo summa diffidentia adversus ignotos utendum significatur. Homo excipiendus est tanquam lupus, non tanquam homo, si ignotus velit aliquid tollere. N. — *Lupus est homo homini*. Ita Senec. ep. 103: « Ab homine homini quotidianum periculum ». Contrarium illi Cæciliano apud Symmachum: « Homo homini deus est, si suum officium sciat ». Vide Rittershus. Oppian. Hal. lib. II. ERN.

89. *Jam nunc secunda mihi facis*. *Secunda* in ablativo positum, subintell. *hostia*. *Facere* cum ablativo nominis celebratur pro *sacrificare*. « Quum faciam vitula, etc. » Virg. Eclog. III, 77. *Secunda facere* proverbiale dictum ex eo quod, quum prima hostia non litasset, secunda immolabatur, si possent dii propitiari. Significat igitur Leonida mercatorem, omissis injuriis, converti ad mitiorem colloquendi modum. LAMB. — At Lipsius vult *secundas* scribi, et sic intelligi: mihi obsequeris, quasi actor qui facit partes secundas. Omnes vero MSS dant *secunda*. Et in Lambini interpretatione acquiescere placet. Mirare astutiam Leonidæ, qui nunc mitibus verbis elicere tentat, quod non potuit extorquere convicio. *Capitulo* diminutiv. pro *capiti*, ut *servulo* pro *servo*. Et de se loquendo diminutivum ironice affectat exhibere, ut qui se merito suo, non conditione, æstimandum sciat. *Huic capitulo*, meo capiti, mihi. Nam *caput* pro *persona* dicitur, et *hic* pro *meus*. Virgil. Æn. IX, 300: « Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat ». N.

90. *Sum sordidatus*, etc. Vult dicere: non est quod me æstimes ex vilitate vestis. TAUBM. — *Peculium*. Quod servo herus permisit, velut proprium. GRUT.

91. *Nec peculium potest enumerari*. Et peculium meum est innumerabile; ἀμφιβολία. Nam intelligi potest utrumque, et nullum, et multum

MERC. Fortasse! LEON. Etiam nunc dico : Periphanes Rhodo mercator
Dives, absente hero solus mihi talentum argenti
Soli adnumeravit, et mihi credidit, neque deceptus in eo.
MERC. Fortasse! LEON. Atque etiam tu quoque ipse, si esses percontatus
Me ex aliis, scio, pol, crederes nunc, quod fers. MERC. Haud negassim.

suppetere ei peculium. Quod nullum est, non enumeratur, et magnam multitudinem vix numeres. LAMB.

96. *Haud negassim.* Suspicor hoc loco deesse non pauca. Namque pendet non absolutum nunc diverbium; neque quomodo discedant personæ noscitur; et hiat fabula. N.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

CLEÆRETA, PHILENIUM.

NEQUEON' ego te interdictis facere mansuetam meis?
An ita tu es animata, ut qui expers matris imperi sies?
PHIL. Ubi piem Pietatem, si isto more moratam tibi
Postulem placere, mater, mihi quo pacto præcipis?
CLEÆR. An decorum'st advorsari meis te præceptis? PHIL. Quid est?
CLEÆR. Hoccine est pietatem colere, matris imperium minuere?
PHIL. Neque, quæ recte faciunt, culpo; neque, quæ delinquont, amo.
CLEÆR. Satis dicacula es amatrix. PHIL. Mater, is quæstu'st mihi:

2. *Ut qui.* Lambinus, et post eum cæteri, sic explanant: pro *ut quæ;* sed *qui* pro *quæ* tunc usurpatum fuisse non comprobant exemplis, neque ego usquam reperio. *Qui* adverbialiter accipiendum opinor, pro *quomodo*, et abundare. Cf. Captiv. II, 4, 21, « et eum morbum esse, ut qui nec opus sit inspectarier ». N.

3. *Piem pietatem.* Colam. Nonius v. *piare.* ERN. — Vid. infra, v. 6. Philenium autem Cleæretam obtestatur se *impie*, perfide, cum Argyrippo acturam, si *pie*, obsequenter jussa matris nunc facessat. Pietas omnia hominum inter se officia, non solum liberorum erga parentes reverentiam, complectitur. N.

4 *Postulem.* Velim.

7. *Neque, quæ recte faciunt*, etc. Objecta matris refellit obliqua exprobatione, quum se probarum mulierum sectam amplecti, ab improbis dissentire profiteatur. Graviter judicat, loquitur verecunde. Notanda est hujus personæ indoles, quæ dulcissimo amoris affectu et animi sinceritate egregie temperatur, et quantum cadit in hujus conditionis mulierem, liberaliter animata est. N.

8. *Satis dicacula es amatrix.* Lena filiam duorum arguit, quod illa

Lingua poscit, corpus quærit, animus orat, res monet.
CLEÆR. Ego te volui castigare, tu mi adcusatrix ades.
PHIL. Neque, edepol, te adcuso, neque id me facere fas existumo.
Verum ego meas queror fortunas, quom illo, quem amo, prohibeor.
CLEÆR. Ergo una pars orationis de die dabitur mihi?
PHIL. Et meam partem loquendi, et tuam trado tibi.
Ad loquendum, atque ad tacendum tute habeas portisculum.
Quin, pol, si reposivi remum, sola ego in casteria
Ubi quiesco, omnis familiæ causa consistit tibi.

dicax erga matrem, et quod viri unius *amatrix* est, nam meretricem fallaciæ, doli, avaritia decent, non verus amor. Sic præcipit et alia lena in Cistell. I, 1, 98 : « Adsimilare amare oportet. Nam si ames extempulo, Melius illi multo, quem ames, consulas, quam rei tuæ ». *Is quæstu' st mihi*, scilicet, ut sim dicax et amem. Gallic. *c'est mon métier*. N.

9. *Lingua poscit*, munera, dona. *Corpus quærit*, meretur mercedem. *Animus orat*, ut Argyrippum diligam. Frustra Acidalius *animus hortat*. *Res monet*. Ipsa res quam exerceo, me monet ut amem. Cf. Ter. Hecyr. III, 3, 15, « neque voce alia ac res monebat, ipsa poterat conqueri ». Tota oratio est : Lingua et corpore quæstum facio, sed animus quoque meus ut sibi concedam aliquid requirit, et mea conditio ad amorem pellicit. N.

10. *Tu mihi adcusatrix*. Respicit ad ea quæ filia, v. 7, dixit. LAMB.

13. *Ergo una pars orationis*, etc. Signo interrogandi apposito, hic versus fit intellectu facilior. *Ergo*, ut *ergone*, indignantis impatientiam expromit. *De die*, per diem, in die. An tandem meam quoque loquendi partem in toto die habere potero? Nam tu sola loqueris. N.

15. *Ad loquendum*. Tu ipsa jus habeas et orationis imperandæ, et silentii indicendi. TAUBM. — *Tute*, tu. *Te*, adjectio syllabica vim intendit. *Portisculus*, inquit Nonius, proprie est hortator remigum, i. e. qui eam perticam tenet, quæ portisculus dicitur, qua excursum et exhortamenta moderatur. LAMB.

16. *In casteria*. Casteria, ut docet Nonius, locus est, ubi, quum navigatio conquiescit, remi et gubernacula conquiescunt. Deinde profert hunc locum. LAMB. — Quum cessavi a remigio (ab opera meretricia), quum sola (sine amatore) in casteria (in cella mea), quiesco, etc. Producit allegoriam paulo longius, quam fert sermonis indoles. N.

17. *Causa consistit*. Singularis illa vocis *causa* significatio hinc erui potest, cujus in jure non obscurus usus est, quum dicimus : « rem alicui restituendam esse cum sua

CLEÆR. Quid ais tu, quam ego unam vidi mulierem audacissumam?
Quoties te vetui Argyrippum, filium Demæneti
Conpellare aut contrectare, conloquive aut contui?
Quid dedit? quid deportari jussit ad nos? an tu tibi
Verba blanda esse aurum rere? dicta docta pro datis?
Ultro amas, ultro expetessis, ultro ad te arcessi jubes.
Illos qui dant, eos derides : qui deludunt, deperis.
An te id exspectare oportet, si quis promittat tibi,
Te facturum divitem, si moriatur mater sua?
Ecastor, nobis periculum magnum et familiæ portenditur,
Dum ejus exspectamus mortem, ne nos moriamur fame.
Nunc adeo, nisi mihi huc argenti adfert viginti minas,
Næ ille, ecastor, hinc trudetur largus lacrumarum foras.
Hic dies summu'st apud me inopiæ excusatio.

causa », id est, cum omni emolumento, quod ex re habere potuisset. Ita ergo, « omnis causa familiæ tibi consistit », esset, omne emolumentum, quod capis, cessat et impeditur. PIST. — *Omnis familiæ causa*, id est, omnis res, vel quæstus, vel reditus, unde familiam tueris, cessat. Vide Observ. IV, 26. GRONOV.

18. *Quid ais, tu.* Cave per gallicismum hæc verba interpretari. Exclamatio ægre ferentis quæ modo audierit, nulla est, sed percunctatio urgentis exprimere alicujus rei, vel confessionem, vel narrationem, tanquam « quid ais ad ea quæ te interrogabo ». Vid. Amphit. I, 1, 262. Menech. I, 2, 52. *Unam vidi mulierem audacissumam.* Sæpe nomen *unus* eleganter cum superlativo jungitur, quod orationem exaggeret; id est, unam inter omnes audacia singulari præstantissimam. N.

26. *Mater sua.* Ut *suus pater*, in duodecim tabulis, et apud Cic. identidem. Ter. Hec. IV, 4, *Mater quod suasit sua*, etc. TAUBM. — Oportetne exspectare, dum amantis mater decesserit, cujus bonis hæreditate acceptis, facturus est, ut promittit, te divitem. Hæ stipulationes juvenum in diem parentum supremum comicam excedunt lasciviam; tædet apud Plautum nonnulla hujusmodi exempla invenire. Cf. Mostell. I, 1, 76 : « utinam meus nunc mortuus pater ad me nuntietur, Ut ego exheredem meis bonis me faciam, atque hæc sit heres ». Talia in nostrate scena non feramus; et fere simile quid malignitas Harpagonis apud Molierum tolerandum vix effecit. N.

30. *Largus lacrumarum*, etc. Qui nihil unquam largitur præter lacrymas. LAMB.

31. *Hic dies*, etc. Nostri omnes *summæ* vel *summe :* neque aliter Palatini, præter unum, in quo *sum-*

PHIL. Patiar, si cibo carere me jubeas, mater mea.
CLEÆR. Non veto ted amare, qui dant, qua amentur gratia.
PHIL. Quid si hic animus obcupatu'st, mater, quid faciam? mone. CLEÆR. Hem!
Meum caput contemples, siquidem ex re consultas tua.
PHIL. Etiam opilio, qui pascit, mater, alienas oveis,
Aliquam habet peculiarem, qui spem soletur suam.
Sine me amare unum Argyrippum, animi causa, quem volo.
CLEÆR. Intro abi : nam te quidem, edepol, nihil est inpudentius.
PHIL. Audientem dicto, mater, produxisti filiam.

must pro *summast*. Neque aliud volunt isti quam *summa est*. Sermo elegantissimus. *Hic dies summa est apud me inopiæ excusatio.* Hic dies est, quo postremum hæc excusatio inopiæ accipitur, ultra quem nulla talis excusatio valet. Tale in Persa, I, 1, 34 : « Hæc dies summa hodie est, mea amica sitne libera, An sempiternam servitutem serviat ». GRONOV.—Doctissimus vir solertissime difficultatem enodavit; sed quæso annon quoque possis, integra lectione, locum ita constituere : « Hic dies excusatio inopiæ (i. e. quo admittatur inop. exc.) summus est »? N.

32. *Patiar*, etc. Maximum obsequium profitetur. Quasi dicat: Hoc patiar, et, cibo etiam carere si jubeas, patiar quoque. Sed istius modi comparatio, qua desiderium amoris fruendi, quam explendæ famis, facilius illa se passuram fatetur, vehementer discrepat a comœdiæ nostratis et commentitiarum apud novos historiarum moribus amatoriis. N.

34. *Obcupatus.* Amor Argyrippi occupavit animum, neque locum alii reliquit. N.

35. *Meum caput.* Meum caput fac contempleris, quod canum est, et cogites fore ut quoque senescas. Itaque, dum ætas integra, rei consule tuæ. LAMB.

36-38. *Etiam opilio*, etc. Mira inter meretricias sordes dulcedo affectuum ; hæc quidem ipsius est Philenii, illæ ad conditionem scenicarum amantium pertinent. N.

37. *Peculiarem. Peculatorias oves* hoc genus indigitat Varro, quæ nimirum servis aut filiisfamilias sunt in peculio. ERN. — *Qui*, qua. Cf. Amph. I, 1, 263.

39. *Impudentius.* Impudentem vocat filiam, ut matri non morigeram. N.

40. *Produxisti. Producere*, educere, instituere. Gl. MSS Plaut. BOXHORN.

SCENA SECUNDA.

LEONIDA, LIBANUS.

LEON. Perfidiæ laudes gratiasque habemus merito magnas,
Quom nostris sycophantiis, dolis, astutiisque,
Scapularum confidentia, virtute ulmorum freti

1-9. *Perfidiæ laudes, ... potiti.* Omnes hunc locum labyrintheis ambagibus implicitum confitentur. Lambinus perturbatam existimat de industria orationem a Plauto ita esse, ut exprimeret servi affectum lætitia elati. Si ea mens illi fuit, nimis intendit imitandæ exsultationis artificium. Suspicor elapsum inde versum aliquem scribarum incuria. Sed hæc mera conjectura est, et oratio, qualis nunc habetur, quoquo modo extricanda. Gron. τὸ *qui* in quarto versu censet revocandum sensu ad secundum versum, suppleto quoque verbo substantivo (sumus) in τοῖς *freti* et *potiti*, ita evolvens orationem: « perfidiæ merito gratias habemus, quum (qui nostris sycophantiis, etc. freti *sumus* adversus stimulos, laminas, etc.) potiti *sumus eas* legiones, copias, etc. » Justam quidem sic figuram loquendi componit, sed retracto violenter τῷ *qui* ex quarto in secundum versum, et mutato ad libitum nominativo *eæ legiones*, *copiæ*, etc. in accusativum. Rectius Lambinus anacoluthum in oratione Plautina videt, atque verbum *potiti* patiendi significatione accipiendum. Sed illius sententia comprobari non potest, quum delet *qui* quarto versu, importunum quidem, sed quod omnes MSS tuentur. Igitur sic tento explicare orationem hanc fere inenodabilem, Lambini quidem ope adjutus: « perfidiæ gratias merito habemus, quum sycophantiis... virtute freti (*nos*), qui adversus stimulos, laminas... et eos qui cicatrices indiderunt (*valemus*): » id verbum aut aliud simile in hoc membro orationis desideratur, quod enumeranti rerum ipsa multitudo subduxit; at pendet adhuc ab iis: *quum... freti* tota oratio, cui, ut recte concluderetur, subjungi oportebat hujusmodi complementum: *vicimus hostes;* sed, ut fit in profluente ex abundanti sermone et longissimo ultra modum, tenor sententiæ, non ordo loquendi servatur. Ergo sic fertur incomposita oratio: « quum nos... freti... eæ legiones, exercitusque eorum... nostris perjuriis potiti (capti) sunt ». Lambinus et alii *eæ legiones* intelligunt eos hostes, quos vv. 4-7 Leonida enumeravit. Sed quid est: « Cepimus laminas, tortores, etc. »? Instruxerunt vero aciem adversus nummos mercatoris; eæ sunt legiones, quas in potestatem suam redegerunt. N. —*Ulmorum*, scil. virgarum ex ulmis factarum. Hoc ferri non potest. Quid est enim « Virgarum virtute freti »? Subjice *humerorum*, qui ferent ictus. LAMB.—*Stimulos*, quibus fodiemur. *Laminas* ferreas igne candentes. *Nervos*, vincula. *Numellas*, genus machinæ ligneæ ad discru-

Qui advorsum stimulos, laminas, crucesque, conpedesque,
Nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boias,
Indoctoresque acerrumos, gnarosque nostri tergi,
Qui sæpe ante in nostras scapulas cicatrices indiderunt :
Eæ nunc legiones, copiæ, exercitusque eorum,
Vi, pugnando, perjuriis nostris, euge, potiti.
Id virtute hujus conlegæ, meaque comitate
Factum'st. LIB. Qui me vir fortior est ad subferendas plagas?
LEON. Edepol, virtutes qui tuas nunc possit conlaudare,
Sicut ego possim, quæ domi duellique male fecisti?
Næ illa, edepol, pro merito nunc tuo memorari multa possunt,
Ubi fidentem fraudaveris, ubi hero infidelis fueris,
Ubi verbis conceptis sciens libenter perjuraris,
Ubi parietes perfoderis, in furto ubi sis prehensus,
Ubi sæpe causam dixeris pendens advorsus octo
Astutos, audaceis viros, valenteis virgatores.
LIB. Fateor profecto, ut prædicas, Leonida, esse vera.
Verum, edepol, næ etiam tua quoque malefacta iterari multa

ciandos noxios paratæ (vide Nonium et Festum). *Boias*, genus vinclorum, tam ferreas, quam ligneas, teste Festo. LAMB. — *Indoctores*. Camerarius vult *incloctores* a verberum strepitu, quem Græci appellant κλωγμόν; Gronovius et edit. Bip. *inductores* metaphorice, qui inducunt tergum plagis, ut artifices parietem tectorio. Lambinus *in doctores*. Tibi dijudicandum relinquitur utrum aliquid ex illis an scripturam vulgarem codicibus et impressis traditam malis, scil. *indoctores*, compositum pro simplici *doctores* tergitribas. *Exercitusque eorum :* multi MSS pro *eorum* dant alii *furum*, alii *forum*, quod idem valet; nam o pro u more antiquo. Hæc lectio Gronovio non displicet, qui locum Terentii adfert : « ubi centurio est Sanga et manipulus furum. » Eun. IV, 7, 6. *Euge* exclamatio lætantis extra processum orationis. N.

10. *Conlegæ*. Ille quidem consul aut prætor duxit triumphum, qui collegam nominat. *Comitate*, solertia, dexteritate. N.

13. *Domi duellique*. Pace belloque. Ridicule solemni locutione imperatorum duo fures utuntur. N.

15. *Ubi*. Quoties, vel, quum. N.

18, 19. *Ubi sæpe*, etc. Cf. Amph. I, 1, 7. Orationem, qua causam dicens adversus astutos et audaces viros reus ostenditur, suspensam tenet in dubio ad ultimum, donec voce *virgatores* sententiam absolvit, et qualis sit causæ actio aperit. N.

21. *Iterari*. Memorari, i. e. renovari dictis, antique. TAUBM.

Et vero possunt, ubi sciens fideli infidus fueris,
Ubi prehensus in furto sies manifesto verberatus,
Ubi perjuraris, ubi sacro manus sis admolitus,
Ubi heris damno, molestiæ, et dedecori sæpe fueris,
Ubi creditum tibi quod sit, tibi datum esse pernegaris,
Ubi amicæ, quam amico tuo, fueris magis fidelis,
Ubi sæpe ad languorem tua duritia dederis octo
Validos lictores, ulmeis adfectos lentis virgis.
Num male relata'st gratia? ut conlegam conlaudavi!
LEON. Ut meque teque maxume atque ingenio nostro decuit.
LIB. Jam omitte ista, atque hoc, quod rogo, responde. LEON. Rogita quod vis.
LIB. Argenti viginti minas habesne? LEON. Hariolare.
Edepol, senem Demænetum lepidum fuisse nobis.
Ut adsimulabat Sauream med esse, quam facete!
Nimis ægre risum continui, ubi hospitem inclamavit,
Quod, se absente, mihi fidem habere noluisset.
Ut memoriter me Sauream vocabat atriensem!
LIB. Mane dum. LEON. Quid est? LIB. Philenium estne hæc, quæ intus exit?

29. *Adfectos*, instructos, munitos. Sic Noster Bacchid. IV, 4, 2: « Duplicibus spoliis sum adfectus ». Amph. I, 1, 38: « Præda atque agro adoreaque adfecit populares ». Bothius cum Bosio vult: *adfectus*. N.

30. *Relata'st gratia*. Si compar huic mutuæ collaudationi diverbium audire cupis, adire licet *Lesage* in *Crispin rival de son maître*. N.

31. *Ut meque teque... atque ingenio decuit*. Nullum aliud exemplum reperio verbi *decet* cum auferendi casu. Lambino placet corrigere *ingenium*; nisi existimes Plautum, quum haberet in animo *ut dignum est*, per metalepsin eamdem regendi vim præmisisse τῷ *decet*. N.

36. *Inclamavit*. « Conviciis et maledictis insectatus est ». Festus.

38. *Memoriter*, i. e. scite. *Memoriter facere* ita fert, ut nec compacto et composito, nec tanquam præmeditatus, sed ex tempore dicere facereque videaris. *Memoriter*, i. e. prompte. BOXHORN.— Donatus ad Terent. And. IV, 3, 8: « et *memoria* modo pro *intelligentia*. Ut Virgilius: « instamus tamen immemores ». Æn. II, 244. N.

39. *Intus exit*. Vid. Amph. II, 2, 138. N.

Atque Argyrippus una. LEON. Obprime os : is est : etiam subauscultemus.
Lacrumantem lacinia tenet lacrumans : quidnam esse dicam?
Tacite auscultemus. LIB. Attate! modo, hercle, in mentem venit.
Nimis vellem habere perticam. LEON. Quoi rei? LIB. Quî verberarem
Asinos, si forte obceperint clamare hinc ex crumina.

SCENA TERTIA.

ARGYRIPPUS, PHILENIUM, LIBANUS, LEONIDA.

ARG. Cur me retentas? PHIL. Quia tui amans abeuntis egeo.
ARG. Vale. PHIL. Aliquanto amplius valerem, si heic maneres.
ARG. Salve. PHIL. Salvere me jubes, quoi tu abiens adfers morbum.
ARG. Mater supremum mihi tua dixit, domum ire jussit.
PHIL. Acerbum funus filiæ faciet, si te carendum est.

40. *Etiam.* Bip. edit. hanc vocem expungit, comprobante nostro MS.

41. *Tenet* illa illum. Vid. sc. seq. v. 1. *Quidnam esse dicam?* Quid est? quid agunt? N.

44. *Asinos.* Urbane, viginti minas pro asinis acceptas, Libanus vocat *asinos.* TAUBM.

1. *Tui... egeo.* Plena teneri affectus locutio. N.

4. *Supremum.* Gronovius vult *supremam*, i. e. postremam diei partem, et Varronem, Plinium, Censorinum testes appellat, vocem *suprema* hoc sensu vulgo veteribus fuisse usurpatam; et quærit an fieri possit ut *domum ire jubeatur* ille, qui mœsta *supremum* voce cietur, si quidem mortuus sit. Sed non meminit Cleæretam dicere sup. III, 1, 31 : « hic dies summu'st, etc. » Neque reputat « supremum vale », vel « salve » (nam alterutra harum vocum subintelligenda) non tantum mortuis, sed vivis quoque dici posse, quum inter discedentes, non postea coituros, fit *supremus digressus.* Cf. Virg. Æn. III, 482; VIII, 583. Quid vero esset : « me jussit domum abire, quia supremam (diei partem) dixit adesse »? Igitur, auctore Lambino, intelligo : « mater tua supremum vale dixit, mihi denuntiavit supremum nunc esse diem nostræ familiaritatis ». N.

5. *Acerbum.* Immaturum funus faciet. Virg. Æn. VI, 429, infantes, quos « funere mersit acerbo ». LAMB.

LIB. Homo, hercle, hinc exclusu'st foras. LEON. Ita res est. ARG. Mitte, quæso.

PHIL. Quo nunc abis? quin tu heic manes? ARG. Nox, si voles, manebo.

LIB. Audin' hunc? opera ut largus est nocturna : nunc enim est

Negotiosus interdius, videlicet Solonem,

Leges ut conscribat, quibus se populus teneat : gerræ.

Qui sese parere adparent hujus legibus, profecto

Nunquam bonæ frugi sient, dies nocteisque potent.

LEON. Næ iste, hercle, ab ista non pedem discedat, si licessit,

Qui nunc festinat, atque ab hac minatur sese abire.

LIB. Sermoni jam finem face tuo : hujus sermonem adcipiam.

ARG. Vale. PHIL. Quo properas? ARG. Bene vale : apud Orcum te videbo :

Nam equidem me jam, quantum pote'st, a vita abjudicabo.

7. *Nox*, i. e. noctu, sic dixerunt veteres. Exempla petat e XII Tabulis, qui volet. LAMB.

9. *Negotiosus*. Interdiu est occupatus : noctu tantum vacat. ERN. —*Interdius* græce, sicut apud Homerum, Iliad. II, 24 : οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα. *Videlicet Solonem*. *Videlicet* eamdem ducit syntaxin, quasi sit *videre licet*. Cf. Stich. IV, 1, 49. Lucret. I, 210. Sensus : « hic est Solo occupatus, ut leges, etc. » N.

10. *Gerræ*. J. Gulielmus, cui assentitur edit. Bip., vult scribi *gerræ, qui*, etc. et addit : « Hic *gerræ* non sunt nugæ et affaniæ, sed *gerrones*. Glossarium *gerra*, οὐδαμινός· et ita veteres accepisse, præter hunc locum, probat ab hac composita vox, *congerræ*. Lucilius : *Tapullam rident legem congerræ Opimi*. Qui versus verbis Plauti illustrandis aptissimus est. Nam iisdem de legibus conviviorum agit hic Plautus : quas ita ab Argyrippo ait remisse et prolixe scriptum iri, ut gerræ sive compotores, qui iis purituri sint, noctes et dies ebrii sint futuri. » Sed frustra est Gulielmus, ut opinor. Vid. Plaut. Pœnul. I, 1, 9.

13. *Næ iste*, etc. Irritas illas amantium comminationes Molierus expressit in *Tartuffe*, II, 4 : « *Hola! seigneur Valère! — Hé! que veux-tu, Dorine? — Venez ici. — Non, non, le dépit me domine* », et seqq. Notaverat quoque Terentius hanc impotentiam, Eunuch. I, 1. N. — *Licessit*, licuerit. LAMB.

17. *Quantum pote'st*. Quam cito fieri potest. Cf. Ter. Andr. V, 2, 20.

PHIL. Cur tu, obsecro, inmerito meo me morti dedere optas?
ARG. Ego te? quam si intellegam deficere vita, jam ipse
Vitam meam tibi largiar, et de mea ad tuam addam.
PHIL. Cur ergo minitaris tibi te vitam esse amissurum?
Nam quid me facturam putas, si istuc, quod dicis, faxis?
Mihi certum'st ecficere in me omnia eadem, quæ tu in te faxis.
ARG. O melle dulci dulcior mihi tu es. PHIL. Certe enim tu vita es
Mihi: conplectere. ARG. Facio lubens. PHIL. Utinam sic ecferamur!
LEON. O Libane, ut miser est homo, qui amat! LIB. Imo, hercle, vero,
Qui pendet, multo est miserior. LEON. Scio, qui periculum feci.
Circumsistamus: alter hinc, hinc alter adpellemus.
LIB. Here, salve: sed num fumus est hæc mulier, quam amplexare?
ARG. Quidum? LIB. Quia oculi sunt tibi lacrumantes, eo rogavi.
ARG. Patronus qui vobis fuit futurus, perdidistis.

18. *Cur tu*, etc. Quanta simul amandi vehementia et elegantia dicendi! N.

19. *Deficere.* Hoc genere loquendi in magni amoris significatione veteres usi sunt. Seneca: *Dicere solent eis, quos validissime diligunt, paratos se partem annorum suorum dare.* MURET. *Vitam meam,* etc. Cf. Corneille, *Cinna*, V, 3: « *Puisse le grand moteur des belles destinées, Pour prolonger vos jours retrancher nos années!* » Et J.-B. Rousseau, *Ode au comte du Luc*: « *Ne délibérez plus, tranchez mes destinées*, etc. » N.

21. *Amissurum.* Abjecturum. Cf. Mil. gl. II, 5, 47. Cicero dixit pro Rosc. Amer. ult. verbis: « Assiduitate molestiarum sensum omnem humanitatis ex animis amittimus ».

25. *Ecferamur.* Scil. in rogum. Terent. And. I, 1, 90: « effertur: imus, etc. » LAMB.

26. *Imo, hercle,* etc. Embolium vere comicum, quo Plautus tristitiam scenæ temperat. N.

27. *Scio qui per. feci.* Scio expertus ipse. LAMB.

31. *Patronus qui vobis fuit futurus, perdidistis* (eum), pro « patronum, qui vobis, etc. ». Sic Mostell. I, 3, 93: « Mulier quæ se suamque æta-

LIB. Equidem, hercle, nullum perdidi : ideo, quia nunquam ullum habui.

LEON. Philenium, salve. PHIL. Dabunt di, quæ velitis, vobis.

LIB. Noctem tuam et vini cadum velim, si optata fiant.

ARG. Verbum cave faxis, verbero. LIB. Tibi equidem, non mihi opto.

ARG. Tum tu igitur loquere, quod lubet. LIB. Hunc, hercle, verberare.

LEON. Quisnam istuc adcredat tibi, cinæde calamistrate?
Tun' verberes, qui pro cibo habeas te verberari?

ARG. Ut vostræ fortunæ meis præcedunt, Libane, longe,
Qui hodie nunquam ad vesperum vivam! LIB. Quapropter, quæso?

ARG. Quia ego hanc amo, et hæc me amat : huic quod ego dem, nusquam quicquam'st.
Hinc med amantem ex ædibus delegit hujus mater.
Argenti viginti minæ me ad mortem adpulerunt,
Quas hodie adulescens Diabolus ipsi daturus dixit :
Ut hanc ne quoquam mitteret, nisi ad se, hunc annum totum.

tem spernit, speculo ei usu'st ; et vice versa Terent. Eunuch. IV, 3, 11 : « Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit ». *Perdidistis*, amisistis, vobis ereptus est (namque moriar) : *patronum*, qui futurus erat non herus, sed patronus, vobis manumissis. N.

35. *Verbum cave faxis*, tam protervum. SCHM.—*Tibi equidem*, etc. Quæ optavi modo, optavi non mihi, sed tibi. Similis jocus fit supra, I, 1, 29, 30. Hujusmodi conversiones reperias sæpe apud nostrates comicos; ex. grat. *le Festin de Pierre*, act. IV, sc. 7 : « *Ah! monsieur, vous avez tort.— J'ai tort! — Monsieur... — J'ai tort! — Oui, monsieur, vous avez tort d'avoir souffert ce qu'il vous a dit*, etc. N.

36. *Hunc, hercle, verberare.* Tanquam herus jusserit optare quid lubeat, « hunc (Leonidam), inquit, verberare (lubet). » N.

38. *Tun' verberes, qui*, etc. An verberes (me) tu, cui cibus quotidianus est verbera. N.

43. *Delegit.* Ablegavit. Lambinus vult *dejecit*, sed frustra. Nonius voce *diligere* : « Manifestam habet significationem, ut plerumque, *diligit*, dividit, Plaut. Curcul : « Clypeatus elephantum ibi machæra diligit ». Titinnius prælia : « Pernam totam diligit ». N.

45. *Ut hanc*, etc. Ea conditione,

Videtin' viginti minæ quid pollent, quidve potsunt?
Ille, qui illas perdit, salvos est: ego, qui non perdo, pereo.
LIB. Jam dedit argentum? ARG. Non dedit. LIB. Bono animo es, ne formida.
LEON. Secede huc, Libane, te volo. LIB. Si quid vis. ARG. Obsecro vos,
Eadem istac opera suaviu'st conplexos fabulari.
LIB. Non omnia eadem æque omnibus, here, suavia esse scito:
Vobis est suave amantibus conplexos fabulari:
Ego conplexum hujus nihil moror. Meum autem hæc adspernatur.
Proinde istud facias ipse, quod faciamus, nobis suades.
ARG. Ego vero, et quidem, edepol, lubens: interea si videtur,

ut hanc (Philenium) ne mitteret (Cleæreta). *Quoquam*, adverbium pro nomine personæ, i. e. ad alium quemquam. *Ad se*, Diabolum. N.

50. *Eadem istac opera*, etc. Quum fabularentur ita proxime collatis capitibus, ut parum abessent a complexu, suadet eis adolescens ut isto eodem modo, quo nunc sunt, se complectantur fabulantes, quoniam jucundius ita est fabulari. Forsan quis objiciat Argyrippo, quod importune in tanto dolore jlocaliter servos lacessat. Sed hoc a moribus voluptarii hominis non abhorret, præsertim quem modo Libanus bono esse animo jussit. Cave igitur scurrilitatem meram hic deprehendere credas; imo comicum artificium est. Nam jocus mox pœnam trahet, ridiculam quidem. N.

53. *Hujus*. Scil. Leonidæ. *Hæc* (Philenium) *aspernatur*. *Meum autem*, etc. Vulgatæ editiones hæc Leonidæ adjudicant. Sed a plerisque veteribus libris abest distinctio personarum, et pergit oratio Libani sic: « Ego complexum hujus Leonidæ nihil moror, meum autem hæc aspernatur ». Quod sane melius est, quam si, Leonida intercipiente sermonem, pereat antitheton, quod videtur τῷ *autem* præmonstrari. Etenim ita discerpto diverbio, *hujus complexum* erit Leonidæ, *meum autem* erit quoque Leonidæ. At, sublata distinctione, alterum est Leonidæ, alterum Libani. Et Camerarium habeo adstipulatorem opinionis meæ. Sed optima conjectura Bothii, qui et Leonidam interlocutorem eximit, et sermonem sic restituit: « Ego complexum hujus (Leonidæ) nil moror. Meum autem *hic* aspernatur. Proinde, etc. » Nam potuit scribi male *hec* pro *heic*, et inde *hæc*. N.

54. *Proinde istud facias ipse, quod faciamus, nobis suades*. Id est, complectere (hanc). Vid. v. 50. N.

Concedite istuc. LEON. Vin' herum deludi? LIB. Dignu'st sane.

LEON. Vin' faciam ut me Philenium, præsente hoc, amplexetur?

LIB. Cupio, hercle. LEON. Sequere hac. ARG. Ecquid est salutis? satis locuti.

LEON. Auscultate, atque operam date, et mea dicta devorate.
Primum omnium, servos tuos nos esse non negamus:
Sed si tibi viginti minæ argenti proferentur,
Quo nos vocabis nomine? ARG. Libertos. LEON. Non patronos?

ARG. Id potius. LEON. Viginti minæ heic insunt in crumina.
Has ego, si vis, tibi dabo. ARG. Di te servassint semper,
Custos herilis, decus populi, thesaurus copiarum,
Salus interioris hominis, amorisque inperator.
Heic pone, heic istam conloca cruminam in collo plane.

LEON. Nolo ego te, qui herus sis mihi, onus istuc sustinere.

ARG. Quin tu labore liberas te, atque istam inponis in me.

LEON. Ego bajulabo: tu, ut decet dominum, ante me ito inanis.

ARG. Quid nunc? quid est? quin tradis huc cruminam pressatum herum?

56. *Istuc.* Eo unde statis. N.

59. *Auscultate .... devorate.* Pœnulo: *Orationem aures devorant*, etc. Meursius emendat: *auscultato atque op. dato et m. d. devorato.* Quia ad unum Argyrippum sermo convertitur. TAUBM.

60. *Primum omnium.* Ante omnia hoc fatemur. Fallax quidem et jocosum ludificationis prooemium. N.

65. *Copiarum.* Opum, divitiarum. N.

66. *Salus interioris hominis: Interior homo* est pars hominis interior, i. e. vita, anima; sicut dicitur « interior domus, summa, ima arbor », pro « interior, summa, ima pars domus, arboris ». Sic apud Terentium Phorm. III, 2, 11, loquitur juvenis laudum prodigus: « Tu mihi cognatus, tu parens, tu amicus, tu... ». N.

70. *Ego bajulabo. Bajulare* dicuntur, qui corpore proprio ferunt. Caius lib. III, ad Leg. 12 tab. « Ferri dicimus, quæ quis suo corpore bajulat: portari ea, quæ quis jumento secum ducit: Agi ea, quæ animalia sunt ». STEW.

71. *Cruminam pressatum herum.*

LEON. Hanc, quoi daturus hanc, jube petere atque orarè mecum.
Nam istuc proclive'st, quod jubes, me plane conlocare.
PHIL. Da, meus ocellus, mea rosa, mi anime, da, mea voluptas,
Leonida, argentum mihi; ne nos dejunge amanteis.
LEON. Dic igitur me tuum passerculum, gallinam, coturnicem;
Agnellum, hœdillum me tuum dic esse, vel vitellum:
Prehende auriculis, conpara labella cum labellis.

Hærent hic interpretes. Et mihi quoque hærenti legendum videtur, vel *pressuram herum*; vel, *i præ, ante herum*; id est, personam mutemus, tu ante me ito inanis, ut dominus; ego sequar te, ut servus, cum crumena. *I præ*, disertim habet noster MS. Boxh. — Sed Meursius et Lambinus legunt *ære pressatam*, id est, effertam nummis et distentam. Ern. — Ego nil muto, quam tuentur MSS. lectionem, et interpretor *pressatum* tanquam supinum, regente verbo *tradis*, cui sensus inest transmittendi et ideo vis motoria; quod adverbium *huc* (ad me) comprobat. Herum crumenæ. N.

72. *Hanc* (Philenium), *quoi daturus* (sum) *hanc* (cruminam), *jube petere* (ut petat illam a me) *et orare mecum* (me). *Orare mecum*, genus loquendi Plauto usitatum et antiquis. Cf. Casin. II, 5, 16; Rud. III, 4, 67. Terent. Hec. IV, 4, 64: « egi atque oravi tecum, uxorem ut duceres ». Sunt qui intelligant: *quoi daturus* (es statim); malo alterum. N.

73. *Nam istuc proclive'st*, etc. Jocus in vocibus *proclive* et *plane*. « Illud quod me collocare (in te) plane (quasi in plano) jubes, proclive est (inclinat) istuc (ad hanc partem, ad Philenium) ». Id est, mox ad eam abibit. Notum est ea, quæ in proclivi posita sunt, delabi, quæ in plano, consistere. Argyrippus autem dicebat v. 67, recto sensu *plane* (bene) *collocare*. Sed hoc detorquet ad etymon Leonida, quasi esset *in plano*. Sic volunt omnes eruditi. Nonne simplicius veriusque esset ita interpretari, nulla voce detorta: « Istuc (illud tu) quod jubes, scilic. me plane collocare (hanc crumenam), proclive est (in promptu est, paratus sum facere). Atque ita oratio cum superiore versu cohæret optime ». Videlicet: « Philenium ipsa petat, cui daturus sum: nam eo modo volo plane collocare crumenam, non, si tibi dederim, qui non retinebis, atque ergo non plane collocata esset. *Collocare* est in suo loco aliquid ponere. *Plane* idem est quod « recte, bene, omnino ». Plaut. Trucul. II, 6, 9, « quod vident, plane sciunt »; ibid. 67, « planissume perii »; et infra, IV, 1, 10. N.

75. *Meus ocellus*, etc. Si vis et alias verborum blanditiolas noscere, vid. inf. 101 seqq. Cf. Casin. I, 1, 46, 50. N.

78. *Prehende auriculis*. Solebant sic veteres osculari, ut prehensis

ARG. Ten' osculetur, verbero? LEON. Quam vero indignum visum'st!
Atqui, pol, hodie non feres, ni genua confricantur.
ARG. Quidvis egestas inperat: fricentur: da nunc, quod oro.
PHIL. Age, mi Leonida, obsecro, fer amanti hero salutem.
Redime istoc beneficio te ab hoc, et tibi eme hunc isto argento.
LEON. Nimis bella es atque amabilis, et, si hoc esset meum, hodie
Nunquam me orares, quin darem: illum te orare meliu'st.
Illic hanc mihi servandam dedit: i sane, bella, belle.
Cape hoc sis, Libane. ARG. Furcifer, etiam me delusisti?
LEON. Nunquam hercle facerem, genua ni tam nequiter fricares.
Agesis tu, in partem nunc jam hunc delude, atque amplexare hanc.
LIB. Taceas, me spectes. ARG. Quin ad hunc, Philenium, adgredimur,
Virum quidem, pol, optumum, et non similem furis hujus.
LIB. (secum) Inambulandum'st: nunc mihi vicissim subplicabunt.
ARG. Quæso hercle, Libane, sis herum tuis factis sospitari,

ejus, quam carissimam habebant, auribus, oscula libarent. Cf. Plutarch. de modo audiendi. Theocrit. idyll. V. Lamb.

79. *Quam vero indignum,* etc. An adeo indigna res visa est? N.

80. *Ni genua.* I. e. nisi mihi genua attrectans supplicaveris. Douz.

81. *Quidvis egestas imp.* Excusat se dominus, et dicit: Fricabo igitur servi mei genua, quum egestas fas juxta atque nefas imperare soleat duris urgens in rebus. Taubm.

85. *Nunquam me orares, quin darem.* Darem certe oranti tibi. *Quin,* ita ut non. *Illum,* Libanum. N.

89. *In partem.* Pro tua parte, κατὰ μέρος. Bos. — Hæc dicuntur clam Argyrippo.

92. *Subplicabunt.* Argyrippus et Philenium. N.

93. *Sis herum.* Frustra hoc loco laboravit Lambinus, quum omnia sint plana, si *sis* pro *si vis* accipiamus, hoc sensu: Si vis comitati tuæ salutem debeam, trade huc mihi, quas habes, viginti minas. Vid. sup. II, 2, 43. N.

Da mihi istas viginti minas: vides me amantem egere.
LIB. Videbitur, factum volo, redito huc conticinio.
Nunc istanc tantisper jube, sis, petere atque orare mecum.
PHIL. Amandone exorarier vis te, an osculando?
LIB. Enimvero utrumque. PHIL. Ego obsecro te, et tu utrumque nostrum serva.
ARG. O Libane, mi patrone, mihi trade istuc. Magis decorum'st,
Libertum potius, quam patronum, onus in via portare.
PHIL. Mi Libane, ocellus aureus, donum decusque amoris,
Amabo, faciam, quod voles, da istuc argentum nobis.
LIB. Dic igitur me anaticulam, columbam, vel catellum,
Hirundinem, monedulam, passerculum, putillum.
Fac proserpentem bestiam me, duplicem ut habeam linguam,
Circumdatoque me brachiis, meum collum circumplecte.
ARG. Ten' conplectatur, carnufex? LIB. Quam vero indignus videor!
Ne istuc nequicquam dixeris tam indignum dictum in me,
Vehes, pol, hodie me, siquidem hoc argentum ferre speres.

95. *Conticinio. Conticinium*, prima pars noctis, secunda vigilia, νυκτὸς ἀρχή. TAUBM.

96. *Jube, sis.* Monet Ill. Hermannus ut scribatur *jube petere*, metri causa. N.

97. *Amando, osculando.* Passiva significatione, ut millies alias apud poetas. Vis emi a te beneficium amore solum, an etiam osculo? N.

99. *Magis decorum 'st*, etc. Hæc vulgo dant Libano, quæ non ejus sunt, sed Argyrippi; quippe Argyrippus Libanum vocat patronum suum, non se libertum Argyrippi Libanus dicit. N.

101. *Ocellus aureus.* Conjunxit duas res omnium carissimas, *oculum* et *aurum*. TAUBM.

103. *Anaticulam*, etc. Ideo hæ aves hic commemorantur, tanquam delicatæ, quia istæ et aliæ id genus pueris patriciis in deliciis erant. Cf. Capt. V, 4, 6. LAMB.

104. *Putillum.* Edit. Bip. scribit « putillum, passerillum ». N.

105. *Fac proserpentem.* Compone linguam tuam cum mea inter osculandum, ut similis fiam serpenti: cui bisulcam linguam tribuunt. PAR.

108. *Nequicquam.* Impune. LAMB. —*Speres*, optes. Amph. II, 2, 44. N.

ARG. Ten' ego veham? LIB. Tun' hoc feras argentum hinc aliter a me?
ARG. Perii hercle! si verum quidem'st decorum, herum vehere servom,
Inscende. LIB. Sic isti solent superbi subdomari.
Adsta igitur, ut consuetus es puer olim: scin' ut dicam?
Hem sic: abi: laudo: nec te equo magis est equos ullus sapiens.
ARG. Inscende actutum. LIB. Ego fecero: hem! quid istuc est? ut tu incedis!
Demam hercle jam de ordeo, tolutim ni badizas!
ARG. Amabo, Libane, jam sat est. LIB. Nunquam, hercle, hodie exorabis.
Nam jam calcari quadrupedem agitabo advorsum clivom,
Postidea ad pistores dabo, ut ibi cruciere currens.

111. *Perii.* E MSS Busbequii, hic J. Gul. collocat talem versum: « Perii, illic habebit flocco jam homo lumbos meos ». — *Decorum.* Hanc vocem expungit Bip. edit. Namque multi censent *decorum* insertam esse glossam vocis *verum.* Sed oratio ambo adjectiva recipit, vel non copulativa intercedente, ut fit sæpe alias. Ergo sic habet: « Si verum (justum) et decorum (decens, conveniens), etc. » *Verus* pro *justus* usurpatur Tit. Liv. II, 48. Tacit. Annal. IV, 43. Horat. Sat. II, 3, 213; ep. I, 7, 97; et Cornelius similiter fere, *Mort de Pompée*, act. IV, scen. 1: *Oui, oui, ton sentiment enfin est véritable.* N.

112. *Inscende.* Hinc nomen ei Argyrippo. N.

114. *Hem sic, abi.* Terent. Adelph. IV, 3, 11: « Ctesipho, patrissas, abi, virum te judico ». Exclamatio laudantis est, *abi*, non discedere jubentis inclamatio. Vid. Truculent. act. II, sc. 1. TAUBM.

116. *Tolutim*, etc. Quasi *volutim et glomeratim.* Verbo *badizas* bis idem dicit: nam βαδίζειν, proprium gradarii ac tolutarii equi. Glossæ βαδιστής, tolutarius. Vide Nonium voc. *tolutim.* MERCER.

118. *Quad.* etc. Te quadrupedem cogam calcari clivum ascendere. Quid? saccus ille, quo facetus *Scapin* senem involvit, quique Bolæum tam vehementer offendebat, præ istis quale est? At Molierus in eadem fabula *les Fourberies de Scapin* ostendit quoque quantas contumelias et fastidia ferre miseros amantes cogat durus amor, sed quam lepide, quam decore, quam comica peripetia, perlegas oportet scenis 5 et 7, act. II. O doctum et ingeniosum imitatorem! N.

119. *Ad pistores*, in pistrinum. Machinam, qua trusatilis mola susdeque movebatur, trahebant vel equi, vel servi. N.

Adsta, ut descendam nunc jam in proclivi, quamquam nequam es.
ARG. Quid nunc? quoniam ambo, ut est lubitum, nos ambo delusistis,
Datisne argentum? LIB. Siquidem mihi statuam et aram statuis,
Atque ut Deo mihi heic inmolas bovem : nam ego tibi Salus sum.
LEON. Etiam tu, here, istunc amoves abs te, atque ipse me adgredire?
Atque illa, sibi quæ hic jusserat, mihi statuis, subplicasque?
ARG. Quem te autem Deum nominem? LEON. Fortunam, atque Obsequentem.
ARG. Jam istoc es melior. LIB. An quid est olim homini salute melius?
ARG. Licet laudem Fortunam, tamen, ut ne Salutem culpem.
PHIL. Ecastor ambæ sunt bonæ. ARG. Sciam, ubi boni quid dederint.
LEON. Opta id, quod, ut contingat, tibi vis. ARG. Quid, si optaro? LEON. Eveniet.
ARG. Opto annum hunc perpetuum mihi hujus operas. LEON. Inpetrasti.

123. *Salus.* Dea Salus ædem Romæ habebat, quam Fabius pictor imaginibus ornavit. N.

124. *Etiam.* Pro *quin.* Douza. *Aggredire* pro aggrederis. N.

126. *Fortunam, atque Obsequentem.* Servus vocari se *Fortunam* vult, et quidem, quia obsequebatur amori et voluntati heri sui, cognomento *Obsequentem.* Colebatur autem *Fortuna obsequens* Romæ, eoque allusum est. LIPS.

127. *An quid est olim,* aliquando pro « an quidquam est? » Sic Gall. *y a-t-il jamais? Salute melius?* Argyrippus dixit Leonidæ, qui pro Fortuna Obsequente se dabat; « melior es istoc », sc. Libano, qui se nominavit Salutem. Et hæc Libanus reprehendit. Sed amanti egeno fortuna potior salute. At sibi conciliare utrumque vers. seq. sciet. N.

128. *Tamen, ut ne Salutem culpem.* Ita mihi laudare Fortunam licet, ut tamen Salutem non vituperem, non asperner. LAMBIN.

131. *Hujus operas.* Philenii obsequium. Nomen quidem non nimis

ARG. Ain' vero? LEON. Certe, inquam. LIB. Ad me adi vicissim, atque experire.
Exopta id, quod vis maxume tibi evenire, fiet.
ARG. Quid ego aliud exoptem amplius, nisi illud quojus inopia'st?
Viginti argenti commodas minas, hujus quas dem matri.
LIB. Dabuntur; animo sis bono face; exoptata obtingent.
ARG. Ut consuevere, homines Salus frustratur et Fortuna.
LEON. Ego caput huic argento fui hodie reperiundo.
LIB. Ego pes fui. ARG. Quin nec caput, nec pes sermonum adparet.
Nec quid dicatis, nec, me cur ludatis, scire possum.
LIB. Satis jam delusum censeo : nunc rem, ut est, eloquamur.
Animum, Argyrippe, advorte, sis; pater nos ferre hoc jussit
Argentum ad te. ARG. Ut tempore obportuneque adtulistis!
LIB. Heic inerunt viginti minæ bonæ, mala opera partæ:
Has tibi nos pactis legibus dare jussit. ARG. Quid id est, quæso?

decorum amanti, sed tali amicæ conveniens, et usitatum. Namque istæ mulieres operas suas, ut quivis operarius, locabant. N.

132. *Ain' vero?* Exclamatio admirantis. Gallice, *vraiment?* N.

135. *Commodas minas.* Justi ponderis, non adulterinas. Douz. — Vid. Mercat. II, 3, 101. Rud. V, 2, 31. N.

136. *Dabuntur*, etc. Loco argenti præsentis dat verba, præbet illi spem, et, retenta crumena, prensantem eludit. Itaque Argyrippus vs. seq. dolet quod se illi frustrentur. N. — *Animo sis bono face.* Fac ut sis b. animo. Metuere desine. N.

138, 139. *Ego caput... ego pes.* Scurrilitas vernilis. Quum sibi laudem facti Leonida velit præripere, hanc retrahit ad se Libanus per antitheton. Sic longe alio genere similem figuram verborum posuit Cornelius in trag. *le Cid*, act. II, scen. 7 : *Du crime glorieux, qui cause nos débats, Sire, j'en suis la tête, il n'en est que le bras.* — *Quin nec pes nec caput.* Proverbio respondet indignatus, quod intricata eorum oratio nihil afferat sibi. Jocus e re natus, eoque vero propior, quod locutio vulgo erat in usu. Cf. Captiv. III, 4, 81, « Garriet quo neque pes unquam neque caput conpareat ». N.

140. *Nec quid*, etc. Ill. Herman.

LIB. Noctem hujus et cœnam sibi ut dares. ARG. Jube advenire [quæso].
Meritissumo ejus, quæ volet, faciemus, qui hosce amores
Nostros dispulsos conpulit. LEON. Patieris, Argyrippe,
Patrem hanc amplexari tuum? ARG. Hæc facile faciet, ut patiar.
Leonida, curre obsecro; patrem huc orato ut veniat.
LIB. Jamdudum'st intus. ARG. Hac quidem non venit. LIB. Angiporto
Illac per hortum circuit clam, ne quis se videret
Huc ire familiarium : ne uxor resciscat, metuit.
De argento, si mater tua sciat ut sit factum.... ARG. Heia!
Benedicite : ite intro cito : valete. LEON. Et vos amate.

jubet metri causa iambici tetram. catal. scribi : « nec quid dicatis, scire, nec me cur ludatis, possum ». N.

146. *Noctem hujus*, etc. Hic verum est, quod ait Lucilius l. XVIII, «In medium Chremes, in summum ire Demænetus», q. d. Chremes ille in filio indulgendo medium tenuit: Demænetus Plauti medium excessit. LIPS. — *Jube advenire*, *quæso*. *Quæso* superest. Hanc facilitatem et sedatum animum admiraris, lector. Sed in amore Romanorum scenico non abhorrens pactio videbatur. N.

147. *Meritissumo ejus*. Hic adjectivum, substantive positum, figuram superlativi recipit, notando exemplo. Sic fere Varro : « cum villis Metelli et Luculli pessimo (maximo malo) publico ædificatis certant ». R. rust. cap. 13 in fine, et Liv. II, 1 : « neque ambigitur quin Brutus... pessimo publico id facturus fuerit si, etc. » N.

148. *Dispulsos conpulit*. Nos amantes disjunctos conjunxit, ut oves dispersæ rursus compelluntur. Amat similitudines amatorias ab re pecuaria desumptas. Conf. sup. III, 1, 36-40; Bacch. sc. ult. fere tota. N.

149. *Hæc facile*. Scil. *crumina*, δειχτιχῶς. Nam manu eam identidem tractabat ac vibrabat. DOUZ. —*Hæc* forte Philenium, quæ mea semper animo erit. N.

151. *Intus*. In domo Philenii. N.

154, 155. *Heia! benedicite*. Quum Libanus aliquid mali ominis esset additurus, interpellans Argyrippus, *Eia*, inquit, εὐφημεῖτε. Sic enim solebant veteres mala omina vitare et aversari. LAMB. — *Et vos amate*. Vos, pater et filius, amori indulgete. N.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

DIABOLUS, PARASITUS.

DIAB. Agedum, istum ostende, quem conscribsti, syngraphum
Inter me et amicam et lenam : leges perlege.
Nam tu poeta es prorsus ad eam rem unicus.
PAR. Horrescet faxo lena, leges quom audiet.
DIAB. Age, quæso, mî, hercle, translege. PAR. Audin'?
DIAB. Audio.
PAR. Diabolus, Glauci filius, Cleæretæ

1. *Agedum*, etc. En ridicularia plane res, conscriptio conscriptorque amatoriæ pactionis, sed notabile quoque morum romanorum exemplum; quippe quod non commentitium omnino sit, sed tantum pro comica lascivia amplificatum. Multi erant meretricum ordines; aliæ, infima turba, prostabant, diurno, imo horario quæstu, aliæ uni vel etiam pluribus simul (ut videre est apud Terent. Andr. I, 1, 60), quasi conjugio annuo aut semestri conducebantur. Cf. Bacchid. V, 1, 11. Hoc dicebatur *conditionem accipere* (Terent. loc. cit. 52) per abusionem nominis ad justas nuptias pertinentis; nam *conditio* pactum nuptiale. Cf. Tit. Liv. III, 44. Suet. J. Cæs. 27. Donatus ad Terentium l. c. hæc : « cum uno quæstus non est, cum altero non est; cum multis fit. *Conditio* est pactio certam legem in se continens ». Ergo si eam violassent, in jus vocabantur, apud tresviros. Vid. sup. I, 2, 5, et Trucul. IV, 2, 46 seqq. « Jam, hercle, ego tibi, inlecebra, ludos faciam clamore in via; Quæ advorsum legem accepisti a plurimis pecuniam, Jam, hercle, apud omnes magistratus, faxo, erit nomen tuum. Post id ego te manum injiciam quadrupli ». Audi quoque Ovidium factum tale, in quo ipse petitori adfuit, narrantem, Rem. Amor. 657-71. Fiebat quoque ut illæ in domum conductoris reciperentur, tum concubinæ. Cf. Mil. Glor. IV, 1, 26-46, 3, 1-3. N.

2. *Leges*. Capita pactionis. N.

3. *Poeta*. Artifex, etymi sensu acceptum ποιητής. Cf. Casina, V, 1, 7. N.

Lenæ dedit dono argenti viginti minas,
Philenium ut secum esset nocteis et dies
Hunc annum totum. DIAB. Neque cum quiquam alio quidem.
PAR. Addone? DIAB. Adde, et scribas, vide, plane et probe.
PAR. Alienum hominem intromittat neminem.
Quod illa aut amicum aut patronum.... DIAB. Neminem.
PAR. Aut quod illa amicæ suæ amatorem prædicet;
Foreis obclusæ omnibus sient, nisi tibi.
In foribus scribat, obcupatam esse se.
Aut quod illa dicat peregre adlatam epistolam;
Ne epistola quidem ulla sit in ædibus,
Nec cerata adeo tabula: et si qua inutilis
Pictura sit, eam vendat: ni quatriduo
Abalienarit, quo abs te argentum adceperit,

10. *Vide.* Interjectio jubentis diligenter rem fieri. N.

12. *Quod illa aut amicum aut patronum...* Zelotypia efferus adolescens non sinit orationem absolvi, et exclamat: « neminem », id est, volo admitti. Notanda est locutio *quod illa*, etc. et infra v. 13, 16, 51, quam eruditi sic explicant: quantum ad illud attinet, quod illa possit, etc. et notant hujus locutionis multa exempla Aulul. I, 2, 13; Mil. Gl. II, 2, 9, et e Cicerone, Terentio, et aliis. Consule Lambin. et Taubm. his locis. Itaque quoties hæc figura occurret, intelligendum erit tanquam esset *si*, Gall. *au cas que*. *Patronum.* Meretrices vulgo habebant patronos vel patronas, utpote libertinæ conditionis mulieres. Cf. Nostrum Cistell. I, 1, 30 seqq. Mil. Gl. III, 1, 194. Terent. Eunuch. V, 8, 9. N.

15. *Obcupatam esse se.* Veteres codices hunc versum interserunt: « Patrem hanc amplexari tuum. DI. Hæc facile faciet ut patiar »; uni melius præbetur supra, III, 3, 149. ERNEST.

16. *Ulla sit.* Edit. Bip. *ulla uspiam sit.* N.

18. *Nec cerata adeo tabula.* Douza et cum eo Taubmannus iconicum ex cera picturæ genus intelligunt: rectius Lambinus, « tabulas ad scribendum comparatas ». Sic flagitat orationis tenor: ne habeat domi vel scriptam ad se epistolam, nec adeo (etiam) cer. tab. unde ipsa scribat ad alios. N. — *Inutilis*, non bona ad exemplum, idonea excitandæ libidini. Sic interpretes. Sed inutilis pictura est vetus et obsoleta; pictura autem plerumque in ceratis tabulis; inde parasiti metus. Vid. v. 22. N.

20. *Quo.* Ex quo acceperit viginti minas. N.

Tuus arbitratus sit, conburas, si velis;
Ne illi sit cera, ubi facere possit literas.
Vocet convivam neminem illa, tu voces.
Ad eorum ne quem oculos adjiciat suos.
Si quem alium adspexit, cæca continuo siet.
Tecum una postea æque pocula potitet.
Abs ted adcipiat, tibi propinet, tu bibas:
Ne illa minus, aut plus, quam tu, sapiat. DIAB. Satis placet.
PAR. Suspiciones omneis abs se segreget;
Neque illæc ulli pede pedem homini premat,
Quom surgat, neque in lectum inscendat proxumum;
Neque, quom descendat, inde det quoiquam manum.
Spectandum ne quoi annulum det, neque roget.

24. *Ad eorum.* In omnibus MSS exstat *forum*, idque puto deinde degenerasse in *forum*, quum potius debuisset in *eorum:* veteri enim scriptura *E* parum distat ab *F*. GRUTER. — Ne adjiciat (vertat) oculos suos ad aliquem eorum (convivarum). Priore vers. « vocet convivam neminem ». A singulari ad multitudinis figuram sæpe transit oratio et vice versa. Cf. Catull. Nupt. Thet. 144: « Nulla viri speret sermones esse fideles, Qui... Nil metuunt jurare, etc. » Terent. Eun. I, 2, 37; Heautont. II, 3, 12. N.

25. *Adspexit* p. aspexerit. Infr. *dixis* p. dixeris. V, 1, 12. N.

26. *Tecum una postea.* Malim, « Tecum una poscat : æque pocula potitet, etc. » PIST.

27. *Abs ted adcipiat*, sc. vinum propinatum. *Tibi propinet.* Propinare est delibare poculum, et inde alii bibendum præbere. Igitur uterque eodem potu semper utetur, quum hæc vicissim ab illo, ille ab hac delibatum poculum ebibet. Quo consilio? vid. vs. seq. N. — *Tecum... ted... tibi... tu...* Subint. in his omnibus: « non cum alio quoquam, non alio, non alii, non alius ». Namque est hæc zelotypiæ cautela magis quam blanditiei amatoriæ cura. N.

28. *Sapiat.* I. e. ne suavius gustet, quam tu, vinum. Parasitica hyperbole; sed hoc verbum et alio sensu, quo ad animum spectat, forte accipit adolescens, et illi placet conductam mulierem non plus sapere (*n'ait pas plus d'esprit*) quam ipsum. Hac significatione verbum hoc Plauto sæpe usurpatur : ex gr. « quoique sapiat pectus », Mil. Gl. III, 1, 189; cf. Pœn. V, 4, 28. Etiam sensus ejusdem verbi ex animo ad odorem devertitur, Pseud. II, 4, 47, 48: « Quid sapit (sentit)? — Hircum ab alis ». N.

31. *Quom surgat* (a lecto convivali), neque in lectum proxumum inscendat (corpus vel pedes extendat). Circa mensam tribus in lectis accumbebatur, inde triclinium. N.

33. *Spectandum ne*, etc. Jam ab

Talos ne quoiquam homini admoveat, nisi tibi.
Quom jaciat, Te, ne dicat: nomen nominet.
Deam invocet sibi, quam lubebit, propitiam,
Deum nullum: si magis religiosa fuerit,
Tibi dicat, tu pro illa ores, ut sit propitius.
Neque illa ulli homini nutet, nictet, adnuat;
Post, si lucerna exstincta est, ne quid sui
Membri conmoveat quicquam in tenebris. DIAB. Optu-
mum'st:
Ita scilicet facturam: verum in cubiculo....

antiquis temporibus, ut videtur, apud Romanos calliditas muliebrium astutiarum vigebat, neque Ovidius arte sua novum quidquam produxit. Plauto coætaneus Ennius sic depingit mulierem procacem in cœtu adolescentium velitantem: « quasi in choro pila Ludens, datatim dat sese, et communem facit. Alium tenet, alii nutat, alibi manus Est obcupata, alii perpellit pedem, Alii dat annulum spectandum a labris, Alium invocat (jaciendo talos), cum alio cantat: attamen Aliis dat digito literas (significante motu digitorum quasi perscribit literas) ». Et ecce Nævius, Ennio veterior, in Tarentilla: « Alii adnutat, alii adnictat, alium amat, alium tenet ». N.

34. *Talos ne quoiquam hom.* etc. Apud antiquos nulli amores sine conviviis, convivia sine talis nulla. Cf. comicos passim et eroticos poetas. Sed vehementer suspicor in hac locutione, et aliquid nequitiæ subesse ambigua significatione *talorum*. N.

35. *Quom jaciat*, etc. Jaciendo talos, amatores invocabant suum quisque ignem. Cf. Capt. I, 1, 5. Vetat ergo, in talorum jactu, Philenium dicere solum « Te, » quia posset in mente habere alium atque Diabolum. N.

37. *Deum nullum.* Hoc certe fuit exquisitissimum zelotypiæ commentum. N. — *Si magis religiosa.* Si plus nimio religiosa fuerit, ut putet non tantum deas feminas, sed et deos mares sibi invocandos et propitiandos, ne ipsa faciat, sed te vicarium supponat ad illos precatorem. LAMB.

39. *Nutet, nictet, adnuat. Nutare* capitis; *nictare* oculorum; *annuere* narium, labiorum, superciliorum significantiam esse, decreverunt veteres. Per signa autem locutos olim amantes, notum est. Ovid. I de Arte: « Nil opus est digitis, per quos arcana loquaris: Nec tibi per nutus accipienda nota est. » TAUBM.

40, 41. *Ne quid sui m.* Ne quod suorum membrorum. Magna intentio in verbis *ne quid... quicquam*. N.

42. *Ita scilicet facturam.* Tò *scilicet* tenorem orationis regit, quasi scribatur, « scire licet ». Cf. Curcul. II, 2, 13; Rud. II, 3, 64. Ergo intellige: « hoc debebit facere, ut non commoveat membra in tenebris ». *Verum in cubiculo.* Parasitus scripsit de convivio, sed suspiciosus

Deme istuc: equidem illam moveri gestio.
Nolo habere illam causam, et votitam dicere.
PAR. Scio, captiones metuis. DIAB. Verum. PAR. Ergo, ut jubes,
Tollam. DIAB. Quidni? PAR. Audi reliqua. DIAB. Loquere, audio.
PAR. Neque ullum verbum faciat perplexabile.
Neque ulla lingua sciat loqui, nisi Attica.
Forte si tussire obcœpsit, ne sic tussiat,
Ut quoiquam linguam in tussiendo proferat.
Quod illa autem simulet, quasi gravedo profluat,
Hoc ne sic faciat: tu labellum abstergeas
Potius, quam quoiquam savium faciat palam.
Nec mater lena ad vinum adcedat interim,
Nec ulli verbo male dicat: si dixerit,
Hæc multa ei esto, vino viginti dies
Ut careat. DIAB. Pulchre scribsti: scitum syngraphum!

adolescens metuit ne generatim accipiat legem per calumniam meretrix, atque etiam in cubiculo, lucerna exstincta, nolit movere se. Itaque, hac cogitatione inductus, jubet demi legem. N.

44. *Nolo h. illam causam*. Nolo habere illam hunc prætextum, cur non moveatur συνουσιασμῷ. T. — *Votitam* antique a *votare* pro *vetare*, ut *voster* p. *vester*, *vorsura* p. *versura*, etc. Neque, ut Nonius et docti viri existimant, in *votita* inest significatio religiosæ inhibitionis. Sic enim sententiæ acumen hebetaretur. Sed Diabolus dicit se nolle sua lege (vid. vs. 40, 41) fieri, ut Philenium immobilis in cubiculo jacere possit, quasi ab ipso amatore vetita moveri. N.

46. *Quidni?* Gall. *oui*. Cf. Truc. IV, 2, 14. N.

47. *Faciat perplexabile*. Id est, « figuratum, quod aliud audiatur, aliud sentiatur ». Nonius. LAMB.

51. *Quod illa*. Vid. sup. v. 12. *Gravedo*, pituita, defluxio humoris frigidi ex capite. Catull. carm. 44: « hic me gravedo frigida et frequens tussis Quassavit ». LAMB.

52. *Hoc ne sic faciat*. Ne sic linguam proferat. Actor dicebat *hoc* gestu demonstrativo. LAMB.

53. *Quam savium faciat palam*. Quam cuiquam suavium, osculum, linguæ prolatione, ostendat. LAMB.

54. *Ad vinum*. Ad mensam, ad pocula. LAMB.—Si cognoscere cupis, lenæ quam sint vinosæ, perlege Cistell. I, 1, 19; Curcul. I, 2, 1 seqq. *Interim*, dum mensæ accumbent amantes, namque tum importuna esset. N.

56. *Multa*. Pœna. N.

PAR. Tum si coronas, serta, unguenta jusserit
Ancillam ferre Veneri aut Cupidini,
Tuus servos servet, Venerine eas det, an viro.
Si forte pure velle habere dixerit,
Tot nocteis reddat spurcas, quot pure habuerit:
Hæc sunt non nugæ: non enim mortualia.
DIAB. Placent profecto leges: sequere intro. PAR. Sequor.

SCENA SECUNDA.

DIABOLUS, PARASITUS.

DIAB. Sequere hac: egon' hæc patiar? aut taceam? emori

59. *Ven. aut*, etc. Ut militares exauctorati arma sua ad *Martis*, gladiatores rude donati ad *Herculis* ponebant: ita arbitror et commessatores, et puellas etiam illas quæ Veneri militarent, languidas corollas demptas suo capiti, deo cuipiam in munus dedisse. Hoc quoque servasse meretriculas puto, ut quoties pensum absolvissent, aut ut Propert. loquitur, quot itinera nocte una confecissent, tot corollas ludicro cuipiam et minorum gentium deo donarent, puta *Trephallo, Marsyæ, Hermæ*, talibus. LIPS.

60. *Servet.* Id est, observet. — *Viro.* Alicui amatori. LAMB.

61. *Si forte pure*, etc. Purum spurco vers. seq. opponitur. Viduarum et cœlibum noctes puræ, concumbentium spurcæ. Secubabant matronæ a viris, meretrices ab amatoribus, diebus festis Isidis et Cereris. Quod T. Livius per decem dies observari solitum esse tradit. Hinc Prop. II, 32: «Tristia jam redeunt Cereris solennia nobis; Cynthia jam noctes est operata decem.» LAMB.

62. *Pure.* Edit. Bip. «Tot reddat spurcas (subaud. noctes), quot puras habuerit». Vulgat. *puras.* Sed utrimque vs. claudicat. Lectionem Bothii recepimus commodiorem. N.

63. *Non nugæ.* Res seriæ. *Non enim mortualia*, tanquam præficarum carmina; næniæ. Cantus, qui ad mortuos, i. e. ad non sentientes, pertinent, nihili sunt. Sed, quod hic conscripsi, id vivorum et florentium ætate interest; non sunt mortualia, irrita verba, nugæ. LAMB.

1. *Sequere*, etc. Non convenit ut statim atque leges legerunt, exieruntque e scena, nullo spatio interjecto, prodeant rursus in scenam cognita pactione Argyrippi. Ergo hinc fieri debet exordium actus quinti; quippe dum canunt tibicines, satis temporis fuit adolescenti ac parasito, ut resciscerent eam pactionem, de qua questi in scena, excedunt; et tum aperitur siparium, ut decumbentes aspici possint a populo. MERCER. — Sed, si actus nondum fuerunt, quum Plautus scriberet, quid fit divisione Merceri? Hæc speciatim disputabimus, adjuvante God. Aug. Bom. Wolfio. At verosimile est admodum hic nonnulla deperisse. N.

Me malim, quam hæc non ejus uxori indicem.
Ain' tu? apud amicam munus adulescentuli
Fungare? uxori excuses te, et dicas senem?
Præripias scortum amanti, atque argentum obicias
Lenæ? subpiles clam domi uxorem tuam?
Suspendas potius me, quam tacita hæc auferas.
Jam quidem, hercle, ad illam hinc ibo, quam tu propediem,
Nisi quidem illa ante obcupassit te, ecfliges, scio,
Luxuriæ sumtus subpeditare ut potsies.
PAR. Ego sic faciundum censeo: me honestiu'st,
Quam te, palam hanc rem facere, ne illa existumet
Amoris causa percitum id fecisse te
Magis, quam sua causa. DIAB. At, pol, quin dixti rectius.
Tu ergo face, ut illi turbas, liteis concias,
Cum suo sibi gnato unam ad amicam de die
Potare, illam expilare. PAR. Jam ne me mone.
Ego istuc curabo. DIAB. At ego te obperiar domi.

2. *Ain' tu.* Figura loquendi usitatissima, in sermone comico, qua percunctando aliquis, vel admirationem, vel ironiam, vel indignationem prodit, mutante significatione, prout res poscit. Huic locutioni posset æquiparari gallica vox *vraiment*, quæ variis inservit affectibus. N.

4. *Uxori excuses te.* Requirenti maritale officium. N. — *Fungare... excuses.* Demænetum quasi coram audiat, alloquitur. In vehementissimo animi motu naturale est absentes appellare. N.

5. *Amanti.* Argyrippo, vel potius mihi. LAMB.

7. *Tacita*, etc. Quam hæc a me taceantur. TAUBM.—De hoc genere loquendi, tacitum ferre ab aliquo, vide ad Livium lib. I, 50. GRON.

9. *Ecfliges*, etc. Sensus est. Tu quidem uxorem tuam nimis parcam, certo scio, occides tandem, ut sumptus ad luxuriam habere possis: nisi illa te prævenit, ut tibi inferat, quod a te exspectat. J. GUL.

11. *Ego sic faciundum censeo: me honestiu'st*, etc. Duplex oratio, simplex et una sententia, scilicet: ego censeo, sic faciendum, nempe ut ego hanc rem faciam, quam honestius est a me, quam a te, fieri. N.

16. *Suo sibi.* Amph. I, 1, 113. *De die.* Non exspectato vespere, justo tempore cœnarum. *De die, de nocte*, i. q. diu, noctu. Gall. *de jour, de nuit.* Apud Romanos de die potare inhonestum fuisse quis nescit, modo scriptores latinos attigerit? N.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

AGYRIPPUS, DEMÆNETUS.

ARG. AGEDUM, decumbamus, sis, pater. DEM. Ut jusseris,
Mi gnate, ita fiet. ARG. Pueri, mensam adponite.
DEM. Numquid nam tibi molestum'st, gnate mi, si hæc nunc mecum adcubat?
ARM. Pietas, pater, oculis dolorem prohibet: quamquam ego istanc amo,
Potsum equidem inducere animum, ne ægre patiar, quia tecum adcubat.
DEM. Decet verecundum esse adulescentem, Argyrippe. ARG. Edepol, pater,
Merito tuo facere potsum. DEM. Age ergo, hoc agitemus convivium
Vino et sermone suavi: nolo ego metui, amari mavolo,
Mi gnate, me abs te. ARG. Pol, ego utrumque facio, ut æquom'st filium.
DEM. Credam istuc, si esse te hilarum videro. ARG. An tu esse me tristem putas?
DEM. Putem ego? quem videam æque esse mœstum, ut quasi dies si dicta sit.

4. *Pietas*, etc. Pietatem sane insignem, dignam quidem illa majestate patria. N. — *Oculis dolorem*, etc. Veteres ei dicebant *oculos dolere*, qui quod nollet, videret. Sic Terent. Phorm. V, 8, 64: « Vin' facere, quod tuo viro oculi doleant ». Contra Græci auctores *oculos dolere* illis significarunt, qui rem pulchram et jucundam cernerent, qua tamen frui non possent. P. VICT.

11. *Ut quasi*. Pleonasmus, tanquam. *Dies si dicta sit*, tibi reo. Nam rei sordidati conflictabantur. LAMB.

ARG. Ne dixis istuc. DEM. Ne sic fueris, illico ego non dixero.
ARG. Hem! adspecta; rideo. DEM. Utinam, male qui mihi volunt, sic rideant!
ARG. Scio equidem quamobrem me, pater, tu tristem credas nunc tibi;
Quia istæc est tecum: atque ego quidem, hercle, ut verum tibi dicam, pater,
Ea res male habet: ac non eo, quin tibi non cupiam, quæ velis:
Verum istam amo: aliam tecum esse equidem facile potsim perpeti.
DEM. At ego hanc volo. ARG. Ergo sunt, quæ exoptas: mihi, quæ ego exoptem, volo.
DEM. Unum hunc diem perpetere, quoniam tibi potestatem dedi,
Cum hac annum ut esses, atque amanti argenti feci copiam.
ARG. Hem istoc me facto tibi devinxti. DEM. Quin te ergo hilarum das mihi?

SCENA SECUNDA.

ARTEMONA, PARASITUS, DEMÆNETUS, ARGYRIPPUS, PHILENIUM.

ART. Ain' tu? meum virum heic potare, obsecro, cum filio?
Et ad amicam detulisse argenti viginti minas?
Meoque filio sciente, id facere flagitium patrem?

12. *Dixis.* Dixeris. N.

13. *Hem! adspecta, rideo.* Ridicula vere et lepida res esset, nisi tanta obscœnitate et deformitate morum conspurcaretur. Poeta quidem nostras longe Plauto inferior quoad vim comicam, in fabula *le Philosophe marié* ridicule quoque, sed verecundius induxit virum, dum se dissimulat matrimonio indulsisse, coactum videre uxorem suam, tanquam alienam mulierem, amatoriis blanditiis appetitam a juvene amico, neque palam irasci. N.

16. *Male habet.* Dolet mihi. *Ac non eo, quin,* etc. non adeo, ut non, etc. *Quin non,* duplex negativa abundat, non deficit. N.

PAR. Neque divini, neque mi humani posthac quicquam adcreduas,
Artemona, si hujus rei me esse mendacem inveneris.
ART. At scelesta ego, præter alios meum virum fui rata
Siccum, frugi, continentem, amantem uxoris maxume.
PAR. At nunc dehinc scito, illum ante omneis minimi mortalem preti:
Madidum, nihili, incontinentem, atque osorem uxoris suæ.
ART. Pol, ni vera ista essent, nunquam faceret ea, quæ nunc facit.
PAR. Ego quoque, hercle, illum antehac hominem semper sum frugi ratus.
Verum hoc facto sese ostendit, qui quidem cum filio
Potet una, atque una amicam ductet decrepitus senex.
ART. Hoc, ecastor, est, quod ille it ad cœnam cotidie.
Ait sese ire ad Archidemum, Chæream, Chærestratum,
Cliniam, Chremem, Cratinum, Diniam, Demosthenem.
Is apud scortum conruptelæ et liberis lustris studet.
PAR. Quin tu illum jubes ancillas rapere sublimem domum?
ART. Tace modo: næ illum, ecastor, miserum habebo. PAR. Ego istuc scio
Ita fore illi, dum quidem cum illo nupta eris. ART. Ego censeo

4. *Neque divini.* Vid. Amph. act. II, 2, 40.

6. *Scelesta.* Infelix. N. — *Præter alios.* Ita J. Guli. e Lang. et Douza, *supra alios*, μάλιστα τῶν ἄλλων. T.

7. *Siccum.* Sobrium; siccus opponitur madido. LAMB. — *Continentem.* Libidini temperantem. N.

17. *Liberis lustris.* Hunc locum perperam sollicitant viri docti: nam hic accipienda *libera lustra* sunt, ubi omni libidinandi licentia genio suo libere indulgent. SALM.

18. *Rapere sublimem.* Ita sublatum rapere, ut pedibus terram non tangat. Terent. Andr. V, 2, 20: « Sublimem hunc intro rape, quantum potes ». LAMB.

20. *Ita fore illi*, etc. Hæc parasitus seorsum. Non rara apud Plautum contra molestias uxorias hujusmodi scommata. Cf. Menech. IV, 1, 10: « Quid ego nunc cum illoc agam? — Idem quod semper; male habeas. — Sic censeo ». *Ego censeo.* Profecto cachinni erumpebant,

Eum etiam hominem aut in senatu dare operam, aut clientibus :
Ibi labore delassatum noctem totam stertere.
Ille opere foris faciundo lassus noctu advenit :
Fundum alienum arat, incultum familiarem deserit.
Is etiam conruptus, porro suum conrumpit filium.
PAR. Sequere hac me modo, jam faxo ipsum hominem manifesto obprimas.
ART. Nihil, ecastor, est, quod facere mavelim. PAR. Mane dum. ART. Quid est?
PAR. Potsis, si forte adcubantem tuum virum conspexeris,
Cum corona amplexum amicam, si videas, cognoscere?

quum his verbis, quæ alio pertinent, Artemona videbatur parasiti jocum comprobare. Namque *censeo* absolute positum annuentis est, vel aientis. Gallice *oui-dà, c'est mon avis.* Cf. Casin. IV, 3, 9; Menech. l. c. Terent. Eunuch. II, 1, 21. Sed hoc loco Artemona vult aliud, et verbo orationem adjicit; scilicet : ego censeo (credo) eum ire, etc. At non ita continuo subjunctiva oratio accedit, quin fiat ridicula ambiguitas. Notandum quoque præseus *censeo* pro præterito *censebam*, quæ sermoni comico sæpissime permutatio usurpatur. N.

22. *Noctem totam stertere.* Ego credebam, quum noctem totam sterteret, sic eum facere, quia delassatus esset ibi (clientium negotiis). N.

23. *Opere foris faciundo.* Nihil frequentius Latinis, quam agriculturæ vocabula transferre ad rem voluptatum. Eamdem et *Horto* et *Agello* designari, notatum est multis. In carm. libero : « Quod meus hortus habet, sumas impune licebit, Si dederis nobis, quod tuus hortus habet ». Et Martial. lib. VII, ep. 101. LIPS.

24. *Fundum... familiarem.* Quem domi habet. Huc facit Theognidis distichium, quod sic vertimus : « Femina mi est odio circum vaga, virque protervus, Cui dulce est alienum excoluisse solum, ὃς τὴν ἀλλοτρίην βούλετ' ἄρουραν ἀροῦν. LAMB.— Cf. Molier. *Sganarell.* act. I, sc. 5.

25. *Filium.* Post hunc versum existimat J. Guliem. istum e Nonio locum habere : « Quin etiam me miseram famosam facit flagitiis suis ». N.

28, 29. *Potsis, si forte,* etc. Videlicet sic fuisse instructum scenæ ornatum, ut lenæ domus interior pateret spectantibus, et Artemona e via per fenestram solo proximam convivantes introspiceret, atque posset auscultare. Parasitus antequam Demænetum monstrat uxori, quo magis iram accendat, percunctatur irrisive, num conjugem, quem siccum adeo et continentem existimabat, possit agnoscere nunc habitu deliciosi hominis potantem. N.

ART. Potsum, ecastor. PAR. Hem, tibi hominem. ART. Perii! PAR. Paulisper mane.
Aucupemus ex insidiis clanculum, quam rem gerant.
ART. Quid modi, pater, amplexandi facies? DEM. Fateor, gnate mi.
ARG. Quid fatere? DEM. Me ex amore hujus conruptum oppido.
PAR. Audin' quid ait? ART. Audio. DEM. Egon' ut non domo uxori meæ
Subripiam in deliciis pallam quam habet, atque ad te deferam?
Non, edepol, conduci potsum vita uxoris annua.
PAR. Censen' tu illum hodie primum ire adsuetum esse in ganeum?
ART. Ille, ecastor, subpilabat me, quod ancillas meas
Suspicabar, atque insonteis miseras cruciabam. ARG. Pater,
Jube dari vinum; jamdudum factum'st, quom primum bibi.
DEM. Da, puere, ab summo; age, tu interibi ab infimo da suavium.

32. *Quid modi, pater, amplexandi,* etc. Quem modum amplexandi facies. Opportune quidem Artemona incipit sermonem exaudire. N.

34. *Egon' ut;* etc. Vehementer aut irascentis aut cupientis hæc solennis locutio est; quam sic explico: « fierine potest ut ego, etc. » vel *egone sinam ut*, etc. Senec. Med. 398: « regias egon' ut faces Inulta patiar? » N.

36. *Vita uxoris annua.* Sensus est: Si quis mihi ita dicat: « Demænete, si pallam uxori tuæ, quam in deliciis illa habet, non surripies, neque ad Philenium deferes; hanc tibi ejus rei mercedem promitto, quod tua uxor non plus anno victura est; » conditionem non accipiam: etsi morte ipsius nihil mihi carius. Pomponius in *Arista*: « more fit, moriri suam quisque uxorem ut velit ». N.

39. *Quod ancillas meas suspicabar.* Facere. LAMB. — *Cruciabam.* Tormentis ab iis quærebam, an ipsæ furatæ essent. N.

41. *Da, puere, ab summo.* Funde vinum poculi, incipiendo ab summa lecti convivalis parte, nempe ubi Argyrippus accumbit. Cf. Pers. V, 1, 18. N. — Singularis lectisternii mentionem hic fieri videmus, in quo senex ipse *medius* (ut æquum erat patrem) loco puta honoratiore, Philenium *interior* porro, hoc est, in gremio capularis amasii

ART. Perii misera! ut osculatur carnufex, capuli decus.

DEM. Edepol, animam suaviorem aliquanto, quam uxoris meæ.

PHIL. Dic amabo, an fœtet anima uxoris tuæ? DEM. Nauteam Bibere malim, si necessum'st, quam illam oscularier.

ART. Ain' tandem? edepol næ tu istuc cum malo magno tuo Dixisti in me: sine! venias modo domum, faxo ut scias Quid pericli sit dotatæ uxori vitium dicere.

PAR. Miser, ecastor, es. ART. Mecastor, dignus est. ARG. Quid ais, pater?

Ecquid matrem amas? DEM. Egone? illam nunc amo, quia non adest.

ARG. Quid, quom adest? DEM. Periisse cupio. PAR. Amat homo hic te, ut prædicat.

ART. Næ ille, ecastor, fœnerato funditat: nam si domum

sui ima accubat, more amantibus solemni. Unde, « suavium ab infimo dari sibi », postulat Demænetus, ab ea scilicet parte, atque ex eo loco, ubi basiatura decumbebat. Douz.

42. *Capuli.* « Capulus a capiendo: nam sepulchrum veteres capulum dici voluerunt, quod corpora capiat ». Nonius. Vult igitur huic seni convenire magis capulum, id est, sepulchrum, aut pheretrum, quam lustra seu ganeum. Lamb.

43. *Animam.* Halitum oris. Væ tibi, Demænete, quem audit uxor. N.

46-49. Ordinem versuum, qualem vulgatæ proferunt, et distinctionem personarum paululum immutavimus, suadente Bothio et ratione. Namque sic diverbium melius procedit cohæretque. Vs. 49 in vulgatis ante 46 inserunt, qui hoc loco impedimento est, et *Mecastor, dignus est* dant parasito, voce *mecastor* non patiente, utpote quæ muliebris sit obtestatio. N.

46. *Ain' tandem?* Non est formula increpantis aliquem, ut respondeat, sed exclamatio admirantis, vel indignantis. Ut fere gall. *quoi! vraiment!* Cf. Aul. II, 4, 19; Trin. IV, 2, 145. Cic. ad Att. VI, 2: « ain' tandem, Attice, etc. » N.

47. *Sine* minantis est. Sic gall. *laisse faire.* Taubm.

48. *Vitium.* Douza *convicium.* Gruterus *vitium* e Langiano legit proprie admodum et ad versus mensuram accommodate. Ter. Hec. I, 2, « reddi patri autem (mulierem), cui tu nihil dicas vitii, superbum est ». Taubm.

49. *Quid ais, pater?* Non ægre ferentis est quod mater derideatur, sed præparantis interrogationem quam faciet vs. 50. Gall. *qu'en dites-vous? dites-moi?* N.

52. *Næ ille, ecastor, fœnerato funditat.* Verba hæc, quæ in me fundit, magno cum fœnore mali illi redibunt. Lamb.

Redierit hodie, osculando ego ulciscar potissumum.
ARG. Jace, pater, talos, ut porro nos jaciamus. DEM. Maxume.
Te, Philenium, mihi, atque uxori mortem. Hoc Venerium'st.
Pueri, plaudite, et mihi ob jactum cantharo mulsum date.
ART. Non nequeo durare. PAR. Si non didicisti fullonicam,
Non mirandum'st: in oculos invadi nunc est optumum.
ART. Ego, pol, vivam, et tu isthæc hodie cum tuo magno malo
Invocavisti. PAR. Ecquis currit pollinctorem arcessere?
ARG. Mater, salve. ART. Sat saluti'st. PAR. Mortuu'st Demænetus.
Tempus est subducere hinc me; pulchre hoc gliscit prælium.
Ibo ad Diabolum, mandata dicam facta, ut voluerit.
Atque interea ut decumbamus suadebo, hi dum litigant.
Post eum demum huc cras adducam ad lenam, ut viginti minas
Ei det, in parte hac amanti ut liceat ei potirier.

55. *Te, Philenium, mihi.* Scilicet, *opto, voco.* Solebant amatores puellas, quas amabant, inter talorum jactus, invocare. LAMB. — *Hoc Venerium 'st.* Tali jaciebantur, quis futurus esset rex convivii, Horat. Od. II, 7: «Quem Venus arbitrum Dicet bibendi». Felicissimus autem jactus dicebatur Venerius, quatuor talis præferentibus senionem, pessimus vero, canis, quum cuncti latus uno puncto signatum præberent. N.

57. *Non nequeo.* Duplex negativa hoc loco non ad vim affirmandi convertitur, sed abundat. Cf. Mil. gl. V, 18: «... non... nociturum nemini». Gell. Noct. Att. IV, 1: «si nemo id non nimis barbare fecit». *Durare.* Hoc verbum, agendi significatione, idem est quod «premere et densare», quomodo fullones pedibus vestes poliendas conciliabant; sed neutraliter est «ferre patienter». Parasitus igitur lascivit in amphibolia, quum verbum sibi intelligi priore sensu fingit, quod altero Artemona eloquuta est. N.

58. *Ego, pol,* etc. Tum coram sese ostendit insperata quidem Artemona. N.

60. *Invocasti istæc*, scil. Philenium tibi et mortem mihi, jactu talorum. *Pollinctorem.* Vid. vers. seq. quid velit Parasitus. N.

64. *Decumbamus.* Lambinus *discumbamus.* Id est, ineamus convivium. N.

66. *Ei det.* Lenæ. *Hac amanti*,

Argyrippus exorari, spero, poterit, ut sinat
Sese alternas cum illo nocteis hac frui: nam ni inpetro,
Regem perdidi: ex amore tantum est homini incendium.
ART. Quid tibi huc receptio ad te est meum virum? PHIL. Pol, me quidem
Miseram odio enicavit. ART. Surge, amator; i domum.
DEM. Nullus sum. ART. Imo es, ne nega, omnium, pol, nequissumus.
At etiam cubat cuculus: surge, amator; i domum.
DEM. Væ mihi! ART. Vera hariolare: surge, amator; i domum.
DEM. Abscede ergo paululum istuc. ART. Surge, amator; i domum.

Philenio; *liceat ei*, Diabolo. LAMB. — *Ei* pro *sibi*, namque ille det ut sibi liceat, etc. Apud Senec. Hercul. OEt. v. 1694, Hercules moriens: « Quæsivit oculis, arce an ex aliqua pater Despiceret *illum* ». — *Potirier in parte*, græce ἐν μέρει. N.

69. *Regem.* Eo nomine parasiti patronum suum appellabant. Vide Captiv. I, 1, 24; Menechm. V, 5, 4; Stich. III, 2, 2; Trin. III, 2, 96. Ter. Phorm. II, 2, 25. Neque comicis tantum Parasitis hic mos fuit. Dives quisque vulgo Romæ in convictu audiebat rex. Cf. Columell. R. R. lib. I, præf. « An honestius duxerim mercenarii salutatoris mendacissimum aucupium.... somniumque regis sui rumoribus inaugurantis ». Juven. V, 14: « Fructus amicitiæ magnæ cibus; imputat hunc rex ». *Perdidi.* Supra, III, 3, 31. N.

70. *Quid tibi huc receptio ad te est meum virum?* Quid recipis ad te meum virum. Vide Amp. I, 3, 21, et hoc adde exemplum Cæcilii, laudante Donato: « quid tibi aucupatio est argumentum? » — *Odio*, tædio, vid. sup. II, 4, 39. N. — *Enicavit.* Sensus quidem anceps, utrum ad Demænetum an Artemonam hoc verbum referas. Si ad illum, tenorem diverbii videris sequi, nempe « enicavit (vir tuus) ». Sed hic jocus parum conveniens aliis postea vv. 89-91. Erit ergo: « enicavit (illa odiose compellando) ». Bothius vult *enicabit*, quod MS quoque noster præbet, sed ita ut litera *b* alterius sit manus, erasa *v* quæ ante fuit. N.

72. *Nullus sum.* Locutio usitatissima pro « perii omnino. » LAMB. — *Imo es*, etc. At contra, es aliquis, ne nega, noli dicere te nullum, sed es nequissimus. N.

73. *At etiam cubat cuculus.* Etiamne adhuc, quamvis hunc jubeam surgere, cubat cuculus. Hæc avis in nido alieno sedere amat. Vides, Artemona ut proprie loquatur. LAMB. — Cuculi etiam dicebantur, inquit Erasmus, in re parum honesta deprehensi. TAUBM.

74. *Væ mihi!... Vera har.* Quum

DEM. Jam, obsecro, uxor. ART. Nunc uxorem me esse meministi tuam?
Modo, quom dicta in me ingerebas, odium, non uxor eram.
DEM. Totus perii! ART. Quid tandem? anima fœtetne uxoris tuæ?
DEM. Murrham olet. ART. Jam subripuisti pallam, quam scorto dares?
Ecastor... ARG. Quin subrepturum pallam promisit tibi.
DEM. Non taces? ARG. Ego dissuadebam, mater. ART. Bellum filium.
Istoscine patrem æquom'st mores liberis largirier?
Nihilne te pudet? DEM. Pol, si aliud nihil sit, tui me, uxor, pudet.
ART. Cano capite te cuculum uxor ex lustris rapit.
DEM. Non licet manere (cœna coquitur), dum cœnem modo?
ART. Ecastor, cœnabis hodie, ut te dignum'st, magnum malum.
DEM. Male cubandum 'st : judicatum me uxor abducit domum.
ARG. Dicebam, pater, tibi, ne matri consuleres male.
PHIL. De palla memento, amabo. DEM. Juben' hanc hinc abscedere?
PHIL. Imo intus potius sequere hac me, mi anime. DEM. Ego vero sequor.

infortunium ille sibi prædixerit, uxor respondet vera hunc ominari, quæ ipsum exspectent. N.

76. *Jam obsecro*, etc. ibo. Gall. *tout-à-l'heure*. N.

80. *Ecastor*. Vulgatæ hoc Argyrippo adjudicant, credo, injuria. Vide ad vs. 49. *Quin* vox est rem affirmantis. N.

81. *Ego dissuadebam*. Haud pulchra quidem defensio istius, qui se excusat patrem premendo. Cf. inf. vs. 88. Haud talem nos velimus se gerere Argyrippum. At vide quæ ad vs. 91 adnotamus. N.

87. *Male cubandum 'st*, malum convivium futurum est. — *Judicatum me uxor*. *Judicati* sunt addicti creditoribus, et creditor adjudicatum debitorem abducebat domum, servitutis causa. Vide lib. II Observ. cap. 11. GRONOV.

89. *Juben'*, etc. Hæc ad Philenium. Jube ergo uxorem meam hinc abscedere. N.

90. *Immo intus potius*, etc. Imo

ART. I domum. PHIL. Da savium etiam prius, quam abis.
DEM. I in crucem.

GREX.

Hic senex, si quid, clam uxorem, suo animo fecit volup,
Neque novom, neque mirum fecit, nec secus, quam alii solent.
Nec quisquam'st tam ingenio duro, nec tam firmo pectore,
Quin, ubi quicquam occasionis sit, sibi faciat bene.

tu sequere me intus. Tollo distinctionem, quæ in vulgatis edd. ita est: « Imo intus potius: sequere, etc. » — *Ego vero sequor.* Conversum ad Philenium retrahit uxor: « i domum ». Sic victoriam reportat et captum ducit. Quis hæc legat, quin meminerit simillimæ effictionis apud Molierum in fab. *le Bourgeois gentilhomme?* Videre est comparem Artemonæ matremfamilias *Jourdain*, Demæneto dominum *Jourdain*, Marchionissæ *Dorimène* Philenium, atque inde quantum mores scenici Romanorum a nostris differant. N.

91. *Da savium*, etc. Aperte meretriciam procacitatem et nequitiam Philenium fatetur. Sed aliter se animatam ostenderat (act. III, sc. 1, sc. 3), quæ non sibi constat. Ridiculo magis quam decoro Plautus ibi, ut sæpe alias consuluit; parum illius refert an amantes spectantium animos liberali ingenio sibi concilient, dum hilaritas gliscat per cuneos. N.

Grex. Quem Græci χορὸν Διονύσου ab initio vocabant, Romani dixere gregem; apud illos honesta, apud hos illiberalis, imo plerumque servilis, artificum scenariorum conditio fuit. Comœdia transacta, qui primas tenuerat, actor, pro grege, alloquebatur spectatores, et ab iis postulabat, ut plauderent, hic omnium fabularum exitus: « Donec cantor; vos, plaudite, dicat ».

1. *Volup.* Nonius sic profert, non, ut vulgo edd. *volup'* pro volupe. Ennius Annal. « Quicum multa volup ac gaudia clamque palamque ». Antique dictum per apocopen, quam in multis vocibus usitatam eruditi narrant; ex. g. *famul, capital, facul*, etc. Ausonius testatur versibus technicis: « Ennius ut memorat, replet te lætificum *Gau* », pro Gaudium « Unde Rudinus (*Ennius*) ait, divum domus altisonum cæl, » pro cælum, etc. N.

2-4. *Neque novom... faciat bene.* Ii cæcutire mihi videntur, neque Plauti mentem perspicere, qui malesuadam orationem hanc judicant. Salsa est ironia, qua mores Romanorum tangit oblique, sed acriter, dum genio eos invitare se simulat. Quis enim sibi facere bene, instar Demæneti, qualem poeta produxit, velit? N.

Nunc si voltis deprecari huic seni, ne vapulet,
Remur inpetrari posse, si plausum sic clarum datis.

5. *Nunc si voltis deprecari huic seni ne vapulet.* Auctor ludit in ancipiti. Namque senex Demænetus merito timet, ne det pœnas uxori; et histrio, qui personam Demæneti gessit, nisi satisfecerit spectantibus, utpote servilis homo, vapulabit. Ita in fine Cistellariæ : « Ornamenta ponent; postidea loci, Qui deliquit, vapulabit; qui non deliquit, bibet ». *Sic.* Ipse orator præbet exemplum, gestu ἐνδεικτικῷ. N.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

AULULARIA.

16.

DRAMATIS PERSONAE.

LAR, prologus [1].
EUCLIO, senex [2].
STAPHYLA, anus, ancilla Euclionis [3].
EUNOMIA, mulier, mater Lyconidis, soror Megadori [4].
MEGADORUS, senex dives [5].
STROBILUS. Duo sunt uno nomine, alter Lyconidis, alter Megadori servus. Vid. infra IV, 1.
ANTHRAX, } coqui [6].
CONGRIO, }
PYTHODICUS, servus [7].
LYCONIDES, adolescens, filius Eunomiæ, Phædræ procus [8].
PHÆDRA, puella, Euclionis filia.

1. *Prologus*. Vide notam ad Prologum Asinar. N.

2. *Euclio*, sordidi senis nomen derivatum per antiphrasin ab εὐκλεής, gloriosus, correpta secunda. N.

3. *Staphyla*. Σταφυλὴ est uva, quod nomen bibaci convenit. Sic Catull. laudat muliercŭlam, « acina ebria ebriosiorem ». Vetulæ autem mulieres scenicæ vinositatis vitio non carent, ut videre est in Curculione et Cistellaria. Etiam apud Phædrum inducitur anus amphoram haud aspernata, lib. III, fab. 1. N.

4. *Eunomia*. Apte nominata mulier, utpote bene morata et sapiens. N.

5. *Megadorus*. Nomen ab ingenio hominis non abhorret, qui avaro opponitur in fabula. N.

6. Duo coqui, alter ab ἄνθραξ, carbo ardens, alter ab aliquo piscis genere nomen commode acceperunt. Haud absimiliter scriptor gestorum Gargantuæ, ipse quidem comicis annumerandus, coquos regis nominat, *Frippesaulce*, *Hoschepot*, *Pilleverius*. Lib. I, c. 37. N.

7. *Pythodicus*, est quasi de jure percunctans, πυνθάνομαι, δίκη. Cam. —Exagitat enim vitia coquorum. N.

8. *Lyconides*, forma patronymica, a nomine λύκων, cujus fons est λύκος. Hic autem adolescens virgini vim intulit. N.

ARGUMENTUM.

Senex avarus vix sibi credens Euclio,
Domi suæ defossam multis cum opibus
Aulam invenit, rursumque penitus conditam
Exsanguis, amens, servat: ejus filiam
Lyconides vitiarat: interea senex
Megadorus, a sorore suasus ducere
Uxorem, avari gnatam deposcit sibi.
Durus senex vix promittit: atque aulæ timens,
Domo sublatam variis abstrudit locis.
Insidias servos facit hujus Lyconidis,
Qui virginem vitiarat; atque ipse obsecrat
Avonculum Megadorum sibimet cedere
Uxorem amanti: per dolum mox Euclio
Quom perdidisset, aulam insperato invenit;
Lætusque natam conlocat Lyconidi.

2. Ut constet versus iambici ratio, in quinto pede necesse est syllaba *cum* per elisionem, more græco, dimidiata contrahatur, unde fiat dactylus ante ultimum iambum. Cf. Horat. Sat. II, 2, « cocto num adest honor idem »; et Lucil. « rogitas quo eam ». Vide alterum Argumentum v. 1. N.

3. *Aulam*. Docet Festus *aulas* ab antiquis dictas, quæ postea *ollæ* dictæ sunt, quia nullam literam illi geminarent. Cf. Non. h. v. N.

8. *Senex*. Prior *e* per ecthlipsim pronuntiando elabitur. N.

10. *Insidias... facit*, auro occultato. N.

11. *Ipse*, Lyconides. N.

ARGUMENTUM

(UT QUIBUSDAM VIDETUR)

PRISCIANI.

*A*ULAM repertam auri plenam Euclio
*V*i summa servat, miseris adfectus modis.
*L*yconides istius vitiat filiam.
*V*olt hanc Megadorus indotatam ducere:
*L*ubensque ut faciat, dat cocos cum opsonio.
*A*uro formidat Euclio; abstrudit foris.
*R*eque omni inspecta, conpressoris servolus
*I*d surpit: illic Euclioni rem refert,
*A*b eo donatur auro, uxore, et filio.

1. Ultimæ syllabæ vocum *repertam*, *plenam* aut nullam, aut non totam patiuntur elisionem. Conf. prioris Argum. vs. 2. N.

5. *Lub. ut fac.* Euclio. N.

6. *Abstrudit*, occultat aurum. Cf. priore Argum. vs. 9. N.

8. *Surpit*, pro *subripit*. Cf. Horat. Od. IV, 13, 20; Sat. II, 3, 283. — *Illic*, Lyconides. N.

9. *Filio*, infante, quem Phædra peperit. Namque, donec puella est in manu Euclionis, ille jus habet in id, quod ex illa est natum. N.

ALIUD ARGUMENTUM CAMERARII.

NOMEN Fabulæ (1) inditum a re, quæ negotium et variat, et reddit copiosiorem expositionem. Ea est olla plena auri, reperta ab Euclione in domo paterna. Hujus senis avarissimi et parcissimi filiam vi noctu adolescens Lyconides compresserat. Itaque instante partu, quum puellam amaret, et avunculo desponsam esse cognovisset, rem omnem matri indicat, et per hanc impetrat, illa sibi ut nubat. Interea senex de auri custodia delitias facere, et illud tamen amittere : hinc illæ turbæ querelarum, et error confessionis factæ injuriæ. Tandem adolescens de servo suo cognoscit, quid de olla sit factum. Atque hactenus Plautina ad nos pervenerunt. Ex proposito autem argumento intelligi potest, tum et aurum redditum seni, et illum animo mutatum fuisse, et dotatam filiam tradidisse Lyconidi. Hæc Codrum persecutum esse accepimus expositione sua, et illius versus esse, qui vulgo feruntur (2). Noster quidem Fabricius indicavit quædam

(1) Aulularia, ab aulula, diminutivo aulæ, ut Mostellaria a mostello. Hujusmodi titulos (cf. Asin. Prol. 12) latinis poetis veteribus placuisse testantur multæ ipsius Plauti fabulæ, et Nævii aliorumque fragmenta. N.

(2) Errore lapsus Cl. *Laharpe* in judicio quod de supplementis Urcei Codri pronuntiavit. Nam si legisset superiora duo Argumenta, quæ scripta fuisse a grammaticis videntur eo tempore, quo Plautina exemplaria circumferebantur adhuc integra, vidisset non Urceo, sed antiquis imputandum, quidquid mutata repente in melius indole Euclionis, peccatum fuerit. N.

Romæ reperta, quibus supplerentur hæc deficientia: sed ne illa quidem satis Plautina, neque causa, cur adjici vellemus, visa fuit. Proponitur imago sordidæ parsimoniæ et morositatis in Euclione. Nam et hoc vitium senile est. Quo ipso quoque indicatur, una cum ætate intelligentiam animi minui. Perverse enim certe fit, ut tum maxime studeatur rei, quum minime ad usum longi temporis spes relinquitur (1).

(1) Quum Plautus haud raro vitia romana in palliatis perstringat, nusquam tamen alias, quam in hac, taxare muliebres sumptus vehementius, instituit. Cf. II, 1, 45 seqq. III, 5, 9 seqq. Et notandum est ibi nominatim de vehiculis eboratis et purpura queri virum sapientem. Vid. II, 1, 45 seqq. Inde conjicere licet hanc Aulularium non longe post annum U. C. 558 editam fuisse, quo lex Oppia, licet Cato truci actione repugnaret, abrogata fuerat. Conf. Tit. Liv. XXXIV, 2-4. Valde dolemus, quod, injuria temporum, multæ, quas Plautus imitari potuit, aut æmulari, perierint. Nævius Aulularium docuerat, quam Nonius laudat II, 633, et apud Græcos Dioxippus, Alexis, Theognetus, Philippides, fabulas eodem argumento scripsisse videntur.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

AULULARIA.

PROLOGUS.

LAR FAMILIARIS.

Ne quis miretur, qui sim, paucis eloquar.
Ego Lar sum Familiaris, ex hac familia,
Unde exeuntem me adspexistis: hanc domum
Jam multos annos est, quom possideo, et colo
Patrique, avoque jam hujus, qui nunc heic habet:

1. *Ne quis miretur*, etc. Etenim consessus theatri debuit exspectare oratorem ornatu prologi, non Deum. Conf. nost. adnot. ad Asin. Prolog. N.

2. *Ego lar sum*, etc. Donat. ad Hecyr. I, 1, 1, Terentium laudat, quod προτατικὰ πρόσωπα maluerit adhibere, quam aut per prologum narraret argumentum, aut θεὸν ἀπὸ μηχανῆς induceret loqui. Sed hoc Plautus non fastidiebat, dum enarrationem argumenti promptiorem intellectu et varietate gratiorem et personarum dignitate commendabilem magis faceret spectantibus. Cf. Prol. Cistell. Rudent. Trinumm. N.

4. *Multos annos est.* Fatetur Lambinus abruptam videri elocutionem, et nonnulli asseverant, licet metri ratio illis repugnet, finitionem *os* in his *multos annos* esse nominativi, antiquo more scribendi. Sed hæc figura neque Plauto inusitata (conf. Pers. I, 3, 57), neque difficillimam habet explicationem; atque ita oratio componitur: «(per) multos annos est (durat tempus), quum (ex quo) possideo, etc.» N. — *Colo*, habito. Cf. Pseud. I, 2, 68, «heic colere». N.

5. *Patrique, avoque*, est patris avique gratia. Sic Comicus apud Ciceronem de Orat. II, 59: «tibi (tui gratia) has sero (arbores)». — *Hujus*, Euclionis. — *Habet*, habitat. Cf. Bacchid. I, 2, 6; Menech. Prol. 69. N.

Sed mihi avos hujus obsecrans concredidit
Thesaurum auri clam omneis : in medio foco
Defodit, venerans me, ut id servarem sibi.
Is quoniam moritur, ita avido ingenio fuit,
Nunquam indicare id filio voluit suo :
Inopemque optavit potius eum relinquere,
Quam eum Thesaurum conmonstraret filio.
Agri reliquit eii non magnum modum,
Quo cum labore magno et misere viveret.
Ubi is obiit mortem, qui mihi id aurum credidit,
Cœpi observare, ecquî majorem filius
Mihi honorem haberet, quam ejus habuisset pater.
Atque ille vero minus minusque inpendio
Curare, minusque me inpartire honoribus.
Item a me contra factum 'st : nam item obiit diem.
Is ex se hunc reliquit, qui heic nunc habitat, filium
Pariter moratum, ut pater avosque hujus fuit.
Huic filia una est : ea mihi cotidie

8. *Venerans*, orans. Plaut. Trin. I, 2, 1 : « larem corona nostrum decorari volo. Uxor venerare, ut nobis, etc. » N.

9. *Quoniam*. Donat. ad Terent. Adelph. Prol. 1, narrat *postquam* pro *quoniam*, et reciprocum, *quoniam* pro *postquam* adhiberi, atque laudat hunc versum Plauti. Lamb. — Quidam putant *quoniam* ex abbreviato aut male lecto *quom iam* esse ortum. Schmied.

13. *Eii* pro *ei*. Conf. Curcul. IV, 3, 12, et Lucret. II, 1134 : « cibus omnis diditur eii ». Priscianus, I, 4, 18, docet antiquos geminare literam i solitos, quando in medio dictionis post vocalem posita inciperet syllabam, subsequente vocali, sicut in *eiius*, *peiius*, etc. N.

16. *Ecquî* pro *ecqua re*, i. q. num, utrum. Cic. Tuscul. I, 8 : « ecqui ergo intelligis, etc. » N.

17. *Honorem*. *Honos* hic sacrificium et litatio est. Non. — Et pro castitate et observantia sumitur.

18. *Minusque inpendio*, multo minus. *Inpendio* idem est quod *multo*. Cf. Nonius. Lamb.

20. *Contra*, reciproca vice. Ut is me negligenter habuit, item ego invicem eum neglexi adjuvare. — *Item obiit mortem*, mortuus est item, ut vixerat, pauper, nescius thesauri. N.

21. *Is*, hanc vocem delet Both. metro incommodam. — *Hunc*, Euclionem. N.

Aut ture, aut vino, aut aliquî semper subplicat;
Dat mihi coronas : ejus honoris gratia
Feci, thesaurum ut hic reperiret Euclio,
Quo eam facilius nubtum, si vellet, daret.
Nam conpressit eam de summo adulescens loco.
Is scit adulescens quæ sit, quam conpresserit :
Illa illum nescit, neque conpressam autem pater.
Eam ego hodie faciam, ut hic senex de proxumo
Sibi uxorem poscat : id ea faciam gratia,
Quo ille eam facilius ducat, qui conpresserat.
Et hic qui poscet eam sibi uxorem senex,
Is adulescentis illius est avonculus,
Qui illam stupravit noctu, Cereris vigiliis.

24. *Aliquí*, aliqua re ; ut sæpissime *quí* p. *qua re*. Conf. Trucul. V, 1, 30. N.

25. *Coronas*. Vel meo capiti imponit; vel, ut Cato autumat, in focum indit. Coronas autem, quæ Laribus suspensæ, inusitata magnitudine fuisse docet. Meurs. — *Ejus honoris gratia*, i. e. illius gratia. Vid. Amph. III, 1, 7. N.

27. *Nubtum... daret*. Similis locutio illis : « pessumdare, venumdare ». Cf. Terent. Andr. II, 1, 1. N.

30. *Neque conpressam autem pater*. Complendæ hujus orationis, repete *scit* ex priore verbo *nescit*. Neque opus est *autumat* pro *autem* reponi, ut suadet Langius. Siquidem *autumare* apud Plautum valet *dicere*, non *opinari*. N.

31. *De proxumo*, qui proxime habitat, Megadorus.

35. *Et hic*, i. e. qui heic habitat. Demonstrat ædes Megadori. Conf. Trin. I, 2, 69. N.

36. *Cer. vigiliis*. Τοῖς θεσμοφορίοις. Sacra enim hæc a mulieribus jejunantibus nocturna celebrabantur, quod Ceres filiam suam nocte quæsierit, in Ætna oberrans. Et deæ appellabantur θεσμοφόρω, Ceres et Proserpina. Cam. — Sacra nocturna sæpissime, apud antiquos, juvenibus protervis occasionem dedere pessima audendi. Cic. de Legg. II : « quid autem mihi displiceat in sacris nocturnis poetæ indicant comici ». Etiam in Ione Euripidæo, Xuthus fatetur se vim ignotæ mulieri per Dionysia noctu intulisse. Sed vel profesto tempore, neque bacchanalium lascivia animos excitante, multa per libidinem flagitiose admissa. Inde raptus virginum, vel compressus, quorum mentio passim occurrit in antiquis fabularum scenicarum argumentis. Vid. Epid. IV, 1, et Ter. Hecyr. Arg. et Phorm. V, 8. Prisci mores non plane aurei. N.

Sed hic senex jam clamat intus, ut solet.
Anum foras extrudit, ne sit conscia.
Credo, aurum inspicere volt, ne subreptum siet.

37. *Hic senex*, Euclio. N.
38. *Sit consc.* noscat arcanum. N.
39. *Ne surreptum.* Gr. pro, *anne.* Scal. — Vel est anastrophe, pro, *surreptumne siet;* vel potius subintellige *verens.* Ern.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

AULULARIA.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

EUCLIO, STAPHYLA.

EUCL. Exi, inquam, age, exi : exeundum hercle tibi hinc est foras,
Circumspectatrix cum oculis emissitiis.
STAPH. Nam cur me miseram verberas? EUCL. ut misera sis,
Atque ut te dignam mala malam ætatem exigas.
STAPH. Nam qua me nunc causa extrusisti ex ædibus?
EUCL. Tibi ego rationem reddam, stimulorum seges?

1. *Exi, inquam*, etc. Bene, jam a principio, noscitatur loquendo senex durus, morosus, importunus. N.

2. *Oculis emissitiis.* Oculi emissitii sunt, qui huc atque illuc excurrunt, omnia curiose observitantes. LONGOL.—*Emissitius* deductum ab *emissus*, ut *insititius* ab *insitus*, *subdititius* a *subditus*. Conf. præclarissimus imitator, act. I, scen. 3 : « *Je ne veux point voir sans cesse devant moi un espion de mes affaires, un traître dont les yeux maudits assiègent toutes mes actions, dévorent ce que je possède, et furetent de tous côtés pour voir s'il n'y a rien à voler* ». N.

3. *Nam cur*, anastrophe pro *cur nam*, ut inf. vs. 5, *nam qua* pro *quanam*. N.

6. *Stimulorum seges.* Id est, in cujus corpore stimuli perpetuo sati et defixi stant, ut in segete spicæ. M. Tull. Clodium segetem gloriæ Milonis appellat. LAMB.—Cf. Asin.

Illuc regredere ab ostio : illuc, sis : vide, ut
Incedit : at scin', quo modo tibi res se habet?
Si hodie, hercle, fustem cepero, aut stimulum in manum,
Testudineum istum tibi ego grandibo gradum.
STAPH. (seorsum) Utinam me divi adaxint ad suspendium
Potius quidem, quam hoc pacto apud te serviam.
EUCL. At ut scelesta sola secum murmurat!
Oculos, hercle, ego istos, inproba ecfodiam tibi,
Ne me observare possis, quid rerum geram.
Abscede : etiam nunc : etiam nunc : etiam : ohe!
Isteic adstato : si, hercle, tu ex istoc loco
Digitum transvorsum aut unguem latum excesseris,
Aut si respexis, donicum ego te jussero,

II, 2, 10, 31 seq. Hoc fere modo Varro dixit *virgidemiam*, ad exemplar Sarsinatis in Rudent. III, 2, 22, « ulmeam virgidemiam ». N.

7. *Illuc regredere ab ostio*. Postquam foras anum extrusit, illa litigando vult redire intro; sed jubet senex iracunda voce regredi eam a foribus. — *Sis*, si vis, subintell. *ire*. Et pronuntiando *illuc*, gestu demonstrat locum remotiorem. Est hæc, ut sæpe, locutio increpatoria; gallice, *veux-tu marcher?* N.

8. *At scin', quomodo*, etc. Locutio familiarissima. Gall. *sais-tu ce qui t'attend?* N.

9. *Testudineum gradum*. Senec. Quæst. Nat. VII, 31, citat simile aliquid, et Plautinum quidem, non commemorato comœdiæ nomine, unde sumptum : « eccum incedit, movet formicinum gradum ». N.

10. *Grandibo*. Efficiam ut majora in gradiendo spatia facias. TAUBM.

11. *Adaxint*, pro *adigant*. NON. — Turn. lib. XXIII, 18, pro *adegerint*. « Axit autem antiquos dixisse, pro egerit, manifestum est ». Festus. ERN.

16. *Etiam... etiam... etiam*. Hic versus actu comicus, neque aliter personis distinguendus, quod nonnulli volunt, ut sit : « ST. Etiam nunc? EU. Etiam nunc. ST. Etiam? EU. Ohe! » — *Etiam : ohe!* Deficit versus una syllaba : itaque Douza, *etiam ohe nunc*. Bothius *etiamne?* et hoc Staphylæ adjudicat, Euclione recipiente *ohe*. Sed non necesse est elidatur ultima vocis *etiam*. N.

18. *Digitum transvorsum*. *Digitum* dicebant proverbio de re valde brevi. Si adhuc contrahere et minus facere spatium vellent, dicebant *digitum transversum*. Eadem ratio est de *ungue*. Cic. Famil. lib. VII, ep. 25 : « Urgue igitur, nec transversum unguem, quod aiunt, a stylo. Is enim dicendi opifex ». Cic. lib. XIII ad Attic. epist. 20. GRONOV.*

19. *Donicum*, donec, pro *antequam*. N.

Continuo, hercle, ego te dedam discipulam cruci.
(secum) Scelestiorem me hac anu certo scio
Vidisse nunquam: nimisque ego hanc metuo male,
Ne mihi ex insidiis verba inprudenti duit,
Neu persentiscat, aurum ubi 'st absconditum:
Quæ in obcipitio quoque habet oculos, pessuma.
Nunc ibo uti visam, estne ita aurum, ut condidi,
Quod me sollicitat plurimis miserum modis.
STAPH. Nec nunc, mecastor, quid hero ego dicam meo
Malæ rei evenisse, quamve insaniam,
Queo conminisci: ita miseram me ad hunc modum
Decies die uno sæpe extrudit ædibus.
Nescio, pol, quæ illunc hominem intemperiæ tenent;
Pervigilat nocteis totas: tum autem interdius,
Quasi claudus sutor, domi sedet totos dies.
Neque jam quo pacto celem herilis filiæ
Probrum, propinqua partitudo quoi adpetit,
Queo conminisci: neque quidquam meliu 'st mihi,

20. *Discipulam cruci.* Plautina jocatio. Cruci, quæ te erudiat atque fingat, tradam. N.

21. *Certo scio.* In hac locutione, apud comicos, *scio* pro *existimo* sæpe usurpatum. Cf. Ter. Adelph. II, 3, 4, III, 2, 41; Hecyr. IV, 4, 34. N.

23. *Ex insidiis*, dolose. — *Inprudenti*, inscio.—*Verba duit*, fallat. N.

27. *Miserum modis.* Post hunc versum inserit e Nonio talem J. Gul. « Nec noctu, nec diu quietus unquam eam ». Ebn. — *Unquam eam.* His dictis, Euclio domum ingreditur, et Staphyla proscenium sola obtinet. N.

28. *Nec*, non. Conf. Asin. I, 3, 3. N.

32. *Intemperiæ*, insaniæ. Conf. Amph. IV, 3, 1. N.

33. *Interdius*, adjectiv. pro adverbio temporis *interdiu*, hellenismus; πανημέριος. Cf. Iliad. II, 24: οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν, etc. N.

34. *Quasi claudus sutor.* Sutrina unum est ex opificiis sedentariis, longe aliud a fullonica vel fabrili arte, et aliis hujusmodi, quæ motu plurimo et vehementi exercentur. Credo claudum generatim dici sutorem, veluti tardum, ægre spatiantem, utpote qui pedibus uti non consueverit; neque esse unum e sutoribus singularem, qui claudicatione laboret; quod Lambinus interpretatur male, nisi ipse erraverim. N.

Ut opinor, quam ex me ut unam faciam literam
Longam, meum laqueo collum quando obstrinxero.

SCENA SECUNDA.

EUCLIO, STAPHYLA.

EUCL. Nunc defæcato demum animo egredior domo,
Postquam perspexi salva esse intus omnia.
Redi nunc jam intro, atque intus serva. STAPH. Quippini
Ego intus servem : an, ne quis ædeis auferat?
Nam heic apud nos nihil est aliud quæsti furibus :
Ita inaniis sunt obpletæ atque araneis.

38. *Literam longam*. Litera *I*, non, ut cæteræ, geminatur, sed productior fit, et longitudine velut dupla : ideo κατ' ἐξοχὴν, inter omnes literas hæc proprie dicta *longa*. Et quæ sola inter grandes et romanas illas literas super cæteras eminuit, ea forma ipsa, pensilem prætulit ac porrectam. Hac eadem mente Ausonius, epigr. 120, in liguritorem Eunum scripsit : « Quid imperite P putas ibi scriptum, Ubi locari iota convenit longum? » Nam suspendio censet eum dignum. LIPS.— Schmiederus censet, anum fuisse tam orthographice doctam non vero simile videri. Sæpe quidem fit ut, non persona, sed Plautus ipse loquatur, ex ingenio suo, magis quam pro illius captu. Vide an Sosia Amphitr. I, 1, 115-119, astronomice non nimis doctus cælum contempletur. Doctrina autem non magna vetulæ opus fuit, ut sciret, si quis laqueo pendeat, brachiis juxta corpus utrimque demissis, et cruribus ipso pondere compositis, eum literæ I productæ figuram referre. N.

2. *Nunc*, etc. Euclio, qui ædes introiit thesaurum visurus, ecce rursum egreditur. — *Defæcato*, id est, liquido, minimeque turbido, tranquillo. Pseud. II, 4, 69. N.

3. *Intus serva*, custodiam domi age. Terent. Eunuch. IV, 7, 10 : « solus Sannio servat domi ». — *Quippini*, particula affirmandi. Gall. *oui-da*, hic ironice posita. Nonnulli codd. et vett. edd. dant « quippe nil », haud inepte. N.

5. *Quæsti*. Priscianus, IV, 14, 73, docet magna exemplorum copia, multa nunc quartæ declinationis nomina ab antiquis in genitivo *i* terminata. « Fructi, adventi, senati, etc. » apud Terent. Sallust. Laberium, etc. N.

6. *Inaniis*. Ridiculum est in contrario *obpletæ inaniis*. — *Araneis*. Conf. Catull. XIII, 8 : « plenus est sacculus aranearum ». N.

EUCL. Mirum, quin tua nunc me causa faciat Jupiter
Philippum regem aut Darium, trivenefica.
Araneas mihi ego illas servari volo.
Pauper sum, fateor; patior; quod di dant, fero.
Abi intro : obclude januam : jam ego heic ero.
Cave quemquam alienum in ædeis intromiseris.
Quod quispiam ignem quærat, exstingui volo,
Ne causæ quid sit, quod te quisquam quæritet.
Nam si ignis vivet, tu exstinguere extempulo.
Tum aquam abfugisse dicito, si quis petet.
Cultrum, securim, pistillum, mortarium,
Quæ utenda vasa semper vicini rogant,
Fures venisse, atque abstulisse dicito.
Profecto in ædeis meas, me absente, neminem
Volo intromitti; atque etiam hoc prædico tibi,
Si Bona Fortuna veniat, ne intromiseris.
STAPH. Pol, ea ipsa, credo, ne intromittatur, cavet :
Nam ad ædeis nostras nusquam adiit, quamquam prope 'st.

7. *Mirum, quin.* Mirum est, quod non, etc. Dictio ironica, et comicis Nostroque perquam familiaris. Sic fere gall. *ne faudrait-il pas?* — *Tua causa*, ut tibi gratum faciat. N.

9. *Araneas... servari volo.* Quia de araneis anus queritur, timet ille ne veniat in mentem ei mundare domum, ne omnia excutiendo, aurum indagetur. N.

13. *Quod quispiam*, i. e. si quisquam, etc. Subintellig. « quantum pertinet ad illud », vel quid simile. Vide quæ ad Asinar. IV, 1, 12 annotavimus. N.

14. *Te quisq. q.* Subaudito *ignem* : cum duobus accusativis *quæritare* construitur, ut semper *rogare*, sæpe *poscere*. N.

17. *Si ignis vivet*, id est, si ignis a te non exstinguatur; tu vita exstingueris. BOXHORN.

18. *Vasa*, i. e. utensilia. N.

24. *Quamquam prope 'st.* Unus sic Camerarianus. At Palatinis MSS sex aberat verbum *est* : primus etiam habet *quaquam*. Scribendum censeo : « Nam ad ædis nostras nunquam adiit quaquam prope », hoc est, ulla ex parte. Nec dubito quin illa particula veteribus in usu fuerit. Nam et Sosipater Charisius, lib. II, hoc inter adverbia ponit, addito exemplo Pomponii, « quaquam negas nuptam », et composita ostendunt *haudquaquam* et *nequaquam*. Denique et Langiani codices, *nunquam*. GRONOV. — Forte nihil mutandum, et credere licet in vicinia exstitisse Bonæ Fortunæ

EUCL. Tace, atque abi intro. STAPH. Taceo, atque abeo.
EUCL. Obclude, sis,
Foreis ambobus pessulis: jam ego heic ero. (abit ancilla)
Discrucior animi, quia ab domo abeundum 'st mihi.
Nimis, hercle, invitus abeo: sed quid agam, scio.
Nam noster nostræ qui est magister Curiæ,
Dividere argenti dixit numos in viros:
Id si relinquo, ac non peto, omneis inlico
Me subspicentur, credo, habere aurum domi.
Nam verisimile non est, hominem pauperem
Pauxillum parvi facere, quin numum petat.
Nam nunc, quom celo sedulo omneis, ne sciant,
Omneis videntur scire, et me benignius
Omneis salutant, quam salutabant prius.

templum. T. Liv. XXV, auctor est reficiendæ ædi Fortunæ intra portam Carmentalem triumviros fuisse creatos an. U. C. 541; et XXXIII, ad ann. 557, fornicem in foro Boario, ante Fortunæ ædem factum. Consule Plin. Hist. Nat. XXXVI, 5, qui et Malæ Fortunæ dicatam in Esquiliis aram fuisse testatur. Topographia romana in palliata non abhorret; vid. inf. 28. N.

26. *Ambobus.* Supero et infero: totidem enim pessuli, quot limina. CASAUBON.

28. *Invitus abeo*, etc. Ait invitissimum se domo egredi, ob nimiam curam scilicet pro aulula illa sua: cæterum scire se quid agat, neque temerarium aut de nihilo esse, quod in publicum subinde prodiens, conspiciatur a legitimo tribus suæ divisore, una cum reliquis Curialibus nummulum petiturus: quo ab se omnes videlicet suspiciones de thesauro reperto quam longissime segreget. DOUZA.

29. *Magister curiæ. Magister curiæ*, quum sit comœdia palliata, videtur esse quem Græci τριττυάρχην appellant: ut enim curia pars est tribus romanis; sic et Græcis τριττύς. Græca ad consuetudinem romanam traducta sunt: et ut pagorum erant magistri, sic et curiarum. TURN.— Perdit operam doctissimus tali explicatione: namque palliatis mores romanos ingerere Plautus non timet, cujus rei sexcenta exempla in ejus fabulis occurrunt, et nonnulla etiam in Terentianis, quæ Donatus animadvertit, Eunuch. II, 2, 26. Curiæ triginta in urbe fuerunt, quibus præerant singulis magistri; eorum opera vicatim plebi congiaria erogabantur. N.

30. *Dividere* dixit pro « se divisurum esse ». Vide III, 5, 54; Amphitr. I, 1, 54. — *Numos in viros;* viritim distributa pecunia, videlicet congiarium. N.

34. *Pauxillum*, quantulumcumque munus. *Quin*, adeo ut non. N.

Adeunt, consistunt, copulantur dexteras:
Rogitant me, ut valeam, quid agam, quid rerum geram.
Nunc, quo profectus sum, ibo; postidea domum
Me rursum, quantum potero, tantum recipiam.

38. *Consistunt*, conveniunt me, et stant mecum. Cf. Cist. IV, 2, 31; Curcul. IV, 2, 16. N.

39. *Quid agam*, i. e. quomodo me habeam. Interrogatio non est importune curiosi hominis, sed solennis allocutio comiter ineuntis confabulationem. Cf. Terent. Hec. III, 2, 10; Horat. Sat. I, 9, 4. N.

40. *Quo profectus*, quo ire et proficisci intenderam. N.

41. *Quantum potero*. Hæc locutio per se sola valet « quam citissime potero », sequens *tantum* abundat. Conf. Asin. III, 3, 17; Terent. And. V, 2, 20. N.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

EUNOMIA, MEGADORUS.

EUN. Velim te arbitrari me hæc verba, frater,
Meæ fidei tuæque rei hoc causa
Facere, ut æquom 'st germanam sororem.
Quamquam haud falsa sum, nos odiosas haberi.
Nam multum loquaceis merito omneis habemur,
Nec mutam profecto repertam ullam esse
Hodie dicunt mulierem ullo in seculo.
Verum hoc, frater, unum tamen cogitato,
Tibi proxumam me, mihique item esse te.
Ut æquom 'st, quod in rem esse utrique arbitremur,

2. *Meæ fidei tuæque rei causa*, pro officio meo sororis et tua utilitate. *Hoc*, i. e. nunc, quasi « secundum hoc temporis »; nisi malis scribere *heic*, quod orationi congruit magis, MStis nonnullis faventibus, qui dant *hec*. N.

3. *Germanam*, eodem patre, eadem matre genitam; adjectivum nomini sororis additum, ad vim augendam. N.

4. *Haud falsa sum*, non me fallit opinio. Conf. Menech. V, 2, 3; Terent. And. IV, 1, 23. N. — *Odiosas*, molestas. Sæpe *odium* pro *tædium* ponitur. Cæcilius Hephæstione ap. Nonium v. *senium*: « hoc deputo miserrumum Sentire ea ætate eum ipsum esse odiosum alteri »; ne Terentium et Plautum sæpissime ita loquutos huc vocem. N.

5. *Nam multum*, etc. Hæc populo dantur; quem juvabat scenica ludificatione mulieres lacessitas videre. Eunomia mimice magis, quam decenter hæc edisserit, quæ in viros mulieres potuissent rejicere, si comœdias et ipsæ docuissent: ridiculum ultra veri modum Plaut. intendit. Cf. inf. 19. Amph. II, 2, 206. N.

10. *Ut æquom 'st*. *Ut* hoc loco idem valet quod *ergo*; namque prioribus sequentia adnectit, inversa oratione, cujus ea est indoles: Ut ego proxuma tibi, tuque mihi, ita æquum est, etc. Lambin. scribit *ita*, alii *et*, sed contra MSS fidem. N.

Et mihi te, et tibi me consulere et monere,
Neque obcultum id haberi, neque per metum mussari,
Quin participem pariter ego te, et tu me ut facias.
Eo nunc ego secreto te huc foras seduxi,
Ut tuam rem ego tecum heic loquerer familiarem.
MEG. Da mihi, optuma femina, manum. EUN. Ubi ea 'st? quis ea
Est nam optuma? MEG. Tu. EUN. Tune ais? MEG. Si negas,
Nego. EUN. Decet te equidem vera proloqui.
Nam optuma nulla potest eligi : alia alia
Pejor, frater, est. MEG. Idem ego arbitror, nec tibi
Advorsari certum 'st de istac re unquam, soror.
EUN. Da mihi operam, amabo. MEG. Tua 'st; utere,
Atque inpera, si quid vis. EUN. Id quod in rem tuam
Optumum esse arbitror, te id admonitum advento.
MEG. Soror, more tuo facis. EUN. Facta volo. MEG. Quid est id,

12. *Obcultum haberi..... mussari*, anacoluthum; namque ab agendi forma oratio inceperat « consulere, monere », et desinit in patiendi modum, mutata verborum syntaxi. N.—*Mussari*. *Mussare* est hominum occulta et depressa voce loquentium, quod celatum velint. NON.— Est etiam tacere. Virg. Æneid. XI, 344 : « cuncti se scire fatentur... sed dicere mussant ». N.

15. *Tuam rem... loquerer familiarem*. Gall. *vous parler de vos affaires*. N.

16. *Ubi ea 'st?* His et sequentibus Eunomia scurratur, non matronam gerit. Sapientius talia ludicra libertinis mulieribus relinqueret, quibus esse loquaculis et mos et pars quæstus erat. Conf. Mil. gl. III, 1, 189; Cistell. I, 1, 68 seq. Pœn. V, 3, 26. Afran. in Auctione : « Haud facul, ut ait Pacuvius, femina invenietur bona ». — *Quis*, antique, pro *quæ*. *Quis* enim est generis communis, ut Græcis τίς, auctore Priscian. XIII, 3, 13. « Mulier, quisquis es, te volumus ». Liv. Andr. apud Nonium v. *quisquis*. N.

17. *Nam*. Hoc refer ad *quis*, quisnam. *Tune ais?* affirmas, scil. me esse optumam? Gall. *vraiment?* N.

18. *Decet te*, etc. Debeas dicere melius veriusque; nam qui optumam appellas, non vera dicis; optuma nulla est; neque potest quæquam aliis præstare, nisi nequitia. N.

22. *Da mihi operam*. Vult : « me audi ». Sed *dare operam* potest esse et aliud quidlibet officium, quod Megadorus intelligit, aut intelligere simulat. *Amabo*, formula postulandi. *Tua 'st*, mea opera. Gall. *je suis tout à vous*. N.

25. *Facta volo*, pro « factum vo-

Soror? EUN. Quod tibi sempiternum salutare
Sit, procreandis liberis, ita di faxint,
Volo te uxorem domum ducere. MEG. Hei obcidi!
EUN. Quid ita? MEG. Quia mihi misero cerebrum excutiunt
Tua dicta, soror: lapides loqueris. EUN. Heia! hoc face,
Quod te jubet soror. MEG. Si lubeat; faciam. EUN. In rem
Hoc tuam 'st. MEG. Ut quidem emoriar, priusquam ducam.
Sed his legibus, si quam dare vis, ducam: quæ
Cras veniat, perendie foras feratur, soror.

lo », figura Plautina. Sic ille « mira sunt » pro « mirum est ». Amphitr. I, 1, 127; Casin. II, 2, 20, et alias. *Factum volo* i. q. volo istud fieri. Inf. III, 8, 5: « Scis tute facta velle me, quæ tu velis ». Hæc autem est solennis locutio benigne vel ironice assentientis alicui aliquid dicenti, aut postulanti. Conf. Bacch. III, 3, 91; Asin. III, 3, 95. Sic fere gallice dicitur: *c'est mon intention*, *c'est mon desir*. Igitur h. loc. gratulanti fratri, quod faciat illa more suo, suadendo utilia, respondet se facto velle utilem esse. Ab hac oratione differt idiotismus « factum velle alicui », i. e. bene alicui velle, consentire cum illo; de quo consulendus Gronov. ad Gell. VII, 3, medio. N.

26. *Quod tibi sempiternum*, etc. Sic solebant initio rei gerendæ profari, bene ominandi causa. Vid. Formul. « Quod bonum, faustum felixque sit ». T. —Vid. inf. II, 2, 41. *Sempiternum*. Cf. Bacc. IV, 5, 1. N.

27. *Ita di faxint!* Heraldus hæc verba dedit Eunomiæ, quum vulgo haberet Megadorus, quippe cui a nuptiis abhorrenti male convenirent. Quam jocosi sunt, qui existimant, joco interfari Megadorum, quasi cogitaret posse liberos procreari aliunde quam ex feminis! Lambinus vidit τὰ *liberis procreandis* non bene conjungi cum precatione, sed potius pertinere ad illa *uxorem ducere*. Ut apud Ennium: « liberum quæsendorum gratia familiæ matrem ducere »: et « ducit me uxorem sibi liberum quæsendum gratia ». Et passim. Sed immodicus est, quum scribit: « salutare sit. MEG. Ita dii faxint! EUN. Liberis procreandis uxorem ». Utrumque incommodum sola nos interpunctione tollimus, scribendo: « Quod tibi sempiternum salutare sit, procreandis liberis (ita dii faxint!) Volo te uxorem domum ducere ». GRON.

30. *Lapides loqueris*. Durus et asper tuus sermo est: qui me quasi lapidibus impetit. Contra Aristoph. Ῥόδα μ' εἴρηκας, *Rosas mihi loquutus es*. LONGOL.

31. *Si lubeat*. Jubes, hortaris soror; sed oportet, ut mihi libeat. N.

32. *Ut quidem*, etc. Facete interpretatur *hoc* sororis. N.

33, 34. *Quæ cras veniat*, etc. Uxorem ducam his legibus, ut ea cras veniat, etc. N. — *Foras feratur*. *Foras ferre*, est efferre, ἐκφέρειν. Terentius: « Effertur: imus »; ubi

His legibus quam dare vis, cedo, nubtias adorna.
EUN. Quam maxuma possum tibi, frater, dare dote:
Sed est grandior natu: media est mulieris ætas.
Eam si jubes, frater, tibi me poscere, poscam.
MEG. Num non vis me interrogare te? EUN. Imo si quid vis, roga.
MEG. Post mediam ætatem, qui mediam ducit uxorem domum;
Si eam senex anum prægnatem fortuitu fecerit,
Quid dubitas, quin sit paratum nomen puero Postumus?
Nunc ego istum, soror, laborem demam, et deminuam tibi.
Ego, virtute Deum et majorum nostrorum, dives sum satis.

Donatus: « Efferri proprie dicuntur cadavera mortuorum »: et « ire, proprie ad exsequias ». HERALD.

35. *Cedo* illam. Hic, prima correpta, *cedo* est « da mihi ». Exemplum hujus verbi proponit Tacit. Ann. I, 23, in centurione Lucilio, cui vocabulum *Cedo alteram* inditum erat a militibus. N.

36. *Quam maxuma possum*, etc. Sensus est: Possum præbere tibi uxorem quam maxima, i. q. maxima dote instructam. Particula *quam* sæpe valet « multum, valde » cum positivo, et vim superlativi intendit. N.

38. *Num non vis*, annon sinis, sine. Alii dant: « num nunc ». *Interrogare*, quærere a te aliquid. Quid quærat, vid. inf. 42. *Roga*, quære, loquere. N.

40. *Qui mediam ducit uxorem*. Nimis acris ille codex, qui delet τὸ *mediam*. Habent multo plures et meliores. Si defendere libet, præsto est Seneca ep. 26: « Quemcumque vis, occupa, adolescentem, senem, medium ». Ego tamen Plautum scripsisse censeo: « Post mediam ætatem qui media ducit uxorem », ut intelligas uxorem media ætate. Et sic Langiani codices. GRONOV.

41. *Anum prægnatem fortuitu*. Non possunt ferre *anum* dici, quæ sit *mediæ ætatis*. Ecce codicem, in quo *unum*. Ergo conjiciunt *uno*: et *uno fortuitu*, esse, si semel forte prægnantem fecerit. Gaudeant suo *uno fortuitu*, quod sine exemplo commenti sunt. Plautus dicit anum, pro, quasi anu, vel propemodum anu. GRONOV. — Dixit etiam *grandiorem natu* v. 37, ut Tacit. Ann. XVI, 30, « grandis ævo parens ». N.

42. *Postumus*. Scribendum *Postumus* sine *h*, est enim a *post*, quia post patrem mortuum nascitur postumus. *Postumus* tamen censetur etiam, qui post factum testamentum natus est, etiam vivo patrefamilias: sed et qui post alios liberos, ultimusque gignitur. TURNEB. — Ludit in etymologia cognominis romani, ut Sosia lusit in *Quinti* cognomine, Amph. I, 1, 149. N.

44. *Majorum virtute*, etc. Solennis avertendæ invidiæ præfatio, quum pulchra feliciaque aliquis nar-

Istas magnas factiones, animos, doteis dapsileis,
Clamores, inperia, eburata vehicula, pallas, purpuram,
Nil moror, quæ in servitutem sumtibus redigunt viros.
EUN. Dic mihi, quæso, quis ea 'st, quam vis ducere uxorem? MEG. Eloquar.
Gnostin' hunc senem Euclionem ex proxumo pauperculum?
EUN. Gnovi, hominem haud malum, mecastor. MEG. Ejus cupio filiam.

rare incipit. Cf. Trin. II, 2, 65. L.

45. *Factiones*, id est, opulentiam, et nobilitatem, et clientelas. Non. Boxu. — Ita sæpe hoc vocabulum Noster usurpat. Cistell. II, 1, 17; Trinum. II, 4, 51. Cæcil. in Plocio apud Gell. II, 23: « nam opulento famam facile occultat factio ». Et Festus: « factio et factiosus initio honesta vocabula erant; unde adhuc factiones histrionum et quadrigariorum dicuntur. *Animos*. Millies superbos dotatarum animos carpsere comici. Cf. Asin. I, 1, 74.— *Dapsileis*, vox græca δαψιλής, largus, magnificus. Vide Mostell. IV, 2, 66, et Pseudol. I, 4, 3. N.

46. *Clamores*, *inperia*, conjugis e summo loco et opulentæ. — *Eburata vehicula*, ebore obducta et variata. Jam luxus et artes Græcorum in civitatem horridam Romulidarum perrepserant. Sed multi supererant adhuc priscæ disciplinæ tenaces, quos inter præcipuus Cato ille Censorius, qui, teste Seneca, epist. 87, « cantherio vehebatur, et hippoperis quidem impositis, ut secum utilia portaret, etc. » Et ibid. « unicum illum equum ab ipso Catone defrictum ». — *Pallas*, vestes talares matronarum. — *Purpuram*. Credo hic Plautum figura uti ἓν διὰ δυοῖν, et velle « pallas purpuratas », ut Virgil. Georg. II, 192, « pateris libamus et auro ». Hæc dicens Megadorus, tempori convenientem censuram agit, et seniorum querelas, quæ in curia et in foro perstrepebant, comice reddit; namque autumo, quum Aulularium ille docuerit, diu non esse, ex quo, magna trepidatione civitatis et mulierum concursatione ac tumultu, abrogata lex erat, quam C. Oppius tribunus pl. vicesimo ante anno, dum bellum Punicum maxime sæviret, pertulerat: « Ne qua mulier plus semunciarium auri haberet; neu vestimento versicolori uteretur, neu juncto vehiculo in urbe oppidove aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa, uteretur. Cf. T. Liv. XXXIV, 1-8. N.

47. *Nil moror*, non cupio. *Quæ in servit. sumpt. red. viros*. Τὸ *quæ* contextu orationis ad purpuram et pallas, sed ingenio sententiæ ad ipsas mulieres refertur, quæ dum pallas, purpuram, cæteraque sibi expetunt, in servitutem redigunt viros. Etenim quæ magnam dotem attulit, æquum censet se magnos facere sumptus, et imperiose uti cum viro. Vid. Asin. I, 1, et inf. III, 5, 58-61. N.

48. *Quis ea*. Vid. sup. 16. N.

Virginem mihi desponderi : verba ne facias, soror.
Scio quid dictura es : hanc esse pauperem : hæc pauper placet.
EUN. Di bene vortant! MEG. Idem ego spero. EUN. Quid me nunc quid vis? MEG. Vale.
EUN. Et tu, frater. (abit.) MEG. Ego conveniam Euclionem, si domi
Est : sed eccum : nescio unde sese homo recipit domum.

SCENA SECUNDA.

EUCLIO, MEGADORUS.

EUCL. Præsagibat mi animus, frustra me ire, quom exibam domo.
Itaque abibam invitus : nam neque quisquam Curialium
Venit, neque magister, quem dividere argentum oportuit.
Nunc domum properare propero : nam egomet sum heic; animus domi 'st.
MEG. Salvos atque fortunatus, Euclio, semper sies.

52. *Scio quid dict. es.* Scioppius censet esse scribendum *scio quod:* quia sic in Langianis. Sed illud *quid* servant Camer. et sex Pall. Conf. Bacchid. I, 1 : « Scio quid ago. —Et pol ego scio quid metuo ». Et tamen in altero quoque τὸ *quod* pronomen foret, non conjunctio : quippe quod plenum sit: « Scio id, quod dictura es ». GRONOV.

53. *Quid me nunc quid vis?* num me aliquid nunc vis? nihil amplius de me vis? prius *quid* signum interrogandi, posterius valet *aliquid.* Sermo solemnis comiter ab aliquo discedentis. Cf. Amph. I, 3, 44. N.

2. *Curialium. Curiales* a curiis dicuntur, in quas olim divisus popul. Romanus, ut *tribules* a tribubus. L.

3. *Magister. Romæ* singulas tribus suos divisores habuisse docet Ascon. (actione II in Verrem), qui pecuniam populo viritim dividebant, singuli in sua tribu : et alio nomine *Magistri Curiarum* appellantur Ciceroni *Curiones.* RÆVARD.

4. *Proper. propero.* Sic loquuntur Græci, inprimis Homerus, apud quem crebrum est, βῆ δ' ἰέναι. Sic iterum Plautus Captivis « meminisse ut memineris ». LAMB. — *Nam egomet,* etc. Item Mercat. III, 4, 2 : « Si domi sum, foris est animus; si foris sum, animus domi 'st ». N.

EUCL. Di te ament, Megadore. MEG. Quid tu? recten' atque ut vis vales?
EUCL. (seorsum) Non temerarium 'st, ubi dives blande adpellat pauperem.
Jam illic homo aurum me scit habere, eo me salutat blandius.
MEG. Ain' tu te valere? EUCL. Pol, ego haud a pecunia perbene.
MEG. Pol, si est animus æquos tibi, satis habes, quî bene vitam colas.
EUCL. Anus, hercle, huic indicium fecit de auro: perspicue palam 'st.
Quoi ego jam linguam præcidam, atque oculos ecfodiam domi.
MEG. Quid tu solus tecum loquere? EUCL. Meam pauperiem conqueror.
Virginem habeo grandem, dote cassam, atque inlocabilem,
Neque eam queo locare quoiquam. MEG. Tace: bonum habe animum, Euclio:
Dabitur: adjuvabere a me: dic, si quid opu'st, inpera.
EUCL. Nunc petit, quom pollicetur: inhiat aurum, ut devoret.

6. *Quid tu?* i. e. agis. Hæc erat formula benigne aliquem appellandi. Vid. sup. I, 2, 39. N.

7. *Non temerarium 'st.* Non temere, non sine consilio, fit; subest aliquid doli. At considera poetæ artificium in hac scena, quantis miseriis laboret suspicax, trepidus, omnia tuta timens ille auri occultator, et quam stulte, perturbante animum sollicitudine, ipse suomet indicio thesaurum prodat, dum nihil defossum habere se gestit profiteri, et occupat prævertere nil tale quæritantem. Hæc non Plautus fingit, natura ipsa loquitur. N.

9. *Ain' te valere.* Insistit interrogando iterum, et *ain'* est urgentis quæstione, quasi significet: « jam quæsivi recten' valeas; ergo ai, vel nega ». Sed mollius est: « ain' tu te valere? » N.—*A pecunia.* Quod ad pecuniam attinet. LAMB.

10. *Satis habes.* Ex hoc verbo suspicatur Euclio, istum de auro aliquid rescivisse. TAUBM.

14. *Cassam*, id est, carentem. *Cassum* enim, ut *caritum*, a careo, Prisc. IX, 9. « Nunc cassum lumine lugent ». Virg. Æn. II, 85. N.

17. *Nunc petit*, *quum pollicetur.* Versui 7 hic consequens. Megado-

Altera manu fert lapidem, panem obstentat altera.
Nemini credo, qui large blandu'st dives pauperi.
Ubi manum injicit benigne, ibi onerat aliquam zamiam.
Ego istos novi polypos, qui, ubi quid tetigerint, tenent.
MEG. Da mihi operam parumper: paucis, Euclio, 'st quod te volo
De conmuni re adpellare, mea et tua. EUCL. Hei misero mihi!
Aurum mi intus harpagatum 'st: nunc hic eam rem volt, scio,

rus videtur officium ultro offerre, ut gratiam sibi reposcat et aurum possit tali causa elicere. — *Aurum inhiat.* «Hereditatem inhiat», Stich. IV, 2, 25; «mea bona inhiant», Mil. gl. III, 1, 121. N.

18. *Altera*, etc. Proverbium translatum ab iis, qui canes ostentato pane pelliciunt, deinde accedentibus saxum illidunt. ERASMUS.

20. *Manum injicit.* Manum cum manu copulat. LAMB. — *Onerat aliquam zamiam.* Hic locus exercitos habuit hactenus eruditissimos Criticos. *Onerare zamiam* sic dictum est, ut Virgil. *vina onerare*, pro, in navem imponere, dixit: et Cato apud Nonium, *onerare commeatum in navi.* Neque hic hypallage, ut vulgo sibi persuadent: neque legendum, *onerat zamia. Onerare zamiam*, est imponere et inferre zamiam, hoc est, jacturam: nam *onerare* est ἐπιφορτίζειν καὶ ἐμβάλλειν, et *onus* ἐμβολή. SALMAS. — Voce *zamia* deprehendas hellenismum, et quidem doricum. Id fuit ingenium linguæ latinæ, quatenus ex Italica Græcia defluxit.

21. *Polypos. Polypus*, piscis, quidquid suis fibris et branchiis amplexus est, firmissime tenet. Per hos significat rapaces et tenaces. LAMB. — *Qui, ubi quid tetigerint, tenent.* Lectionem hanc recepimus, auctoribus Camerario et Douza, qui viderunt inconcinne geminari *quid*. Vulgatæ ex conjectura Grut. quam Gronovius improbat, neque metrum patitur: «qui sibi, quicquid t. t.» Voluit Gronovius: «qui, ubi quidque t. t.» Sic enim Virgil. VII, 400, «Io, matres, audite ubi quæque latinæ»: et Livius, XXIV: «quantum copiarum et ubi quæque essent». Alia omitto exempla. Sed hoc loco «quidque» versum onerat. N.

24. *Harpagatum 'st.* Ab ἁρπάζειν nomina derivata fuerunt apud Latinos, «Harpagones», instrumentum bellicum, asseres ferreo unco præfixi, cf. T. Liv. XXX, 10; «Harpax» agricolarum. Cf. Isidor. Orig. XX, 15. Verbum autem *harpagare* credo ridicule a Plauto, ut multa alia, confictum; quo quidem et alias usus est haud semel; Pseud. IV, 2, 2; Bacch. IV, 4, 11. Urceus Codrus in suppl. et ipse lusit hujus modi nominibus: «quos Harpagones, Harpyias, et Tantalos vocare soleo;» auctore quidem Plauto, Trinum. II, 1, 13: «Blandiloquentulus

Mecum adire ad pactionem : verum intervisam domum.
MEG. Quo abis? EUCL. Jam ad te revortar : namque est, quod visam domum. (abit domum.)
MEG. Credo, edepol, ubi mentionem ego fecero de filia,
Mihi ut despondeat, sese a me derideri rebitur.
Neque illo quisquam 'st alter hodie ex paupertate parcior.
EUCL. Di me servant, salva res est : salvom 'st, si quid non perit.
Nimis male timui : priusquam intro redii, exanimatus fui.
Redeo ad te, Megadore, si quid me vis. MEG. Habeo gratiam.
Quæso, quod te percontabor, ne id te pigeat proloqui.
EUCL. Dum quidem ne quid perconteris, quod mihi non lubeat proloqui.
MEG. Dic mihi, quali me arbitrare genere prognatum? EUCL. Bono.
MEG. Quid fide? EUC. Bona. MEG. Quid factis? EUCL. Neque malis, neque inprobis.

harpago, mendax ». Inde celeberrimus ille nostras *Harpagon*. — *Scio*, opinor. Vid. sup. I, 1, 21. N.—*Eam rem*. Id est, ob eam rem. DOUZA.

27. *Mentionem*. De sponsalibus futuris loquitur ; ideo aptis illi rei verbis utitur, *ubi mentionem fecero*. Nam qui poscit, *Mentionem facere* dicitur; qui respondet, *Repromittere*, sive tantum, *Promittere*. GUL.

29. *Ex paupertate*, ex ordine seu numero pauperum. CAM. — Tῷ *ex* causam significari opinor, i. e. ob paupertatem. N.

30. *Salvom 'st*. Lectio vulgata palam inepta est. Scribe : « Salva res est; salvum est si, quod non periit ». Tò *periit*, non *perit*, habent MSS quos vidi. Et id rectum est. Euclio, semper male timens auro suo, quod in præsens salvum invenit, metuit in futurum. Salva, inquit, res est, si salva dicenda sit, quæ sicut nondum periit, ita potest aliquando perire. BOXHORN. — Nimis argute Boxhornius et contra ingenium orationis, quam facit impeditam. Dixit Euclio : « Salva res est », quia aululam vidit, sed, quum pecuniam non potuerit numerare, se corrigit, neque audet asseverare salvam omnino rem; et subjicit conditionem, « si quid non perit », pro *periit*, per syncopen usitatissimam. N.

31. *Nimis male timui*. Non se accusat, quod ultra quam satis erat, timuerit ; etenim quid metus credat nimium, auri gratia, talis vir. *Nimis* pro *valde* comicis usitatius, quam ut exempla huc ex iis afferam. Et Cicero ad Attic. IX, 7 : « id mandavi Philotimo homini forti ac nimium optimati ». N.

36. *Quid fide?* « Quid? (dic mihi

MEG. Ætatem meam scis? EUCL. Scio esse grandem, itidem ut pecuniam.
MEG. Certe, edepol, equidem te civem sine mala omni malitia
Semper sum arbitratus, et nunc arbitror. EUCL. (seorsum) Aurum huic olet.
Quid nunc me vis? MEG. Quoniam tu me, et ego te, qualis sis, scio;
Quæ res recte vortat, mihique, tibique, tuæque filiæ,
Filiam tuam mihi uxorem posco: promitte hoc fore.
EUCL. Heia! Megadore, haud decorum facinus tuis factis facis,
Ut inopem atque innoxium abs te atque abs tuis me inrideas.
Nam de te neque re, neque verbis merui, ut faceres, quod facis.
MEG. Neque, edepol, ego te derisum venio, neque derideo:
Neque dignum arbitror. EUCL. Cur igitur poscis meam gnatam tibi?
MEG. Ut propter me tibi sit melius, mihique propter te et tuos.
EUCL. Venit hoc mi, Megadore, in mentem, ted esse hominem divitem,

quali me esse) fide (arbitrare) », vel « quid (num) fide (bona me esse arbitraris?) » N.

41. *Quæ res*, etc. Præfatio veterum bene ominandi gratia. TAUBM. — Vid. sup. II, 1, 26. N.

43. *Dec. tuis factis.* Animadverte *decorum* cum ablativo i. q. dignum. Cf. Mil. III, 1, 25; Rud. I, 3, 10, *indecore* p. indigne. *Tuis factis*, i. e. te, tuo agendi more. « Facta tua », pro *tu* sæpe. N.

44. *Innoxium abs te.* Notanda locutio; i. e. nullius erga te et tuos noxiæ reum. N.—*Inrideas.* Juvenalis : « nihil habet paupertas durius in se, Quam quod ridiculos homines facit ». BOXHORN.

46. *Neque deris. venio, neque der.* Neque ea mente veni, neque nunc facio. N.

47. *Dignum.* Sicut modo « decorum » p. « dignum », ita vice versa nunc « dignum » p. « decorum ». N.

48. *Propter me*, i. e. per me. Cf. Rud. I, 2, 39. N.

Factiosum; me item esse hominem pauperum paupercrumum.
Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentem venit,
Te bovem esse, et me asellum: ubi tecum conjunctus siem,
Ubi onus nequeam ferre pariter, jaceam ego asinus in luto:
Tu me bos magis haud respicias, gnatus quasi nunquam siem.
Et te utar iniquiore, et meus me ordo inrideat.
Neutrubi habeam stabile stabulum, si quid divorti fuat.
Asini me mordicibus scindant, boves incursent cornibus.
Hoc magnum 'st periculum, me ab asinis ad boves transscendere.
MEG. Quam ad probos propinquitate proxume te adjunxeris,

50. *Factiosum.* Multis innixum et florentem clientelis. Cf. II, 1, 45. Boxhorn.

52. *Te bovem esse*, etc. Hic apologus satis prolixe enarratus olet rudem dramaticæ poeseos ætatem. Quanta esset apologi gratia, Menenius jam ante docuerat. Allegoria hæc placuit antiquis; novi ad eventum festinare fabulam poscunt. Tamen apud nos edita est comœdia, quæ fere constabat fabulis, ibi quidem idoneis, utpote nomine: *Esope à la cour.* Sed frigida admodum et longa spectantibus videtur. N.

53. *Conjunctus siem.* Anceps hoc verbum, ad allegoriam asini et bovis pertinens, simul et ad affinitatem. N.

54. *Gnatus*, pro *natus*, antique, ut *gnavus*, *gnoscere*. Lamb.

55. *Meus ordo.* Plebeii, pauperes. Et meretricula ordinem suum vocat Cistell. I, 1, 35. N.

57. *Mordicibus.* Dictum videtur non quidem pro *morsibus*, sed pro ipsis *dentibus*; quemadmodum Catullus *nutrices* dixit pro mammis: et Plauto *mordices* nihil aliud sunt, quam dentes: et *dentes* idem quod oblocutiones atque cavillationes: sicut *cornua* sunt injuriæ, et oppressiones. Siber.

58. *Hoc*, sexto casu, adverbialiter, ut *eo*, i. q. *quare*. N.

59, 60. *Q. proxume... tam optumum 'st.* Quanto arctiore vinculo... eo melius tibi erit. N.—*Conditionem* pro conjunctione sponsaliorum et nuptiarum dici, multi notarunt. Festus: « Conventa conditio dicebatur, quum primus sermo de nuptiis et earum conditione habebatur ». Id etiam simpliciter *Conditio* dicebatur. Unde formula Repudii: *Conditione tua non utor.* Et quod dicebatur: *Parentes liberis suis conditiones quærere.* Briss. — Conditio non solum pactionem conjugii, sed etiam per tropum, conjugem ipsum significat, sicut gallice: *un parti.* Vid. Trin. I, 2, 122; IV, 54, 87, et inf. III, 52. *Hanc.* Adjectivum *hic* pronominum primæ personæ vicem solet obtinere: itaque « conditionem

Tam optumum 'st : tu conditionem hanc adcipe : ausculta mihi,
Atque eam desponde mihi. EUCL. At nihil est dotis, quod dem. MEG. Ne duas.
Dummodo morata recte veniat, dotata 'st satis.
EUCL. Eo dico, ne me thesauros reperisse censeas.
MEG. Gnovi, ne doceas : desponde. EUCL. Fiat : sed, pro Jupiter!
Non ego disperii? MEG. Quid tibi 'st? EUCL. Quid crepuit, quasi ferrum modo? (abit.)
MEG. Heic apud me hortum confodere jussi : sed ubi hic est homo?
Abiit, neque me certiorem fecit : fastidit mei,
Quia videt me suam amicitiam velle; more hominum facit.
Nam si opulentus it petitum pauperioris gratiam,
Pauper metuit congrediri : per metum male rem gerit.
Idem, quando illæc obcasio periit, post sero cupit.

(Euclio revertitur.)

EUCL. Si, hercle, ego te non elinguandam dedero usque ab radicibus,

hanc », i. q. conditionem meam, me sponsum filiæ tuæ. — *Ausculta*, obsequere. Cæcil. ap. Non. « audire, ignoti quod imperant, soleo, non auscultare ». N.

61. *At nihil est dotis.* Memineris quam feliciter hoc fecerit suum Molierus, et ex lapide adamanta extriverit, act I, sc. 7. N.

63. *Thesauros.* Homo suspiciosus celare non potest, quod tantopere cupit celatum. GRUTER.

66. *Heic.* Demonstrat ædes suas, ad eas respiciens, et crepitus, qui Euclionem conterruit, causam enarrat, sedandi animi gratia, Megadorus. At ille dicentem audire non moratur, et amens se proripit domum; tum Megadorus ad Euclionem conversus, neminem videt, et miratur quò ille fugerit. N.

67. *Fastidit mei*, p. me. Vid. Stich. II, 2, 9. Lucillius : « Tristes, difficiles sumu', fastidimu' bonorum ». Vid. Nonius Marcell. cap. IX, 3. LAMB.

70. *Male rem gerit.* Rem suam administrat male, deest occasioni opis parandæ sibi. N.

72. *Elinguandam.* Unde *elinguatio*, γλωσσοτομία, quod Scaliger notat ad Festum. LAMB. — *Si, hercle*, etc. Rediens Euclio, hæc ad Staphylam, quæ domi est, loquitur, quæ thesauri indicium ne fecerit, semper timet. N.

Inpero, auctorque sum, ut tu me quoivis castrandum loces.
MEG. Video, hercle, ego te me arbitrari, Euclio, hominem idoneum,
Quem senecta ætate ludos facias, haud merito meo.
EUCL. Neque, edepol, Megadore, facio : neque, si cupiam, copia 'st.
MEG. Quid nunc? etiam mihi despondes filiam? EUCL. Illis legibus,
Cum illa dote, quam tibi dixi. MEG. Sponden' ergo? EUCL. Spondeo.
MEG. Istuc Di bene vortant. EUCL. Ita Di faxint : illud facito ut memineris
Convenisse, ut ne quid dotis mea ad te adferret filia.
MEG. Memini. EUCL. At scio, quo vos soleatis pacto perplexarier.
Pactum non pactum 'st, non pactum pactum 'st, quod vobis lubet.
MEG. Nulla controversia mihi tecum erit : sed nubtias
Hodie quin faciamus, num quæ causa 'st? EUCL. Imo, edepol, optuma.

73. *Castrand. loces.* Mercede pacta tradas castrand. TAUBM. — *Locare* verbum est aliquid pretio faciendum redemptori committentis. N.

75. *Ludos facias.* Solemnis locutio pro *ludificari.* Epid. V, 2, 41 : « quomodo me ludos fecisti de illa conductitia fidicina? » LAMB.

76. *Copia 'st*, id est, *possum.* Interim alludit ad ludos, negatque tam divitem se, ut pecuniam profundere possit in ludicra illa publica. TAUBM.

79. *Illud facito ut memineris*, i. e. memento. *Facito ut* abundat, ut *faxim* plurimis locis. Conf. Casin. I, 2, 25; Asin. IV, 1, 4. N.

81. *Perplexarier*, perplexe agere et captiose, calumnias adhibere.

82. *Pactum non pactum*, etc. Tale illud Terentianum in Phorm. V, 7, 55-9 : « Quid vos, malum, ergo me sic ludificamini... Nolo, volo; volo, nolo rursum : cedo, cape. Quod dictum indictum est; quod modo erat ratum, irritum est ». LAMB.

84. *Hodie quin faciamus, num quæ causa est.* Vulgatissima forma proponendi aliquid faciendum; i. e. numquid obstat, quominus, etc. Gall. *pourquoi ne ferions-nous pas aujourd'hui la noce? Imo, edepol, optuma*, scilicet, causa est, ut faciamus. Annuentis solita locutio, quum in interrogantis oratione præierit, « num quæ causa est ». N.

MEG. Ibo igitur, parabo : numquid me vis? EUCL. Istuc. MEG. Fiet : vale.
Heus, Strobile, sequere propere me ad macellum strenue.
EUCL. Illic hinc abiit : di immortales, obsecro, aurum quid valet!
Credo ego illum jam inaudisse, mi esse thesaurum domi :
Id inhiat, ea adfinitatem hanc obstinavit gratia.

SCENA TERTIA.

EUCLIO, STAPHYLA.

EUCL. Ubi tu es, quæ deblaterasti jam vicinis omnibus,
Meæ me filiæ daturum dotem? heus, Staphyla, te voco :
Ecquid audis? vascula intus pure propera atque elue.
Filiam despondi ego : hodie nubtum huic Megadoro dabo.
STAPH. Di bene vortant : verum, ecastor, non potest : subitum 'st nimis.
EUCL. Tace, atque abi : curata fac sint, quom a foro redeam domum.

85. *Numquid me vis?* Cf. scen. sup. 53. *Istuc*, scilicet, nihil aliud volo, quam quod nunc agis. Formula respondendi comitati interrogantis in discessu : « Numquid me vis? » Ut *hic* primæ personæ, ita *istic* secundæ indicium gerit; quod sedulo notandum in diverbiis comicis. N.

89. *Hanc*, meam. N.—*Obstinavit*, id est, obfirmato et perseveranti animo expetivit. FEST.

1. *Deblaterasti*. Blaterare est loquacitate nimia quidlibet effutire. N.

3. *Ecquid*, num. *Vascula intus pure propera atque elue*. Non opus est ad figuram ἓν διὰ δυοῖν confugias, ut hunc versum interpreteris, quasi sit « propera eluere ». Verbum *properare* cum accusativo apud poetas et præsertim apud Nostrum componi solet. Ergo *propera vasa* i. q. festina parare vasa. *Pure*, ita ut pura sint. Nuptiarum causa sacrum fiet in domo paterna, *intus*; quamobrem *vasa pura* Euclio jubet adornari, ut Amphitruo jussit III, 2, 65. Sed animadverte *vascula*, non vasa, Euclionem dicere, utpote qui pauperem se miseraque vel inter sacrificandum supellectile utentem prædicet. N.

5. *Non potest*, scil. istud fieri, quod jubes; hanc nempe causam morandi prætexit anus, quum aliud sit impedimentum, quod herum celet; et, sup. I, 1, 35 enarravit. N.

Atque obclude ædeis : jam ego heic adero. STAPH. Quid ego nunc agam?
Nunc nobis prope adest exitium, mihi atque herili filiæ.
Nam probrum atque partitudo prope adest, ut fiat palam.
Quod celatum 'st atque obcultatum usque adhuc, nunc non potest.
Ibo intro, ut, herus quæ inperavit, facta, quom veniat, sient.
Nam, ecastor, malum mœrorem metuo, ne mistum bibam.

SCENA QUARTA.

STROBILUS, ANTHRAX, CONGRIO.

STROB. Postquam opsonavit herus, et conduxit cocos
Tibicinasque hasce apud forum, edixit mihi,

12. *Malum mœr. metuo, ne*, etc. Multi in hoc loco multa tentant, quæ Gronovius vocat ludibria conjecturarum, et ipse scribi jubet : « malum mœrore metuo, etc. » Sed ita mihi videtur, ignoscant viri maximi manes, frigida oratio. Quid enim « malum mœrore mistum »? *Malum* adjective hic ponitur, ut dici solet « mala crux »; *miscere* autem vulgo inter convivalia verba in usu fuit pro « parare bibendum », ut gallice dicitur *verser*. Itaque hæc oratio « metuo ne bibam malum mœrorem mistum », idem valet quod « metuo ne mihi admisceatur bibendus malus mœror ». Et pro simplici « mœrorem pati » metaphoram « mistum bibere mœrorem » adhibuit vinosa mulier, ingenio suo et mori obsecuta, ut fert ipsius nomen Staphyla. N.

1. *Opsonavit*, comparavit obsonia. — *Conduxit cocos*. Conductitii coqui sæpissime in fabulis Plautinis inducuntur; pauci memorantur apud Terentium. Antiquæ paupertatis mos adhuc vigebat, quum Sarsinas floreret; neque quisquam in famulatu ministrum culinarium, nisi vilissimum quodque mancipium habuit; adeo facilis paratu tum victus quotidianus erat. Sed quum Terentius scenam iniit, jam nova luxuries, voluptates novæ, e Græcia, ex Asia Romam irruerant. Inde ars coquinaria cœpit notescere, et coquus in pretio esse, et in domestico apparatu haberi, postquam delicatiore cœna divites carere jam non potuerunt. Conf. Tit. Livium, XXXIX, 6; Plin. Hist. XVIII, 12. Igitur Cato Censorius dictitabat : « Non facile posse civitatem stare incolumem, ubi pluris ematur piscis, quam jumentum ». Plut. in Cat. N.

2. *Tibicinas*. Sacrificiis tibicinæ, conductitiæ quoque et illæ, adhibebantur ; res autem sacra fiebat semper contrahendis nuptiis, et e visceratione convivium ; igitur quæ participes fuerant sacri, ipsæ et in

Ut dispartirem opsonium heic bifariam.
CONG. Me quidem, hercle, dicam palam, non divides.
Si quo tu totum me ire vis, operam dabo.
ANTH. Bellum et pudicum vero prostibulum popli.
Post si quis vellet te, haud non velles dividi.
CONG. Atqui ego istuc, Anthrax, aliovorsum dixeram,
Non istuc, quod tu insimulas. STROB. Sed herus nubtias
Meus hodie faciet. CONG. Quojus ducit filiam?
STROB. Vicini hujus Euclionis e proxumo.
Ei adeo opsoni hinc dimidium jussit dari,
Cocum alterum, itidemque alteram tibicinam.
CONG. Nempe huic dimidium dicis, dimidium domi?
STROB. Nempe, sicut dicis. CONG. Quid? hic non poterat de suo
Senex opsonari filiæ in nubtiis?
STROB. Vah! CONG. Quid negoti 'st? STROB. Quid negoti, sit, rogas?
Pumex non æque est aridus, atque hic est senex.
CONG. Ain' tandem ita esse, ut dicis? STROB. Tute existuma.

partem epularum veniebant. Vinosæ et edaces fama ferebantur, haud immerita quidem. N.

3. *Bifariam*, in duas partes, alteram Euclioni, Megadoro alteram. N.

4. *Me quidem, hercle*, etc. Procax oblocutor putide ludit in falsa verborum Strobili interpretatione; quasi ille dixisset se homines in duas partes secaturum, quum dispartire vellet illos, cum obsonio. N.

6, 7. *Bellum et pudicum*, etc. Ita se simulat hallucinantem in verbo *dividere* improbus, ut turpi ambiguitate lasciviat. Cf. Cic. epist. ad Div. IX, 22. N.—*Prostibulum popli*. Qui prostat obnoxius cujusque libidini. Cf. Mart. Ep. IX, 9. *Populum* dicebant eodem sensu, quo Galli *le public*. Ovid. Trist. IV, 10, 57, «populo juvenilia legi». Pers. Sat. I, 15. Martial. Epigr. I, 30, «libellos populo recitare». — *Post*, posthac, i. e. postquam istud dixisti. Licet pudice habere te prædices, tamen. N.

8. *Aliovorsum dixeram*, aliud intelligebam. Frustra negas, Congrio; namque hoc est gentis Plautinæ ingenium. Immo negas, credo, ut instes spurcitiæ. N.

12. *Adeo*, itaque. *Dimidium*. Gell. III, 14, hunc profert versum, docens quid intersit inter *dimidiatum* et *dimidium*. LAMB.

14. *Nempe huic*, Euclioni. *Domi*, apud vos. *Dicis*, sc. fore partitum. MSS et veteres edd. dant *ducis*. N.

Quin divom atque hominum clamat continuo fidem,
Suam rem periisse, seque eradicarier,
De suo tigillo fumus si qua exit foras.
Quin quom it dormitum, follem obstringit ob gulam.
CONG. Cur? STROB. Ne quid animæ forte amittat dormiens.
CONG. Etiamne obturat inferiorem gutturem,
Ne quid animaï forte amittat dormiens?
STROB. Hæc mihi te, ut tibi me, æquom 'st credere.

20. *Quin* transitionem significat, i. q. scilicet, etenim. Cf. Curc. II, 1, 34. Vid. inf. 33. — *Clamat*, invocat. Cf. Amph. I, 1, 217, 220. N.

22. *Eradicarier.* Radicitus extirpari, hoc est, fortunis omnibus penitus everti, omnino pessumdari. Terent. And. IV, 4, 22, «Dii te eradicent, ita me miseram territas». N.

23. *Follem,* marsupium scorteum, non, ut nonnulli existimant, instrumentum ignis excitandi, quippe cui sententiæ verbum *obstringere* non conveniret. Cf. etiam Epid. III, 2, 15, «follitim». Non possum Gronovii argutæ quidem, sed argutæ nimis divinationi acquiescere. Sic ille: *follem sibi obstringit ob gulam.* Nihil hic miri, nisi quod hoc faciebat cubitum iturus. Nam et quum in publicum irent, cum pecunia crumenam de collo suspendebant. Id ille faciebat etiam in lecto furem nocturnum timens. Quum rogasset coquus, cur? illudens stupori ejus, παρὰ προσδοκίαν falsam causam invenit: tanquam id faceret, ne inter respirandum aliquid animæ amitteret. Et solvuntur auditores nihil tale exspectantes in risum. Magis etiam, quum continuat coquus jocum. Vide Diatriben ad Stat. cap. 27. Hactenus Gronovius. At certe mirum aliquod, immo insanum avaritiæ facinus proferre hoc loco Strobilum voluisse ante et post narrata ostendunt. Itaque hæc hominis sententia: Euclionem, non collo, sed ob os sibi alligare marsupium. Interrogatio autem coqui, quæ intercedit, nihil aliud est, nisi diverbii discriminandi artificium, quo magis naturaliter currat sermo, et res conspicue magis proponatur. N.

25. *Inferiorem gutturem.* Alias profecto facetias Tullius meminerat, quum elegans et urbanum jocandi genus Plauto attribueret. Sed rusticitatis romanæ fastidiosiores esse nolimus. Nostri quoque proavi Rablaisii sales plurimos haud multo lautiores laudavere, quorum nunc vel circumforaneos ludiones puderet. Si velis experiri, quo protervitas comica eodem ludificandi genere progredi possit, neque tamen modum excedere, dum rei sordes arguta scommatis festivitate involvit, audi in fabula gallica, cui titulus: *le Malade imaginaire*, senem lepidum irato pharmacopolæ respondentem: «*Allez, Monsieur, on voit bien que vous n'êtes pas accoutumé de parler à des visages*». N.

27. *Hæc mihi te, ut,* etc. Jocus latet civilior. Innuit enim, neutri ab altero credendum. ACID.

CONG. Imo equidem credo. STROB. At scin' etiam quomodo?
Aquam, hercle, plorat, quom lavat, profundere.
CONG. Censen' talentum magnum exorari potesse
Ab istoc sene, ut det, quî fiamus liberi?
STROB. Famem, hercle, utendam, si roges, nunquam dabit.
Quin ipsi pridem tonsor ungueis demserat;
Conlegit, omnia abstulit præsegmina.
CONG. Edepol, mortalem parce parcum prædicas.
Censen' vero adeo esse parcum et misere vivere?
STROB. Pulmentum pridem eii eripuit miluus:
Homo ad prætorem deplorabundus venit:
Infit ibi postulare, plorans, ejulans,
Ut sibi liceret miluum vadarier.
Sexcenta sunt, quæ memorem, si sit otium.

28. *At scin' etiam quomodo?* Jubent post *quomodo* interrogandi notam tolli. Negat id Plautus, qui hoc genere loquendi toties utitur. Amphit. I, 1, 200. Hac Aulular. V, 1, 22; Rud. III, 5, 18. Et alibi. Eodem sensu quo diceret: *vis etiam dicam rem, quomodo se habeat?* Cf. sup. I, 1, 8. GRONOV.

29. *Aquam*, etc. Ob eam causam nunquam lavit *Patrocles Aristophanicus* in Pluto. LONGOL.

30. *Censen'*, etc. Putasne impetrari posse ab hoc sene, ut det talentum, quo pretium solvamus libertatis. LAMBINUS. — Talentum magnum erat talentum atticum, sexaginta minis, sex millibus drachmarum constans, quod sic Romani appellavere, quia volebant id vocabulo secernere ab aliis Rheginorum, Neapolitanorum, Siculorum talentis minoribus. Cf. Gronov. de Pecun. Vet. III, 3. N.

31. *Quî fiamus liberi.* Illi coci, ut cæteri opifices, qui locabant operam, non sui juris erant, sed in mancipio dominorum, quibus operæ mercedem reddebant. Cf. Asin. II, 4, 35. N.

32. *Utendam*, i. e. usurariam. Cf. Amph. Argum. I, vs. 3. Vel ipsam famem nollet commodare: Euclio certe nostro Harpagone tenacior; namque hic, sin minus proprium, at saltem mutuum dat vale. Cf. Mol. fab. act. II, sc. 5. N.

35. *Parce parcum*, parcissimum. Sic «misere miseri», Cistell. IV, 2, 21; «meminisse memoriter», Capt. II, 1, 53. LAMB.

40. *Miluum vadarier.* Miluus ad prætoris tribunal citatus, haud absimilem causam habuit crimini celebratissimo canis illius in nostris scenis agitati, quem doctissimus *l'Intimé* perorando defendit. N.

41. *Sexcenta sunt*, etc. Mille alia illis, quæ in hoc sermone commentus est, similia enarret; scurriles fabulas jactabit. *Laflèche*, in scena compari supra laudata ve-

Sed uter vostrorum est celerior? memora mihi.
CONG. Ego, ut multo melior. STROB. Cocum ego, non furem rogo.
CONG. Cocum ego dico. STROB. (ad Anthracem.) Quid tu ais? ANTH. Sic sum, ut vides.
CONG. Cocus ille nundinali'st, in nonum diem
Solet ire coctum. ANTH. Tun' trium literarum homo,
Me vituperas? fur, etiam fur trifurcifer.
STROB. Tace nunc jam tu: atque agnum horunc uter est pinguior...

ram avari imaginem expressit. N.

42. *Vostrorum*, p. vestri. Conf. Amph. prol. 4; Mostell. I, 3, 123. N. — *Celerior*. Furum manus *celeres* vulgo dicuntur, quo Plautus alludit. J. GULIEL.

43. *Cocum ego, non furem rogo.* Quum celeriorem melioremque se prædicat Congrio, Strobilus monet requiri coquendi peritum, non furandi. Quippe fur et cocus unus et idem, ut fama tunc erat, non ficti pravique tenax. Quid nunc? N.

44. *Sic sum, ut vides.* Qui sim visu noscis. Forte accinctus jam et cultrum manu tenens adstabat, in habitu parati hominis et expediti. N.

45. *Cocus ille nundinali'st.* Hoc alii aliter enarrant. J. Lipsius et Gruterus et post illos multi volunt significari cocum, qui mortualem cœnam, novemdialibus feriis, i. e. sacris post illatos sepulchro cineres nono die factis, condire consuerit; nundinalis ibi esset tanquam novemdialis, qui in diem nonum, i. e. in ferale convivium coctum ire soleat, tristis et insipiens cocus. Sed Lambinus magis ex plano et rectius mihi videtur interpretari: « nundinalis, qui nundinis tantum conducitur, quo tempore urbs est frequentissima, quia rustici ad leges cognoscendas mercatumque faciendum veniunt ». Et jocator ipse jocum explicat: « in nonum diem solet ire coctum », i. e. non quotidie, ut optimus quisque culinariæ rei minister, sed raro, nono quoque die; itaque nundinalis vere dicitur. N.

46. *Trium literarum homo*, i. e. fur. Eodem modo anus iracunda nepotem increpat in fab. Molieri: « *Vous êtes un sot en trois lettres, mon fils* ». N.

47. *Me vituperas? fur.* Frustra Dissaldæus suspicatur illud *fur*, quod sequitur post, *vituperas*, esse irreptitium, et glossema ejus quod Anthrax dixerat, *trium literarum homo*. — *Trifurcifer*, furcifer maximus, ut sup. I, 2, 8, « triveneﬁca ». Cf. Rud. III, 4, 29. Et inf. IV, 4, 6: « non fur, sed trifur ». Anthrax ludit in conflictu et ambiguitate idem sonantium « fur trifurcifer ». N.

48. *Tace jam*, etc. Ab hoc versu nova scena incipit in vulgatis. Sed quia neque alia persona inducitur, neque quisquam præsentium excedit, censui hæc cum præcedentibus conjungenda, ut fit in multis tum vetustis, tum recentibus, libris. *Horunc*. Vulgatæ: *hinc*. Sed Lambinum et editorem Bip. sequor,

CONG. Licet. STROB. Tu Congrio eum sume, atque abi
Intro illuc, et vos illum sequimini :
Vos ceteri illuc ad nos. ANTH. Hercle, injuria
Dispartivisti : pinguiorem agnum isti habent.
STROB. At nunc tibi dabitur pinguior tibicina.
I sane cum illo, Phrygia : tu autem, Eleusium,
Huc intro abi ad nos. CONG. O Strobile subdole,
Huccine detrusti me ad senem parcissumum ?
Ubi, si quid poscam, usque ad ravim poscam prius,
Quam quidquam detur. STROB. Stultum et sine gratia 'st
Ibi recte facere, quando, quod facias, perit.
CONG. Quî vero? STROB. Rogitas? Jam principio in ædibus
Turba isteic nulla tibi erit : si quod uti voles,
Domo abs te adferto, ne operam perdas poscere.
Heic apud nos magna turba ac magna familia est,
Supellex, aurum, vesteis, vasa argentea :
Ibi si perierit quidpiam (quod te scio
Facile abstinere posse, si nihil obviam 'st),
Dicant : coci abstulerunt; conprehendite,

fretus MS, qui dat *huc*, *uter est pinguior*. Non interrogatio fit, sed pendet oratio, interrupta oblocutione Congrionis annuere imperio festinantis, et absolvetur versu seq. « Tu, Congrio, etc. » i. e. ex duobus agnis, qui (uter) est pinguior, tu eum sume. N.

49. *Licet.* Alii aliud huic verbo subdunt, nempe « tacere » vel « dicere uter sit pinguior ». Credo nihil addendum. Hac voce vulgo utebantur approbandi causa, ut gallice dicimus : *fort bien ; volontiers ; possible.* Cf. Rud. IV, 6, ubi hoc verbum vicies iteratur. Cocus autem hoc loco nondum enarrato imperio, se promptum exsequi profitetur. N.

50. *Illuc*, Euclionis domum. N.

53. *Pinguior tibic.* Cf. sup. 2. N.

54. *Phrygia... Eleusium.* Nomina non temere didita; priori, nomen Asianum, alteri Græcanicum. N.

55. *Ad nos*, ædes Megadori. L.

58. *Stultum et sine gratia 'st*, etc. Se incusat, quod stultus ingrato benigne providerit, quando *perit*, non recte æstimatur sua benignitas. Sed ea quænam qualisque sit, videbis infra, vers. 65-8. N.

59. *Ibi... quando*, i. e. illi recte fac. apud quem, etc. Adverbia pro relativis. Sic, vs. 57, *ubi*. N.

62. *Poscere*, i. e. in poscendo. L.

66. *Facile abstinere posse*, *si*, etc. Cf. Trin. II, 2, 10 : « quod manu nequeunt tangere, tantum fas habent, quo manus abstineant ». N.

Vincite, verberate, in puteum condite.
Horum tibi isteic nihil eveniet : quippe qui
Ubi quid subripias, nihil est : sequere hac me. CONG. Sequor.

SCENA QUINTA.

STROBILUS, STAPHYLA, COCI.

STROB. Heus, Staphyla, prodi, atque ostium aperi. STAPH. Qui vocat?
STROB. Strobilus. STAPH. Quid vis? STROB. Hos ut adcipias cocos,
Tibicinamque, opsoniumque in nubtias.
Megadorus jussit Euclioni hæc mittere.
STAPH. Cererine, Strobile, has facturi nubtias?

68. *In puteum*, id est, hypogæum, seu barathrum, locum pœnæ coquorum destinatum; quod genus λάκκους vocabant. Turneb. lib. VI, 24. LAMB.

69, 70. *Ubi q. subripias.* Ita Lambinus : nam Camerarius ex unico codice *surripiat :* veteres autem editiones et Pall. sex ea voce deficiuntur. Nos in tribus invenimus. Voss. primus *subripiat*. Neque id mutandum, sed explicandum. Sensus enim : *Quippe, ubi, qui quid subripiat*, hoc est, qui fur sit, qui solens aliquid summanare velit, ei *nihil est* prompti atque parati. Nam et versus vocem requirit. Etsi intelligo, quam eleganter id verbum subticeatur, quamque facile ex disciplina sua id supplendum sciat Congrio : ut suspicari possis scripsisse Plautum : « Ubi quid, nihil est. Sequered hac me. CON. Consequor ». Nam illud *Con* depasci potuit præcedens nomen coqui. Certe et apud me τὸ *surripiat* Acad. Voss. secundus et Gudianus ignorant. GRON. — *Q. qui, ubi quid subripias*, etc. Anacoluthum hoc est simile illi Pseud. I, 5, 58 : « Hercle qui, ut prædicas, cavendum 'st mihi abs te irato ». Et Mil. gl. I, 2, 62 : « nam unum conclave concubinæ quod dedit... in eo conclavi, etc. » Igitur incipit oratio, quasi vellet : « quippe qui non habebis, quod subripias », et desinit in aliam syntaxin. BOTHIUS. — At si adverbialiter ponas *qui*, sic oratio facile enarrabitur : « nil tale istic eveniet : quippe qui? » (quomodo eveniet? nempe) ubi, quid subripias, nihil est? » N. — *Sequere hac me*, domum Euclionis. Cf. sc. seq. v. 1. N.

5. *Cererine*, etc. In sacris Cereris vinum non adhibebatur. Macrob.

STROB. Quî? STAPH. Quia temeti nihil adlatum intellego.
STROB. At jam adferetur, si a foro ipsus redierit.
STAPH. Ligna heic apud nos nulla sunt. COC. Sunt asseres?
STAPH. Sunt, pol. COC. Sunt igitur ligna; ne quæras foris.
STAPH. Quid? inpurate, quamquam Volcano studes,
Cœnæne causa, aut tuæ mercedis gratia,
Nos nostras ædeis postulas conburere?
COC. Haud postulo. STROB. Duc istos intro. STAPH. Sequimini.

SCENA SEXTA.

PYTHODICUS*.

Curate; ego intervisam quid faciant coci:
Quos, pol, ut ego hodie servem, cura maxuma 'st.
Nisi unum hoc faciam, ut in puteo cœnam coquant,

III, 11, ubi hunc locum profert sic: « Cererin', mi Strobile, etc. » Sed contra Cato de Re R. c. 134: « postea Cereri exta et vinum dato ». Nodus mihi inexplicabilis, nisi dicamus alium in hac re fuisse Græcorum ritum, quam Romanorum. Nam θεσμοφορίοις, i. e. Cerealibus vini usus interdictus erat, neque vinum libabatur, neque vinum in sacris adhibebatur, ex quo θυσίαι νηφάλιοι sunt dictæ. Tum mulieres id sacrum tractabant; quæ perpetuo apud Romanos temeto carebant. L.

7. *Ipsus*, herus, Megadorus. Cf. Casin. IV, 2, 11. N.

8. *Ligna*, infabricata materia, igni tantum alendo utilis. *Asseres*, trabeculæ tabellæque, partes domus. Hinc jocus procacis coqui, nulli rei soliti parcere, dum fit opus culinarium. N.

10. *Inpurate, quamquam Volcano studes*. Ars coquinaria sine igne nulla; ergo cocus Vulcanum colit, cujus vi omnia purantur, præter illum furem. Impuratus, ut impurus, est quasi scelestus, nequam. Cf. Asin. II, 4, 66. N.

**Pythodicus*. Quis est hic Pythodicus? servus Megadori nihil agens, quem nondum vidimus, nec postea comparebit. Ea est scena, cujus haud paucas in Plautinis fabulis similes reperias, neque ad eventum festinantes, neque notum quidquam facientes, quod fabulæ conducat, sed quasi læta dicteriis embolia. Cf. Curcul. IV, 1. N.

1. *Curate* rem vestram. Hæc ad alios conservos, quibus præest. N.

2. *Nisi unum hoc faciam*. Unus modus est eos servandi, ne quid subripiant, si in puteo conclusos tenuero, dum cœnam coquent. Cf. sc. 4, vs. 68. N.

Inde coctam sursum subducemus corbulis.
Sin autem deorsum comedent, si quid coxerint,
Superi incœnati sunt, et cœnati inferi.
Sed verba heic facio, quasi negoti nil siet,
Rapacidarum ubi tantum siet in ædibus.

SCENA SEPTIMA.

EUCLIO, CONGRIO.

EUCL. Volui animum tandem confirmare hodie meum,
Uti bene haberem filiæ in nubtiis.
Venio ad macellum, rogito pisceis; indicant
Caros, agninam caram, caram bubulam,
Vitulinam, cetum, porcinam; cara omnia:
Atque eo fuerunt cariora, æs non erat.
Abeo iratus illinc, quoniam nihil est, quî emam.

5. *Sin autem*, etc. At aliud periculum menti occurrit. Conclusi in puteo nil equidem furabuntur, sed comedent forte cœnam. N. — *Deorsum. Deorsum*, hic non motum, sed quietem significat. Varro : « Qui colunt deorsum, magis æstate laborent ; qui rursum, magis hieme ». Douza.—*Si quid*, i. e. quidquid.

6. *Superi... inferi.* Tum superi, i. e. qui in loco superiore sunt, in ædibus, incœnati erunt, et inferi, qui in hypogæo latent, coci, erunt cœnati. Ludit ambiguitate vocum *superi*, *inferi*, quæ ad deos vulgo pertinent. Æn. VII, 312 : « Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo ». Cic. Tusc. I, 5 : « num te illa terrent, triceps apud inferos, etc. » N.

8. *Rapacidarum. Rapacidas* extulit pro rapacibus, patronymici more ludens : ut pro Scipionibus dicuntur Scipiadæ ; et jocando fecit, ut furacissimum genus coquorum putemus, quasi familia sit Rapacidarum, ut Æacidarum, aut Pelopidarum. Turn.

1. *Animum tandem confirmare.* Scilicet, ille quum sumptum faciat oportet, labat, deficit animo. Sed diu ægreque conatus *tandem* evicit, ut macellum adiret. At quo evaserit præclara victoria, mox enarrabit. N.

2. *Ut bene haberem*, etc. Vossius claudicantem versum sic restituit : « Ut bene me haberem filiaï in nuptiis ». Editoris Bipont. recepimus lectionem magis Plautinam. Pseud. IV, 1, 25, « optume habet ». N.

6. *Æs non erat.* Miranda senis providentia, qui macellum adit pecunia inanis. N.

7. *Nihil est, quî emam.* Non est quomodo quid emere possim. N.

Ita illis inpuris omnibus adii manum.
Deinde egomet mecum cogitare inter vias
Obcepi : festo die si quid prodegeris,
Prôfesto egere liceat, nisi peperceris.
Postquam hanc rationem cordi ventrique edidi,
Adcessit animus ad meam sententiam,
Quam minumo sumtu filiam ut nubtum darem.
Nunc thusculum emi et hasce coronas floreas :
Hæc inponentur in foco nostro Lari,
Ut fortunatas faciat gnatæ nubtias.
Sed quid ego apertas ædeis nostras conspicor?
Et strepitu 'st intus : numnam ego conpilor miser?
CONG. Aulam majorem, si potes, vicinia
Pete : hæc est parva, capere non quit. EUCL. Hei mihi,
Perii, hercle! aurum rapitur, aula quæritur.
Nimirum obcidor, ní intro huc propero currere.

8. *Illis inpuris*, scilicet propolis improbis. Conf. sup. sc. 5, vs. 10. *Adii manum*, frustratus sum. Conf. Cas. V, 2, 46; Pers. V, 2, 18; Pœnul. II, 1, 11. Eodem sensu dicitur « tangere aliquem ». N.

12. *Cordi ventrique*. Mirare sapientem virum, qui tam facile vetus illud animi et ventris dissidium composuerit. Certe sententiam Catonis : « ventrem, si esuriat, nusquam dicto audientem esse », tum Euclio damnavit. N.

13. *Adcessit animus*. At non venter, qui non persuasus, sed coactus, conticuit. Eo *animus* a *corde* differt, quod ille cupit, hoc sapit. N.

15. *Nunc thusculum*, etc. Prisc. « nunc thusculum emi hoc et cor. fl. » Dites magnifice deos venerentur; at Euclioni munuscula pauperum satis erunt. Etiam thuri parcet; dabitque thusculum. N.

16. *Nostro Lari*. Penatum et Larium sedes in privatis ædibus non una. Colebantur maxime in foco : item in cubiculo : sæpe in parte aliqua atrii; in compluvio, vel in porticu compluvio adjuncta. CAS.

20. *Aulam*. Proh! deum fidem! quænam vox aures Euclionis verberavit? Nunc certe aulam illam, quam vita cariorem habet absconditam, credit compilari. *Aulam* pro ollam. Vide nostram ad argument. Camerarii adnotationem. N.

22. *Nimirum obcidor*, etc. Vulgatæ « nimirum occidor, nisi ego intro huc propere propero currere »; quod laudat J. Gulielmus, quasi Plautus septenario trochaico iambicis inserto properationem senis exprimere voluerit. Sed anomaliæ ratio non satis constat, et malui lectionem Bipont. et Both. cui fere assentiunt MSS. N.

Apollo, quæso, subveni mihi, atque adjuva:
Confige sagittis fures thesaurarios:
Quoi in re tali jam subvenisti antidhac.
Sed cesso prius, quam prorsus perii, currere?

SCENA OCTAVA.

ANTHRAX (in domo Megadori.)

Dromo, desquama pisceis: tu, Machærio,
Congrum, murænam exdorsua, quantum potes:
Atque omnia, dum absum hinc, exossata fac sient.
Ego hinc artoptam ex proxumo utendam peto
A Congrione: tu istum gallum, si sapis,
Glabriorem reddes mihi, quam volsus ludiu'st.

24. *Apollo.* Apollinem invocat, ut ἀλεξίκακον et malorum depulsorem. Meurs.

25. *Confige sagittis.* Est enim jaculator Apollo: Græcis ἑκηβόλος, ἑκατηβελέτης, et ἕκατος, ἑκάεργος. Turneb.

1. *Machærio.* Gulielmus et Pareus contra plurimorum sententiam sic scribunt: « tu machærio Congrum ... exdorsua, etc. » Et *machærio* ponunt in sexto casu, tanquam sit cultelli genus, non servuli culinarii nomen. N.

2. *Exdorsua*, spinam dorsalem exime. *Quantum potes*, quam celerrime. Sic Terent. Andr. V, 2, 20; Adelph. III, 2, 72, et Noster passim. Horum autem fere similia audias imperia apud Terent. Adelph. III, 3, 22 seq. N.

3. *Atque omnia*, etc. Hic versus sua parte debetur Nonio, nam non habetur in MSS, præterquam *exossata fac sient*. Verum aut omnia me fallunt, aut *exossata fac sient*, est a glossa scribarum, ad illud *exdorsua*. Grut.

4. *Artoptam*. *Artopta*, utensile, sive testa assandis torrendisque panibus. Triplex enim panis erat, ex coquendi ratione: furnaceus, testuaceus, et artopticius. Turneb. — De hoc versu Plinius, Hist. Nat. XVIII, 11: « Artoptam Plautus appellat in fabula, quam Aululariam scripsit; magna ob id concertatione eruditorum, an is versus poetæ sit illius; certumque fit Ateii Capitonis sententia, tostum panem lautioribus coquere solitos; pistoresque tantum eos, qui far pinsebant, nominatos ». Lamb.

6. *Volsus ludius*. *Ludii* adolescentes erant tuniculas induti insignes, galeati et ensiferi, peltatique; qui omnibus Circensibus et theatralibus pompis in versum incedebant, ipsis velut pompæ duces, Saliis similes. Ludii ex eo vocati, quod a

Sed quid hoc clamoris oritur hinc ex proxumo?
Coci, hercle, credo, faciunt opficium suum.
Fugiam intro, ne quid heic turbæ fiat itidem.

Lydis hoc genus ludicri inventum, si Dionysio Halic. fides adhibetur. Eos vero sic dictos, quia ludis inservirent, alii sunt auctores magis probandi. Si qui eorum essent grandiusculi et jam vesticipes, vellebantur, glabrique reddebantur. TURN. — *Volsus*, id est, pilis lævis et glaber factus. TAUBM. — *Volsus ludiu'st.* Saltatores, quo lævior nitidiorque cutis sibi foret, evellendos corpore pilos curabant. Is deinde fuit etiam civium delicatiorum cultus. Conf. Lucil. apud Nonium v. *desquamor* : « Sador, subellor, Desquamor, punicor, ornor, Expilor, pingor ». Ad id *volsellis* utebantur. Cf. Plaut. Curcul. IV, 4, 21. N.

8. *Faciunt opficium suum*, id est, furantur; nam huic rei, æque ac coquendo dare operam solent. Similis jocus erga nequam servum in Asin. II, 2, 113 : « quin tu opficium facis ergo, ac fugis? » N.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

CONGRIO.

Optati civeis, populareis, incolæ, adcolæ, advenæ omneis,
Date viam, qua fugere liceat, facite totæ plateæ pateant.
Neque ego unquam, nisi hodie, ad Bacchas veni in Bacchanal coquinatum,
Ita me miserum et meos discipulos fustibus male contuderunt.
Totus doleo, atque oppido perii, ita me iste habuit senex gymnasium.
Neque ligna ego usquam gentium præberi vidi pulcrius :
Itaque omneis exegit foras, me atque hos, onustos fustibus.
At at, perii, hercle, ego miser! aperit Bacchanal, adest,

1. *Optati*, cari.—*Populareis*, ejusdem loci homines, δημόται. Sic Terent. Adelph. III, 1, 1 : « Obsecro, populares, ferte misero atque innocenti auxilium ». N.

2. *D. viam.* Sic monebant lictores populum magistratibus via decedere, « Date viam consuli ». Ern.

3. *Unq. nis. hod.* unq. æque ac h. N.—*Bacchanal coquinatum.* Veni in locum, in quo ad coquendum destinato, non jam sunt nisi furentes et bacchantes. Boxh. — *In Bacch.* locum, quo conveniunt Bacchæ sacra facturæ. Tit. Liv. XXXIX, 18: « omnia bacchanalia Romæ et per totam Italiam diruere ». In Bacchanal ad Bacchas, *auxesis*. N.

5. *Gymnasium.* Ita ego isti seni pro gymnasio fui, in quo se exerceret. Douza. — Sic *gymnasium flagri* Leonida Libanum appellat, Asin. II, 2, 3. N.

6. *Ligna ego usq. gentium præberi.* Quæsierat lignum scen. quinta; sed quod alio modo præberetur. Attamen non adeo totus dolet, ut verbis cavillari obliviscatur, et se fustibus onustum cum suis dicat ridicule. Forte alludit etiam ad morem præbendi lignum magistratibus iter facientibus. Conf. Horat. Sat. I, 5,

Sequitur : scio, quam rem geram : hoc ipsus magister me docuit.

SCENA SECUNDA.

EUCLIO, CONGRIO.

EUCL. Redi, quo fugis nunc? tene, tene. CONG. Quid, tu, stolide, clamas?
EUCL. Quia ad Treisviros jam ego deferam tuum nomen. CONG. Quamobrem?
EUCL. Quia cultrum habes. CONG. Hem cocum decet. EUCL. Quid conminatus
Mihi? CONG. Istuc malefactum arbitror, qui non latus fodi.
EUCL. Homo nullus est, te scelestior qui vivat hodie,
Neque quoi amplius de industria male plus lubens faxim.
CONG. Pol, etsi taceas, palam id quidem 'st : res ipsa testi 'st.
Ita fustibus sum mollior magis, quam ullus cinædus.
Sed quid tibi nos, mendice homo, tactio est? quæ res?

46. Similem ligni præbitionem queritur Sosia in Sosiis Rotrovii ultim. vss. « *Si le bois nous manquait, les dieux en ont pris soin; Ils nous en ont chargés, et plus que de besoin* ». N.

9. *Quam rem geram*, sc. fugiam. — *Ipsus magister.* Euclio ipse me docuit magister fugæ : nisi quis credat Congrionem dicere : « quum didici coquinariam, simul fugere, ut fures solent, edidici ab ipso (eodem) magistro ». N.

1. *Tene, tene.* Alium quemvis alloquitur, si quis obviam fuerit. Ita gallice : *arrêtez*, *arrêtez*. Conf. inf. IV, 9, 2. N.

2. *Treisviros.* Cf. I, 2, 5. N.

3. *Quia cultrum habes.* Metu efferato arma coquinaria videntur esse latronis tela. Itaque deprehensum in ædibus suis cum telo servum ad Tresviros deferet actione capitali. Hoccemodo non semel crimina conflata sunt. N.

8. Vulgatæ *miser* post *mollior*, non faventibus MSS. N. — *Cinædus.* « Cinædi, inquit Nonius, dicti sunt apud veteres saltatores vel pantomimi ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὰ κῶλα ». Deinde profert h. vs. Proprie cinædus significat mollem et impudicum. L.

9. *Quid tibi nos.... tactio est?* Quo jure nos tangis, verberas. Cf. Amph. I, 3, 21; Most. I, 1, 33, et h. Aul. IV, 10, 14.—*Quæ res?* quid est tibi, cur hoc modo agas? Cf. Cas. III, 6, 8. N.

EUCL. Etiam rogitas? an quia minus, quam æquom erat, feci?

Sine. CONG. At, hercle, cum malo magno tuo, si hoc caput sentit.

EUCL. Pol, ego haud scio, quid post fiat; tuum nunc caput sentit.

Sed in ædibus quid tibi meis nam erat negoti,

Me absente, nisi ego jusseram? volo scire. CONG. Tace ergo.

Quia venimus coctum ad nubtias. EUCL. Quid, malum! curas

Tu, utrum crudum, an coctum, edim; nisi tu mihi es tutor?

CONG. Volo scire, sinas, an non sinas, nos coquere heic cœnam?

EUCL. Volo scire ego item, meæ domi mean' salva futura?

CONG. Utinam mea mihi modo abferam, quæ adtuli, salva!

Me haud pœnitet: Tuane expetam? EUCL. Scio: ne doce, gnovi.

CONG. Quid est, qua prohibes nunc gratia nos coquere heic cœnam?

Quid fecimus? quid diximus tibi secus, quam velles?

11. *Si caput sentit*, si quid vividi sensus in meo capite inest. Quæ verba Euclio aliovorsum detorquet, i. e. ad sentiendum ictus. *Sentit* p. *senserit*. Hæc oratio non absimilis illi *si vivo*, quæ pollicitationi, vel comminationi inservit. Vid. Bacch. IV, 5, 6; 9, 112. N.

13. *Nam*, per tmesin ab *quid* separatum. N.

14. *Tace ergo*. Sine me loqui, neque semper obstrepe. N.

16. *Edim*, antiqui vulgo pro *edam*. Etiam Horat. Epod. III, 3. N.

20. *Me haud pœnitet*. Camerar. « meûm haud pœn. » Vulgo explicant: « Me h. p. meis rebus contentus vivo ». Sed præsens pro futuro ibi positum arbitror, et Congrionem dicere: « ego vero, si ea quæ ipse atluli in domum tuam, salva retulero, satis mihi erit (haud me pœnitebit). An tua pauperis expetam, velim subripere? » Cf. Ern. Ind. lat. Cic. « Pœnitere nos ejus rei dicimus eleganter, quæ parva est, qua contenti non sumus, etc. » Multa quoque exempla suppetunt apud Nostrum, Mil. III, 1, 144; Stich. IV, 1, 44, et Terent. Eunuch. V, 7, 12; Phorm. I, 3, 20. Alii scrib. *me h. pœnitet*, *tua ne expet*. i. e. adeo non expeto. N.

21. *Qua gratia?* quare? Cf. Curc. III, 85; Truc. Prol. 9. Pariter Virg. « Quo munere » Georg. IV, 520. N.

EUCL. Etiam rogitas, sceleste homo, qui angulos omneis
Mearum ædium et conclavium mihi perviam facitis?
Id ubi tibi erat negotium, ad focum si adesses,
Non fissile haberes caput : merito id tibi factum 'st.
Adeo ut meam sententiam jam gnoscere possis,
Si ad januam huc adcesseris, nisi jussero, propius,
Ego te faciam miserrumus mortalis uti sis.
Scis jam meam sententiam? quo abis? redi rursum. (egreditur)
CONG. Ita me bene amet Laverna, te jam, nisi reddi
Mihi vasa jubes, pipulo heic disferam ante ædeis.
Quid ego nunc agam? næ ego, edepol, veni huc auspicio malo.
Numo sum conductus : plus jam medico mercede opus est.

24. *Perviam facitis*, aperitis. *Perviam* adverbialiter, sicut obviam. Nota etiam : « sceleste homo, qui ... facitis ». Congrio turbam secum habet. Cf. sc. seq. 7. Amph. II, 2, 99 : « me... qui advecti sumus ». N.

25. *Ad focum*, etc. Ordo et sententia horum verborum est : « si ad focum assidue stares, ubi tibi erat id negotium, sc. coquendi, neque vagareris per domum scrutatus; non haberes caput contusum fustibus ». — *Fissile*, pro « fissum ». N.

30. *Quo abis*. Congrio abit domum Euclionis vasa quæsitum sua, sed eum senex revocat, et ipse thesaurum visere properat. N.

31. *Ita me bene amet*. Solemnis formula deos obtestandi. Quod æque valet atque illud : « Di me oderint, nisi, etc. » Sed veteres priore figura utebantur, ut malis et infaustis verbis parcerent. N. — *Laverna*. Hanc deam romani fures precabantur, ut instituta sua et consilia furandi ac mentiendi fortunaret. Horat. Ep. I, 16 : « pulchra Laverna, Da mihi fallere, da justum sanctumque videri ». Sic Græci eodem modo orabant τὴν Πραξιδίκην. Erat autem ea dea tantum caput sine reliquo corpore. SCAL.

32. *Pipulo*, etc. Id est, convicio, ut Varro interpretatur, de L. L. VI, sub finem, qui hunc versum laudat, et *pipulum* a pipatu pullorum deducit : at Festus : « pipatio, clamor plorantis lingua Oscorum »; qui tamen neque sic Varronem it infitias, si pullos *pipare* Osci dixerint. *Disferam*, i. q. diffamabo, Nonio exponente. Eadem nunc Congrio minatur, quæ aliis fabulis dicuntur « occentare ostium », et XII Tabb. « obvagulatum ire ob portum », i. e. ante domum. Nam cui testimonium deerat, ut in jus aliquem de rebus suis repetundis raperet, ei licebat tribus nundinis convicium et querelam ciere ante illius januam. N.

34. *Numo*. Numum esse didrachmum, ut in palliata, existimant eruditi viri. Sed Romani potuerunt intelligere denarium argenteum,

SCENA TERTIA.

EUCLIO, CONGRIO.

EUCL. Hoc quidem, hercle, quoquo ibo, mecum erit, mecum feram,
Neque istuc in tantis periclis unquam conmittam ut siet.
Ite sane nunc jam intro omneis, et coci, et tibicinæ.
Etiam introduce, si vis, vel gregem venalium.
Coquite, facite, festinate nunc jam, quantum lubet.
CONG. Temperi, postquam inplevisti fusti fissorum caput.
EUCL. Intro abi; opera huc conducta 'st vostra, non oratio.
CONG. Heus senex, pro vapulando, hercle, ego abs te mercedem petam.
Coctum ego, non vapulatum, dudum conductus fui.
EUCL. Lege agito mecum, molestus ne sis : i, et cœnam coque,
Aut abi in malum cruciatum ab ædibus. CONG. Abi tu modo.

octogesimam quartam libræ partem, ut docet Plinius. — *Plus jam medico*, etc. Ita compone orationem : « opus est plus (majore pecunia, quam numo) mercede (futura) medico. N.

1. *Hoc*. Fert secum aululam. N.

4. *Vel gregem venalium*, i. e. servorum, qui plerique fures. Sic Hor. Sat. I, 1, 47, « venales inter » pro « servos ». N.

5. *Facite*. Vet. cod. habet *facessite*, vocem hic nihili. Ego gestio legere *farcite*, quod verbum est coquinarium, et huic loco aptissime quadrat. Gloss. vetus, *farcit*, νάσσει. DISSALD.

6. *Temperi*, vetus, i. q. in tempore, mature, opportune. Gall. *il est bien temps*. N. — *Inplevisti fusti fissorum caput*. Plenum vulnerum caput fuste reddidisti. *Fissa* sunt vulnera. Conf. sup. sc. 2, vs. 25. GRON. — At Camer. et ed. Bipont. « implevisti fustibus istorum caput ». N.

10. *Lege agito mecum*. Tanquam dicat : i ad prætorem de me questum, si voles. Ne mihi obtunde aures. Formula dicendi, qua quis alterius contemnebat minas et convicium. Cf. Mil. gl. II, 5, 43. — *I, et c. coq*. Noster MS, *aut c. c.* N.

11. *Abi in malum cruciatum*. In malam crucem Latini jubebant importunum quemque abire, ut Græci ἐς κόρακας, ut novæ legis homines *ad Diabolum*. — *Abi tu modo*, istuc, quo me mittis. N.

SCENA QUARTA.

EUCLIO.

Illic hinc abiit. Di inmortaleis, facinus audax incipit,
Qui cum opulento pauper cœpit rem habere, aut negotium,
Veluti Megadorus tentat me omnibus miserum modis:
Qui simulavit, mei honoris mittere huc causa cocos,
Is ea causa misit, hoc qui subriperent misero mihi.
Condigne etiam meus me intus gallus gallinaceus,
Qui erat anui peculiaris, perdidit pænissume.
Ubi erat hæc defossa, obcœpit scalpurire ibi ungulis
Circumcirca: quid opu'st verbis? ita mihi pectus peracuit:
Capio fustem, obtrunco gallum, furem manifestarium.
Credo ego, edepol, illi mercedem gallo pollicitos cocos,
Si id palam fecisset: exemi e manu manubrium.
Quid opu'st verbis? facta 'st pugna in gallo gallinaceo.

6. *Condigne*, i. q. bene, irascentis ironia. Cf. Captiv. III, 2, 8. N.

7. *Peculiaris.* In peculio ancillæ Staphylæ. Asin. III, 1, 37. — *Pænissume*, i. e. pæne nihil abfuit, quin me perderet. Lips. — Cf. Priscian. III, 4, 23; XV, 2, 9. A *pæne* adverbio, inquit, superlativum protulit Plautus in Mostellar. III, 1, 127. N.

8. *Hæc*, aula. N. — *Scalpurire*, id est, scalpere. Nam frequentativa verba interdum ponebantur pro primigeniis. Voss.

9. *Ita mihi pectus peracuit.* Gron. censet scribendum «ira m. p. p.», deducens *peracuit* a *peracuere*. Sed oritur a *peraceo*, *peracesco* intransitivis. Et Lambinus sententiam rectius constituit: «peracre factum est, i. e. acerrima ira incensum». Et Plautus more suo dixit: «ita m. p. peracuit: Capio fustem», pro «adeo pectus peracuit, ut ceperim fustem». N.

11. *Mercedem gallo poll. coc.* Corruptela hæc illi similis, quam notissimus quidam judex in nostrate scena criminatur: *Il disait qu'un plaideur, dont l'affaire allait mal, Avait graissé la patte à ce pauvre animal.* N.

12. *Exemi e manu manubrium.* Id olet proverbium, quo quis se inimico, vel metuendo homini auxilium, aut adminiculum eripuisse fatebatur. Et nunc, quod gallum furandi ducem furibus ademerit, Euclio se jactat.

13. *Facta 'st pugna in gallo.* Confectus est pugna gallus. Forte hanc locutionem bellicam senex usurpa-

Sed Megadorus, meus adfinis, eccum incedit a foro.
Jam hunc non ausim præterire, quin consistam et conloquar.

SCENA QUINTA.

MEGADORUS, EUCLIO.

MEG. Narravi amicis multis consilium meum
De conditione hac: Euclionis filiam
Laudant: sapienter factum et consilio bono.
Nam, meo quidem animo si idem faciant ceteri,
Opulentiores pauperiorum filias
Ut indotatas ducant uxores domum:
Et multo fiat civitas concordior,
Et invidia nos minore utamur, quam utimur:
Et illæ malam rem metuant, quam metuunt, magis:
Et nos minore sumtu simus, quam sumus.
In maxumam illuc populi partem est optumum.
In pauciores avidos altercatio 'st:
Quorum animis avidis atque insatietatibus,

vit, ut in ambiguo luderet; nam Galli hostes vel ipsi, vel fama semper aderant. N.

2. *Conditione*. Cf. II, 2, 60. N.

5. *Opulentiores*. Hanc sententiam e Plat. lib. VI de Rep. expressam, notat P. Victor. ERN.

9. *Malam rem*, non, ut docti quidam existimant, malas artes, vitia, sed malum, pœnam, divortium. Vid. inf. IV, 6, 15. Cf. Casin. II, 2, 35: « Semper tu huic verbo vitato abs tuo viro. — Cui verbo. — I foras, mulier ». Nempe ea est mala res, quam uxores metuunt. Alias *res mala* est quodcumque infortunium. Conf. inf. IV, 6, 15. Most. III, 2, 11. N.

10. *Minore sumtu simus*. Minorem sumptum faciamus, quando uxores frugi magis essent et cultu non splendidæ. L.—Cf. II, 1, 45, seq. N.

12. *In pauciores*. Sententia est: Non est dubium, quin, si fiat quod dico, major pars populi probatura sit. Restant nunc pauci locupletes et avari, quibuscum controversia mihi futura est, qui hoc certe non probabunt. LAMB.

13. *Insatietatibus*. Hujusmodi nominibus in figura multitudinis Plautus gaudet. Cf. Asin. II, 2, 16. N.

Neque lex, neque tutor capere est qui possit modum.
Namque hoc qui dicat: Quo illæ nubent divites
Dotatæ, si istud jus pauperibus ponitur?
Quo lubeat nubant; dum dos ne fiat comes.
Hoc si ita fiat, mores meliores sibi
Parent, pro dote quos ferant, quam nunc ferunt.
Ego faxim muli, pretio qui superant equos,
Sient viliores Gallicis cantheriis.
EUCL. Ita me di amabunt, ut ego hunc ausculto lubens.
Nimis lepide fecit verba ad parcimoniam.
MEG. Nulla igitur dicat: equidem dotem at te adtuli
Majorem multo, tibi quam erat pecunia.
Enim mihi quidem æquom 'st purpuram atque aurum dari,
Ancillas, mulos, muliones, pedisequos:
Salutigerulos pueros, vehicula, quî vehar.
EUCL. Ut matronarum hic facta pergnovit probe!

14. *Tutor*, præses, magistratus. N. — *Capere*, id est, concipere, seu constituere. Douza. — Palmer. legit *cavere*, quod et Meursio placet. Ern.

15. *Namque hoc qui dicat*. Oratio est suspensa, et prospicit ad hæc subintellecta in v. 17: « ei respondeam ». Valet igitur « si quis dicat ». — *Quo illæ nubent*. Male Meursius mutat *quoi*, nam *quo* est *in quam domum*. Gronov.

17. *Dum dos ne fiat comes*. Dummodo transeant uxores in mariti domum sine dote, quæ malesuada est. Mox enarrabit dotatarum superbiam et luxuriam. Conf. quoque Asin. I, 1, 74; Menech. V, 2, 16. Nævius in Tabellaria: « dotem ad nos nullam adtollat ». N.

20. *Faxim* abundat, ut sæpe. N. — *Muli*. Mulis mulabusque plurimum usi sunt veteres, ad carrucas trahendas, quibus plerumque insidebant honestiores matronæ. Vid. Martial. lib. III, epigr. 62: « Aurea quod fundi pretio carruca paratur, Quod pluris mula est, quam domus empta tibi ». Taubm.

21. *Cantheriis*. Cantherius, hoc distat ab equo, quod maialis a verre, capus a gallo, vervex ab ariete. Fest.

26. *Enim*, scilicet, igitur. Mil. gl. IV, 2, 27; Trin. V, 2, 10. — *Aurum*, ornamenta aurea. Gall. *bijoux*. Cf. h. Aul. IV, 10, 18. Terent. Eunuch. IV, 2, 13: « aurum sibi clam mulier demit ». N.

28. *Salutigerulos*, puer qui salutem, heri nomine, et cetera fert mandata. Glossar. *Salutigerulus*, ἐπιστολίπτης. — *Quî*, adv. qua ratione, pro « quibus ». N.

Moribus præfectum mulierum hunc factum velim.
MEG. Nunc, quoquo venias, plus plaustrorum in ædibus
Videas, quam ruri, quando ad villam veneris.
Sed hoc etiam polcrum 'st, præ quam ubi sumptus petunt.
Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius:
Caupones, patagiarii, indusiarii,
Flammearii, violarii, carinarii,
Aut manulearii, aut murobathrarii,

30. *Moribus præfectum.* Sequitur Plautus græcam consuetudinem: ab iis enim creari soliti sunt magistratus, qui mulierum ornatui præessent. Vide P. Victor. lib. XXI, 6. TAUBM. — Conf. Cic. de Rep. IV, cap. 6. N.

31. *Plus plaustrorum in ædibus*, etc. Rustica quidem tunc Romanorum opulentia et luxuries. N.

32. *Polcrum 'st*, probum, non vituperandum. N.

33. *Præ quam*, i. e. præ eo, quod fit, quum creditores aut artifices pecuniam sibi petunt. Cf. Amphitr. II, 2, 3. LAMB.

34. *Stat*, adest petens sumptum. —*Phrygio*, acupictor. Nonius, I, 10: « Phrygia vestis picta est, ejusque artifices Phrygiones appellantur ». Et citat hoc Titinii in Barbato: « Phrygio fui primo, beneque id opus scivi; reliqui acus aciasque hero atque heræ nostræ ». Plin. Hist. Nat. VIII, 48: « aut id facere Phryges invenerunt, ideoque Phrygiones appellati sunt ». Conf. Isid. Orig. XIX, 22. N.

35. *Caupones.* Caupones non sunt, qui vinum vendunt; sed nomen habent generale a copiis; ut sint mercatores et institores patagiorum, indusiorum, flammeorum, violacei panni, et cerini. TURN. — *Patagiarii.* Festus: « Patagium est, quod ad summam tunicam assui solet; quæ et patagiata dicitur, et patagiarii, qui ejusmodi opera faciunt ». Nonius patagium enarrat « Chlamydem auream, quæ vestibus pretiosis immitti soleret ». Sed error in eo est aut grammatici, aut librariorum; et recte Scalig. censet Nonium debuisse scribere patagium fuisse idem mulieribus, quod viris clavum, quæ erat plagula ab humeris demissa in pectus, clavis aureis consita, in senatoria veste latioribus, in equestri angustioribus. — *Indusiarii.* « Indusium est, inquit Nonius, quod corpori intra plurimas vestes adhæret, quasi intusium ». N.

36. *Flammearii.* Flammearium hic interpretor, qui flammeo, sive rubro colore vestes tingit. H. JUN. — Assentior Junio, licet Nonius edisserat hæc: « *flammeus*, vestis, vel tegmen, quo capita matronæ tegunt »; et laudet hunc Aul. versum. N. — *Violarii.* Qui vestes violæ colore inficiunt. LAMB. — *Carinarii.* Qui cerino colore pannum inficiunt: nam *cera* dorice καρὸς dicitur, quæ alias κηρός. TURN.

37. *Manulearii.* Qui manuleas, id est, tunicarum manicas vendunt: hinc *manuleata tunica*, Pseud.

Propolæ, linteones, calceolarii,
Sedentarii sutores, diabathrarii,
Solearii adstant, adstant molochinarii,
Petunt fullones, farcinatores petunt.
Strophiarii adstant, adstant semizonarii.
Jam hosce absolutos censeas : cedunt, petunt
Treceni, constant phylacistæ in atriis,

II, 4, 48. — *Murobathrarii.* Sic legunt omnes libri; pro quibus, *malobatrarii* magis placuere doctis viris : mihi *murobractarii* magis arrident, pro myrobrectarii, qui μυροβρέκται Græcis. Ita *bractare* verbum ἀπὸ τοῦ βρεκτοῦ finxerunt, quod humectare et madefacere significet; et idem plane, quod βρέχειν. Hi calceamenta muliebria unguentis, odoribus et suffimentis imbuebant. Salm. et Turn.

38. *Propolæ*, sunt qui merces minore pretio emptas majore pretio postea divendunt. Græce μεταπράτης. Gallice *marchands détaillants*, *revendeurs*. N. — *Linteones.* Linteones, qui lintea texerent; lintearii, qui venderent. Popma.

39. *Sedentarii sutores.* Omnes, qui hunc locum explicant, epitheton ad opificum habitum pertinere affirmant, siquidem sutores sedendo sunt. Ego opinor eo significari genus operis, scilicet sutrinam calceorum ad sedendum, quos geras, dum maneas domi, in cubiculo, ut diabathrarii sunt confectores calceorum ad deambulandum, utpote a διαβαίνω. N. — *Diabathrarii.* Fest. « Diabathra genus solearum græcanicarum » : hinc diabathrarii, qui eas faciunt et divendunt. Turn.

40. *Molochinarii.* Nonius : « Molochium, a græco, color est flori similis malvæ. Plautus in Aulular. Infectores molochini coloris molochinarios appellavit ». Lamb.

41. *Sarcinatores*, qui vestes reparant. Gall. *raccommodeurs.* Et hi quidem commode post fullones, qui easdem detergunt, et creta candefaciunt. N.

42. *Strophiarii.* Nonius : « Strophium fascia brevis, quæ virginalem papillarum tumorem cohibet ». Hinc *strophiarii*, earum fasciarum opifices. Taubm. — *Semizonarii.* Qui zonulas minus dimidio latas, quam justa zona est, faciunt; hic tum scilicet aliquis cingulorum modus. Turn. et Taubm.

43. *Absolutos*, dimissos; sed in oratione ellipsis, quam sic interpretandam arbitror : quum his pecuniam dederis, credas absolutam rem esse. Cf. v. 51. N.

43, 44. *Cedunt*, *petunt Treceni*, *constant*, etc. Hanc lectionem Bothii recipio. Vulgatæ : « cedunt, petunt. Treceni quum stant, etc. » Quæ oratio impedita et obscura. Namque necesse est, ut verbis *cedunt*, *petunt* subdas *alii.* Et Gronovius vult emendari *quum stant* ita : *ceu stant.* Sed Bothii emendatio probabilior, et planior sententia. *Cedunt* pro composito *incedunt*, adveniunt. Inf. v. 47, et Asin. II, 3, 25. Cf. Nonius v. *cedere*. N. — *Phy-*

Textores, limbolarii, arcularii
Ducuntur : datur æs : jam hosce absolutos censeas,
Quom incedunt infectores crocotarii;
Aut aliqua mala crux semper est, quæ aliquid petat.
EUCL. Conpellem ego illum, ni metuam ne desinat
Memorare mores mulierum : nunc sic sinam.
MEG. Ubi nugigerulis res soluta 'st omnibus,
Ibi ad postremum cedit miles, æs petit.
Itur, putatur ratio cum argentario.
Inpransus miles adstat, æs censet dari.

lacistæ. Phylacistæ, sunt qui servos in custodia et ergastulo servabant: ut Captiv. III, 5. Hic, per translationem, artifices intelliguntur, qui manupretium, vel mercis mercedem flagitant: qui, quod in atriis diutius exspectant, custodes et phylacistæ appositi videntur. TURN.

45. *Limbolarii*. Nonius leg. « Textores limborarii » : ut a *limbo* et *ora* deductum sit : et sane, nihil aliud sunt limbolarii, quam qui limbo oras vestium pingunt, sive prætexunt. J. GUL. — *Arcularii*, qui faciunt arculas, ubi mundus muliebris servatur. Cf. Most. I, 3, 91; Menæch. V, 2, 52. N.

46. *Ducuntur: datur*. Hæc verba, quæ versui 45 in vulgatis adsui solent, et hypermetrum, vel potius innumerum faciunt, huc transtuli, suadente Bothio, sed ille *hosce* delet quod retinui, quum possit prior *o* per ecthlipsin elabi in *absolutos*, vel malim τὸ *jam* eradi, si aliquid eradendum. *Ducuntur*, scil. ad trapezitam, seu argentarium. Conf. Asin. I, 1, 113; II, 4, 32. N.

47. *Infectores crocotarii*. Nonius : « Crocota, genus vestis crocei coloris ». Epid. II, 2. ERN.

48. *Aliqua mala crux*, i. e. fures cruce digni. Ut *carcer* pro « carcere dignus », *stupor* pro « stupidus », *ventres* pro « ventri dediti », apud Terent. Catull. Lucil. N.

51. *Nugigerulis*. Nonius hunc laudat versum ita : « ubi nugivendis res, etc. » Et addit: *nugivendis* Plautus dici voluit omnes eos, qui aliquid mulieribus vendant; nam omnia, quibus matronæ utantur, nugas voluit appellari. LAMB. — Retinenda lectio *nugigerulis*. Cf. Bacch. III, 1, 14. N.

52. *Cedit*. Vide sup. 43. *Miles*, metonymice pro eo, qui æs militare, tributum, poscit. Tribunos ærarios, qui hanc pecuniam administrarent, dictos Varro docet, hunc laudans versum, de L. L. IV, in fine. Tributum, unde stipendia erogarentur militibus, indici cœpit ann. U. C. 350. Conf. Tit. Liv. IV, 60. N.

53. *Itur*, *putatur ratio*. It vir, a quo tributum poscitur, ad argentarium, apud quem pecunias collocatas habet suas; rationem deducunt collocati et recepti. N.

54. *Inpr. miles*. Dum exspectant ærarii collectores, ipse quasi miles

Ubi disputata est ratio cum argentario,
Etiam plus ipsus ultro debet argentario.
Spes prorogatur militi in alium diem.
Hæc sunt atque aliæ multæ in magnis dotibus
Incommoditates, sumtusque intolerabileis.
Nam, quæ indotata 'st, ea in potestate est viri;
Dotatæ mactant et malo et damno viros.
Sed eccum adfinem ante ædeis : quid ais, Euclio?

SCENA SEXTA.

EUCLIO, MEGADORUS.

EUCL. Nimium lubenter edi sermonem tuum.

impransus adstat. *Censet dari*, sperat datum iri. Cf. h. Aulul. I, 2, 30. N.

56. *Ipsus ultro*, nedum residuam reperiat pecuniam, quam exigat ab argentario, ipse illi prior resolvat aliquid necesse est. N. — *Debet argentario.* Post hunc versum e Nonio talem insero : «Pro illis crocotis, strophiis, sumptu uxorio». Qua accessione sententia perspicue juvatur. Ait enim, post absolutos nugivendos istos, et mundi muliebris instructores, tandem ut sua quoque nomina militi expediat, adire trapezitam : at ratione ducta, etiam ultro æs alienum apud eum sibi reperire, quod conflarint nomina exsoluta pro crocotiis, strophiis, ceteris uxoris suæ ornamentis: ideo necessario militi diem differri, quum illis pecunia repræsentata sit. J. GUL.

60. *Nam*, scilicet. Vide sup. *enim* vs. 6. N.

61. *Mactant*, i. e. magis augent viros malo et damno : *malo*, quia viros in servitutem redigunt : *damno*, quia sunt sumptuosæ. Jam *augere damno* latine dicitur. Terent. Heaut. «herus damno auctus est». LAMB. — *Mactus* verbum est antiquum, servatum in formula, «macte virtute esto», qua virtutem alicujus, re bene gesta, laudabant. Inde *mactare* in utramque partem. Proprium autem sacrorum est : deos enim augeri putabant sacrificiis, quibus eos *mactare* se dicebant, et inde etiam ipsa sacrificia *mactari* dicebantur. Conf. Amphit. IV, 2, 14. GRON. *

62. *Quid ais?* tum convenienti Euclionem commodum esset magis dicere: «quid agis?» Vid. sup. I, 2, 39. At vel sic non interrogat eum de antedictis. Cf. IV, 9, 7. N.

1. *Edi sermonem.* Dictum more vetustissimi sæculi, quod indiciis minime quidem raris agnoscit matrem et suam et omnium linguarum hebræam. Jerem. cap. 15. v. 16 : «Inventi sunt sermones tui, et

MEG. Ain'? audivisti? EUCL. Usque a principio omnia.
MEG. Tamen,
E meo quidem animo, aliquanto facias rectius,
Si nitidior sis filiæ [in] nubtiis.
EUCL. Pro re nitorem, et gloriam pro copia.
Qui habent, meminerint sese, unde oriundi sient.
Neque, pol, Megadore, mihi, neque quoiquam pauperi,
Opinione melius res structa 'st domi.
MEG. Imo est, et dii faciant uti siet,
Plus plusque istuc sospitent, quod nunc habes.
EUCL. Illud mihi verbum non placet: « Quod nunc habes ».
Tam hoc scit me habere, quam egomet : anus fecit palam.
MEG. Quid tu te solus e senatu sevocas?

comedi eos, etc. » GOLDSTAD. — *Edi*. Edere sermonem pro « attente audire », ejusdem generis est atque Mostell. V, 1, 15, « gustare ejus sermonem volo »; et Pœnul. V, 2, 9. Asin. III, 3, 59 : « devorare orationem, dicta ». LAMB.

2. *Ain'?* hoc ais? Gall. *oui-da?* N.

4. *Filiæ (in) nuptiis*. Vulgat. non ferunt *in*. Ed. Bipont. *filiai in nup.* sed constat versu non eliso *æ*, quod sexcenties Plauto licuit. N.

5. *Pro re nitorem*... Ellipsis. Nitorem (cuique esse oportet) pro re (ut fert res familiaris) et gloriam (magnificentiam) pro copia (secundum opes). LAMB.—Hanc malo lectionem Grutero acceptam, quam Gronovii et aliorum deinceps, qui delent distinctionem post *copia*, et orationem continuant in sequentem versum sic : « pro re nit. et gl. p. copia qui habent, etc. » Sententia brevior per ellipsin ad proverbium magis facit. Et verbum *habere* absolute pro *divitem esse* egregie latinum. « Qui habet, ultro appetitur; qui pauper est, aspernatur ». Fragm. Cic. ep. ad C. Nepotem. N.

6. *Qui habent, meminerint*, etc. Divites cultum, qui deceat locum, unde orti sint, gerere ne omittant. Quasi dicat : « tuum est sumptus facere ». N.

7. *Neque, pol, Megadore, mihi, neque*, etc. Ut cuique pauperi, sic mihi mala res est domi, ut videtur, non melior, quam vulgo opinantur. Vide quanta cum sollicitudine laboret se pecuniosum dissimulare, et metu trepidet. N.

8. *Res structa*, collectæ opes. N.

9. *Imo est*, at contra, et bene tibi structa res familiaris. En, quod humane et comiter Megadorus dixit, ne Euclio se nimium spernat, hoc metum suspiciosi senis acuit : namque videtur ille aurum subodoratus. N.—*Siet*. Ed. Bip. addit de suo *diu* supervacue: nam nulla elisione facta versus constat. N.

13. *E senatu sevocas?* A conventu nostro. I. e. quid recedis a me solus? quia solus secum Euclio loqui-

EUCL. Pol, ego te ut adcusem, merito meditabar. MEG.
Quid est?
EUCL. Quid sit, me rogitas? qui mihi omneis angulos
Furum inplevisti in ædibus misero mihi:
Qui intromisisti in ædibus quingentos cocos,
Cum senis manibus, genere Geryonaceo:
Quos si Argus servet, qui oculeus totus fuit,
Quem quondam Ioni Juno custodem addidit,
Is nunquam servet: præterea tibicinam,
Quæ mihi interbibere sola, si vino scatet,
Corinthiensem fontem Pirenem potest.
Tum opsonium autem! MEG. Pol, vel legioni sat est.
Etiam agnum misi. EUCL. Quo quidem agno sat scio
Mage curionem nusquam esse ullam beluam.

tur. Scilicet ambo confabulantes senatus erant. Tralatio usitata Plauto, Mostell. V, 1, 8; Mil. gl. II, 6, 109, 111. N.

18. *Geryonaceo*. Geryon, rex Hispaniarum: fingitur a poetis tricorpor, habens terna capita, sex manus, totidemque pedes. TAUBM.

19. *Oculeus*. Apul. Met. II: «perspicaciorem ipso Lynceo, vel Argo, et oculeum totum». N.

20. *Quem quondam*, etc. Hunc versum suspicer enatum e glossa, quam prisci librarii ad metricam rationem deformaverint, nisi eumdem proferret e Plauto Prisc. VI, 4, 18. Plautus hæc ignorantiæ plerorumque spectantium dederit. N.

21. *Is nunquam servet*. Nunquam satis vigilans ubique adsit. Cf. sup. II, 6, 2. N.

22. *Interbibere*, id est, *totum ebibere:* ut *intercipere*, totum capere. DONAT. — *Si vino scatet*, etiamsi vino scateat. Vult Lambinus *scatat*. *Scatet* fere omnes edd. seu in futuro ponatur a *scato*, *is*, seu librarii contraxerint *scateat*, ut iambus fieret; possit vero et *scateat* iambum præbere, redacto ad unam syllabam *eat* per synæresin. N.

23. *Pirenem*. Pirene fons est Musis consecratus: quem Probus in Helicone collocat: Strabo autem sub Acrocorintho cum omnibus Geographis. Cf. Ovid. Metam. II, 240. TAUBM.

24. *Tum opsonium autem!* Certe subintelligendum est, *potest absumere sola tibicina;* ut, fontem interbibere. Propterea respondet Megadorus, eam non posse, etiamsi sit maxima esitatrix; quia, quod ipse misit, etiam *leoni,* aut si mavis, *legioni* satis esse possit. DISSAL.

26. *Curionem*. Edd. omnes *curiosam*. Sed hoc non satis commode cum seq. versu consonat. Præterea audiendus est Festus: «Curionem

MEG. Volo ego ex te scire, qui sit agnus curio.
EUCL. Qui ossa atque pellis totu'st, ita cura macet.
Quin exta inspicere in Sole etiam vivo licet,
Ita is perlucet, quasi laterna Punica.
MEG. Cædundum illum ego conduxi. EUCL. Tum tu idem, optumum st,
Loces ecferendum: nam jam, credo, mortuu'st.
MEG. Potare ego hodie, Euclio, tecum volo.
EUCL. Non potem ego quidem, hercle. MEG. At ego jussero
Cadum unum vini veteris a me adferrier.
EUCL. Nolo hercle: nam mihi bibere decretum 'st aquam.
MEG. Ego te hodie reddam madidum, sed vino, probe,

agnum Plautus pro macro dixit, quasi cura macruisset». Curio autem et sacerdos curiæ fuit, qui sacra pro curia faceret. N.

28. *Macet*, i. e. macie confectus est. TAUBM.

30. *Laterna Punica*. Laternæ Punicæ præ cæteris pellucidæ, fortassis quia multæ eboreæ, ut apud Africam gentem. N.

31. *Cædundum*, immolandum. Sic Nonius interpretatur, h. vers. laudans. E visceratione autem convivium. N. — *Conduxi*. Cum Nonio recte interpretantur *emi;* ne cum Lambino necesse sit scribere, *locavi*. Sed proprie loquitur Plautus. *Locator* enim, qui dat utendum, fruendum, faciendum: *conductor* qui accipit. Adi Cujacium Observ. II, 28. Dabant autem agnos cædundos lanii, unde et *locare* dicuntur. Captivis, IV, 2, 39. Accipiebant obsonatores: ergo *conducebant*. Vide et Observ. I, 20. GRONOV. — Et alias quoque Plauto conductores sunt, qui pretio sumunt aliquid utendum. Asin. Prol. 3. Vide et sup. II, 4, 1. N. — *Loces ecferendum*, ad sepulturam. « Utinam sic ecferamur », Asin. III, 3, 25; « effertur; imus », Terent. And. I, 1, 90. Scurratur Euclio in verbo *exsequiarum* solemni ad pecudem tralato. N.

34. *Non potem*. Figura, qua optativum græcum redditur, i. e. nolo bibere. N.

35. *A me*: Ponitur pro « e domo mea ». Stich. V, 1, 7. Sic Cic. pro Milon. « Atque illo die Aricia rediens divertit Clodius ad se in Albanum », id est, in villam suam in Albano. Idem ad Terentiam: « Quid causæ inde fuerit, postridie intellexi, quam a nobis discessi ». Et sic Noster sæpius. GRONOV.

37. *Sed vino*. Cam. et Pall. *si vivo*, formula usitata, cf. Bacch. IV, 9, 111. At potius: « sed vino ». *Probe*, commode, pulchre, valde. Nam Megadorus censet aqua madefieri, incongruum, præsertim festo die. Ludit in ambiguitate nominis *madidus*, qui nunc opponitur sobrio, nunc simpliciter enarratur. N.

Te, quoi decretum 'st bibere aquam. EUCL. Scio, quam rem agat.
Ut me deponat vino, eam adfectat viam:
Post hoc, quod habeo, ut conmutet coloniam.
Ego id cavebo, nam alicubi abstrudam foris.
Ego faxo, et operam et vinum perdiderit simul.
MEG. Ego, nisi quid me vis, eo lavatum, ut sacruficem. (abit.)
EUCL. Edepol, næ tu, Aula, multos inimicos habes,
Atque istuc aurum, quod tibi concreditum 'st.
Nunc hoc mihi factum 'st optumum, ut te abferam,
Aula, in Fidei fanum: ibi abstrudam probe.
Fides, novisti me et ego te: cave, sis, tibi,
Ne tu in me mutassis nomen, si hoc concreduo.
Ibo ad te, fretus tua, Fides, fiducia.

39. *Me deponat vino*. Me vino cupit eo deducere, ut nihil differam a deposito, et vix animam ducente. GRUT.—Etenim mortui *positi*, *compositi*; et *depositi* dicebantur, qui in agone erant, vel animam agebant. Lucil. « Jam depositus bubulcus », exhalans animam. Virgil. Æneid. XII, 395: « Ille ut depositi proferret fata parentis ». Ovid. Trist. III, 3. GRONOV.*

40. *Post*, deinde. — *Coloniam*, locum. Tralatio a coloniarum deducendarum consuetudine. LAMB.

43. *Nisi quid me vis*. Comitas sermonis in discessu. Quum duo vel plures confabulati essent, qui abire volebat, ut amice digrederetur, rogabat alios « num quid vellent (ex) se », aut « nisi quid (ex) se vellent », se profitebatur abiturum. Cf. sup. II, 1, 53, 2, 85; Asin. I, 1, 95. N. — *Lavatum, ut sacruf.* Servius Æn. III: « Apud Veteres neque uxor duci, neque ager arari sine sacrificiis peractis poterat ». Vide notas Amphit. act. V, sc. 1. ERN.

46. *Factum 'st optumum*. Ex formula solemni edictorum. DOUZA.—Scribunt ed. Bip. et Both. « factu est optumum ». N.

47. *In Fidei fanum*. Olim moris fuit, ut in ædibus sacris pecuniæ deponerentur. Unde ærarium *Romanum* erat in æde *Saturni*, argentarii in *foro*. LONG.

48. *Sis* p. si vis. N.

49. *Ne tu in me*, etc. Ne fias in me infidelis: ut tibi pro *Fdei* nomine, *Perfidiæ* aut *Infidelitatis* nomen sit imponendum. TAUBM.—*Concreduo*. Apud Antiquos *creduo* et *credo* promiscue. N.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

STROBILUS*.

Hoc est servi facinus frugi facere, quod ego persequor :
Nec moræ molestiæque inperium herile habeat sibi.
Nam qui hero ex sententia servire servos postulat,
In herum matura, in se sera, condecet capessere.
Sin dormitet, ita dormitet, servom sese ut cogitet.
Nam qui amanti [hero] servitutem servit, quasi ego servio,
Si [herum] videt superare amorem, hoc servi esse opficium reor,
Retinere ad salutem : non eum, quo incumbat, eo inpellere.

* *Strobilus*. Hic servus Lyconidæ adolescentis alius est atriensi Strobilo Megadori, qui coquorum pompam duxit, II, 4, neque se scire quidquam de amore Lyconidæ significavit. Quod autem duo uno nomine in eadem fabula appellentur, id errori librariorum, qui nomina differentia, Strabacem, Strobilum, Stratonem eodem compendio (STR.) scripta confuderint, non imputandum est, imo Plauti incuriæ, qui priorem Strobilum, II, 2, 86, alterum IV, 7, 16, V, 1, 5, diserte nominat; nisi quis ex his versibus insititius fuerit. N.

1. *Hoc est servi*, etc. Alium servum sibi suam diligentiam gratulantem audi, Most. IV, 1. N.

2. *Nec*. Malim *ne*. « Officium servi frugi facere hoc est, *ut* imp. her. *non* habeat moræ ». N.

3. *Ex sententia* heri. Lamb.

4. *In herum matura... capessere*. Herilia priusquam sua curare. N.

5. *Sin dormitet*, etc. Nunquam ita quieti indulgeat, ut obliviscatur se servum esse, qui nimis diu quiescere impune non possit. N.

6. *Nam*. Hic discretiva particula est, i. q. autem. *Hero*, sicut in versu seq. *herum*, videntur Bothio irreptitia, quippe quæ metrum non capiat; et, si desint, fiat ellipsis apud Plautum non insolens. N.

7. *Herum super. amorem*, herum devinci amore. Videtur hic servus fuisse adolescentis pædagogus. N.

8. *Quo incumbat*. Non adjuvare ejus amentiam. Cicero : « Satis est

Quasi pueri qui nare discunt, scirpea induitur ratis,
Qui laborent minus; facilius ut nent, et moveant manus:
Eodem modo servom ratem esse amanti hero æquom censeo,
Ut toleret, ne pessum abeat, tamquam** .
Herile inperium ediscat, ut, quod frons velit, oculi sciant.
Quod jubeat, citis quadrigis citius properet persequi.
Qui ea curabit, abstinebit censione bubula.
Nec sua opera rediget unquam in splendorem conpedes.
Nunc herus meus amat filiam hujus Euclionis pauperis:
Eam hero nunc renunciatum 'st nubtum huic Megadoro dari.
Is speculatum huc misit me, ut, quæ fierent, fieret particeps.

homines imprudentia lapsos non erigere: urgere vero jacentes, aut præcipitantes impellere, certe est inhumanum». Lamb.

9. *Quasi pueri qui*, etc. Lambinus et ed. Bip. dant *pueris*, quo concinnior procedat oratio. Sed repugnant MSS et excusi lib. Imo illius modi inconcinnitas ingenio sermonis Plautini aut potius usu vulgaris familiarissima. Cf. Mostell. I, 3, 93. N. — *Scirpea ratis*. Scirpum Grammatici interpretantur «id quod in palustribus locis nascitur leve ac procerum, unde tegetes fiunt». Hoc est, φλοῦς Græcorum. Inde *scirpea ratis* hoc loco ἡ φλοΐνη. Nihil rectius et enodius hoc junco; unde proverbium, «nodum in scirpo quærere». Ex scirpi cortice, tegetes quoque et alia vitilia texebantur. Detracto cortice, medulla interior candelis faciendis serviebat, cera circumdata. Salm.

12. *Ut toleret, ne pessum abeat, tanquam*. Libri hæc scribunt sine lacuna ulla aut hiatus suspicione. Minima mutatione legendum putarim, «Tamque herile imperium ediscat, ut quod frons velit, oculi sciant». I. e. adeo ediscat, tam ediscat (nam ita loquuntur Veteres) imperium herile, ut, quid vultus velit heri, eum videndo norit. Salm. — Rectius viderunt aliquid deesse Lambinus et ed. Bip. atque tentant lacunam explere, ille ex ingenio addens «catapirates maris», hic eum sequutus, «catapirateria», et his verbis claudunt orationem.

13. *Ut, quod frons velit, oc. sciant*. Ut servus cognoscat ex vultu heri, quid velit ille. N.

14. *Citis quadrigis*. Formula proverbiali, quæ summam celeritatem significat. Cf. Asin. II, 1, 13. L.

15. *Censione bubula*. Censionem bubulam festive vocavit verbera lori bubuli, alludens ad animadversionem censoriam. Lamb.

16. *Sua opera*, attritu crurum suorum rediget in splendorem, nitidas faciet. Cf. Mil. gl. I, 1, 1. N.

19. *Partic. fieret*, cognosceret. N.

Nunc sine omni subspicione in ara heic adsidam sacra.
Hinc ego et huc et illuc potero, quid agant, arbitrarier.

SCENA SECUNDA.

EUCLIO, STROBILUS.

EUCL. Tu modo cave quoiquam indicassis, aurum meum esse isteic, Fides.
Non metuo, ne quisquam inveniat: ita probe in latebris situm 'st.
Edepol, næ illic polcram prædam agat, si quis illam invenerit
Aulam onustam auri: verum id te quæso, ut prohibessis, Fides.
Nunc lavabo, ut rem divinam faciam, ne adfinem morer,
Quin, ubi arcessat [me], meam extemplo filiam ducat domum.
Vide, Fides, etiam atque etiam nunc, salvam ut aulam abs te abferam.
Tuæ fidei concredidi aurum: in tuo luco et fano modo est situm.
STROB. Di inmortaleis! quod ego hunc hominem facinus audio loqui?
Se aulam onustam auri abstrusisse heic intus in fano. Fides,

20. *In ara.* Erant aræ non publicæ tantum in templis, sed et in plateis viisque. Most. V, 1, «aram in via Tranio occupat». TAUBM.

21. *Arbitrarier*, prospicere ac speculari. Nam *arbiter* etiam speculatorem; *arbitrium*, prospectum; et *arbitrari* prospicere: inde oratio vulgaris: «remotis arbitris omnibus». LAMB.

1. *Cave quoiquam indicassis.* Hinc Fidei, manu panno velata, sacrificabatur, quia fides tecta esse debet et velata. TAUBM.

3. *Illic*, ille. N.

4. *Onustam auri.* Hic, ut vs. 10, genitiv. p. ablat. Hellenismus. N.

5. *Nunc lavabo*, etc. Conf. III, 6, 43. N.

6. [*Me*]. Bothius hanc vocem delet, utpote quæ turbet metrum, et repetitio sit sequentis syllabæ. Ea autem omissa, recte constat oratio, et *arcessat* referatur ad filiam. N.

Cave tu illi fidelis, quæso, potius fueris, quam mihi.
Atque hic pater est, ut ego opinor, hujus, herus quam amat.
Ibo hinc intro: perscrutabor fanum, si inveniam uspiam
Aurum, dum hic est obcupatus: sed si reperero, o Fides,
Mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam.
Id adeo tibi faciam: verum ego mihi bibam, ubi id fecero.

SCENA TERTIA.

EUCLIO.

Non temere 'st, quod corvos cantat mihi nunc ab læva manu.
Simul radebat pedibus terram, et voce crocibat sua:
Continuo meum cor cœpit artem facere ludicram,
Atque in pectus emicare: sed ego cesso currere?

14. *Sed.* Bothius substituit *id*, acclamante sententia. N.

15. *Congialem plenam faciam tibi fideliam.* Congiùs capit sextarios sex. «Fidelia autem, Samium vas est ad usus plurimos». Nonius. — *Faciam*, i. e. sacrificabo. Taubm.

16. *Adeo*, certe, scilicet, affirmat. Ita fere Galli, vel præmissa vel interjecta orationi voce *oui*, rem asseverant. Sic Racinius noster tres tragœdias incepit, Andromachen, Iphigeniam, Athaliam. — *Tibi faciam... mihi bibam.* Ita sacrum partitur commode, honorem deæ, usum sibi. Procacitas vernilis. N.

1. *Non temere 'st.* Conf. Asin. II, 1, 14. — *Cantat... ab læva.* Infaustum augurium. Cf. Asin. ib. 12. N.

2. *Simul.* Vulg. *semel.* At melius *simul*, et nostro MS confirmatum. N. — *Crocibat. Crocitum*, vocem corvorum esse docet Nonius, hunc v. laudans. Ern.

3. *Artem facere ludicram*, saltare, ut ludiones. Scurrilis magis, quam ethica oratio. N.

4. *In pectus*, i. e. in pectore. Promiscue Veteres *in* cum quarto vel cum sexto casu jungebant. Ut Amph. I, 1, 25, «in mentem fuit». Cas. II, 3, 26, «in lustra jacuisti». — *Emicare*, exsilire. Æn. VI, 5: «juvenum manus emicat ardens Litus in Hesperium». N.

SCENA QUARTA.

EUCLIO, STROBILUS.

EUCL. Foras, lumbrice, qui sub terra erepsisti modo,
Qui modo nusquam conparebas, nunc, quom conpares, peris.
Ego, edepol, te, præstigiator, miseris jam adcipiam modis.
STROB. Quæ te mala crux agitat? quid tibi mecum 'st conmerci, senex?
Quid me adflictas? quid me raptas? qua me causa verberas?
EUCL. Verberabilissume, etiam rogitas? non fur, sed trifur.
STROB. Quid tibi subripui? EUCL. Redde huc, sis. STROB. Quid tibi vis reddam? EUCL. Rogas?
STROB. Nihil equidem tibi abstuli. EUCL. At illud, quod tibi abstuleras, cedo.
Ecquid agis? STROB. Quid agam? EUCL. Auferre non potes. STROB. Quid vis tibi?
EUCL. Pone. STROB. Equidem, pol, te datare credo consuetum, senex.

1. *Foras*, etc. Cf. Molier. ejusdem argum. fabulam, act. I, sc. 3. N. — *Lumbrice.* Ἔντερον γῆς. Lumbrici etiam dicebantur, qui ex imis sordibus ad summas dignitates erant evecti : gemina ratione *Terræ filii.* CASAUB.

5. *Adflictas... raptas.* Frequentativa, quæ violentiam Euclionis significant trahentis vexantisque servum. N.

6. *Verberabilissume.* Verberibus dignissime. Verbum jocose confictum, eodem modo, quo hoc Molieri l. c. *Etes-vous un homme volable?* N.

7. *Huc*, ad me, subdita notione afferendi. Vid. inf. 13. Conf. Rud. III, 4, 21. N.

8. *At illud, quod tibi abstuleras.* Quum Strobilus dixerit se nihil Euclioni abstulisse, suspiciosissimus senex putat servum ambiguo sensu tricari in voce *tibi*, quæ intelligi possit « tui gratia ». Ergo respondet : Nihil quidem abstulisti mihi (conferendum); sed quod abstuleras tibi utendum, cedo, da, redde. LAMB. — *Ecquid agis?* Locutio urgentis hominem, ut faciat postulatum. Tanquam « agedum ».

10. EUCL. *Pone.* ST. *Equid.* etc.

EUCL. Pone hoc, sis : abfer cavillam : non ego nunc nugas ago.

STROB. Quid ego ponam? quin tu eloquere, quidquid est, suo nomine.

Non, hercle, equidem quidquam sumsi, nec tetigi. EUCL. Ostende huc manus.

STROB. Hem tibi! EUCL. Ostende. STROB. Eccas. EUCL. Video : age ostende etiam tertiam.

STROB. Larvæ hunc atque intemperiæ insaniæque agitant senem.

Facin' injuriam mihi, an non? EUCL. Fateor, quia non pendes, maxumam.

Sensus obscœnior : latetque ambiguitas in *pone :* quod, ut verbum, usurpat Euclio : at adverbialiter accipit servus nequam, proque eo quod a tergo est. GRUT. — *Datare.* Vocabulum amatorium et venereum est. RITTERHUS. — Docti viri fortasse huc obscœnitatis aliquid suggerunt, cujus alias abunde est apud Plautum. Namque cavillatio in ambiguo sensu verborum *pone* et *datare* possit ad pilæ lusum pertinere. Certum est dictum fuisse *dare*, *datatim ludere*, quum pilam mitterent aliis, ita ut fallerent; vid. Curcul. II, 3, 17. Opinor, neque tamen ausim affirmare, usos fuisse verbo *pone*, quum pilam juberent in medium mitti, quam raperent sibi invicem. N.

11. *Cavillam.* Festus : « Cavillatio, est jocosa calumniatio ». Cavillare, est a cavendo, diminutive : propriumque est leguleiorum, ut jurisconsultorum *cavere*. ERN.

12. *Suo nomine.* Vide vafri hominis astutiam, dum senem eludit, et vult confessionem abstrusi auri extorquere. N.

14. *Tertiam.* Ultra legem comicam Noster tendit opus. Et ipse Molierus ipsius vestigiis insistens, recti fines excessit l. c. *Montre-moi tes mains. — Les voilà. — Les autres*, etc. At, quarto ante anno quam Molierus fabulam hanc doceret, scriptor quidam haud inclytus, *Chappuzeau*, in fabula cui titulus *le Riche vilain*, Plautum quoque imitatus emendaverat : *Çà montre-moi ta main.—Tenez.—L'autre. — Tenez. Voyez jusqu'à demain. — L'autre. — Allez la chercher. En ai-je une douzaine ?* Potuit enim amens timore furti *alteram* bis poscere. Sed tertiam, sed ambas alteras? N.

15. *Larvæ*, lemures, maniæ. Hinc larvati, male sani. LAMB. — *Intemperiæ*, sup. I, 1, 32. N.

16. *Facin' injuriam.* Furcifer ille, quasi sit ingenuus, obtestatur Euclionem se falsa criminatione appetitum, et fere minatur actionem ob injuriam. At condignè redarguit eum Euclio. N. — *Non pendes* vapulaturus. Vid. Amph. I, 1, 124; Asin. II, 2, 35. N.

Atque id quoque jam fiet, nisi fatere. STROB. Quid fatear tibi?

EUCL. Quid abstulisti hinc? STROB. Di me perdant, si ego tui quidquam abstuli.

EUCL. Nive adeo abstulisse vellem. Agedum, excutedum pallium.

STROB. Tuo arbitratu. EUCL. Ne inter tunicas habeas. STROB. Tenta, qua lubet.

EUCL. Vah, scelestus, quam benigne! ut ne abstulisse intellegam.

Novi sycophantias: age! rursum, ostende huc manum

Dexteram. STROB. Hem! EUCL. Nunc lævam ostende. STROB. Quin equidem ambas profero.

EUCL. Jam scrutari mitto: redde huc. STROB. Quid reddam? EUCL. Ah nugas agis,

Certe habes. STROB. Habeo ego? quid habeo? EUCL. Non dico: audire expetis.

Id meum quidquid habes, redde. STROB. Insanis: perscrutatus es

Tuo arbitratu, neque tui me quidquam invenisti penes.

EUCL. Mane, mane: quis illic est, qui hic intus alter erat tecum simul?

19. EUCL. *Nive adeo abstulisse.* Euclio hoc addit de suo, quod a servo adhuc dici volebat. Et alioquin, etsi servilia ingenia irreligiosa fere sunt, haud putarim, id ipsum ultro ausum dicere Strobilum. GRON. — *Nive abstulisse vellem.* Continuat, opinor, ironice sermonem sese purgantis. N.

20. *Ne inter t.* Debent hæc connecti sensu cum illis, « agedum, exc. pallium ». Et notandum est, Euclionem *tunicas* dicere, non *tunicam*, licet unam gererent. Sed quidquid potest esse latebræ, auget avari timor. Jam *pallium*, vestis Græcorum exterior; *tunica*, interior: illud ἱμάτιον, hæc χιτὼν dicta. LAMB.

24. *Jam scrutari mitto: redde huc.* Mira sane Euclionis comitas, qui scrutari jam nunc omittit benigne, et fiducia furem allectat. Sic Molierus l. c. Harpagonem, postquam servum omnimodis pertentavit et excussit, fingit loquentem: *Allons, rends-le moi sans te fouiller.* N.

28. *Quis illic.* Quis ille, etc. Nemo erat omnino, præter Strobilum;

Perii, hercle! ille nunc intus turbat : hunc si amitto, hic abierit.
Postremo jam hunc perscrutavi : hic nihil habet : abi, quo lubet.
Jupiter te Dique perdant. STROB. Haud male agit gratias.
EUCL. Ibo hinc intro, atque illi socienno tuo jam interstringam gulam.
Fugin' hinc ab oculis? abin' hinc, an non? STRAB. Abeo.
EUCL. Cave, sis, te videam.

SCENA QUINTA.

STROBILUS.

Emortuum ego me mavelim leto malo,
Quam non ego illi dem hodie insidias seni.
Nam heic jam non audebit aurum abstrudere.
Credo, ecferet jam secum, et mutabit locum.
Atat foris crepuit! senex eccum aurum ecfert foras.
Tantisper heic ego ad januam concessero.

sed homo avarissimus tuta etiam timet; illi aures tinniunt, intemperiæ obstrepunt. LAMB.

32. *Socienno*, i. q. socio. N.

5. *Foris crepuit.* Quæritur cur in Plauti ac Terentii fabulis numquam fere quisquam egrediatur domo, quin antea fores crepuisse dicantur. Cogita eas fabulas e græco conversas esse, idcircoque quarumdam consuetudinum, quibus olim Græci usi essent, impressa in eis exstare vestigia. Quod autem Romæ, antiquis temporibus, M. Valerius, Publicolæ frater, honoris insigne habuisse dicitur, ut fores ædium ipsius, non introrsum trahendo, sed in viam publicam pellendo, aperirentur, id quondam in Græcia vulgatum fuit. Quoniam igitur periculum erat, ne quispiam, qui aut præteriret, aut pro foribus staret, ab impulsa janua pelleretur, ideo exituri solebant prius intrinsecus fores percutere, ut illo strepitu admonerentur juxta stantes e via. Hæc ad Terent. Heautont. III, 3, 52 SCHREVEL.

6. *Concessero.* Scioppius e Nonio Marcello adtexit hunc versum : « Hinc ex occulto sermones satos sublegam ». ERN.

SCENA SEXTA.

EUCLIO, STROBILUS.

EUCL. Fidei censebam maxumam multo fidem
Esse: ea sublevit os mihi pænissume.
Ni subvenisset corvos, periissem miser.
Nimis, hercle, ego illum corvom ad me veniat, velim,
Qui indicium fecit, ut ego illi aliquid boni
Dicam: nam quod edit, tam duim, quam perduim.
Nunc, hoc ubi abstrudam, cogito solum locum.
Silvani lucus extra murum est avius,
Crebro salicto obpletus; ibi sumam locum.
Certum 'st, Silvano potius credam, quam Fidei.
STROB. Euge! euge! di me salvom et servatum volunt.
Jam ego illuc præcurram, atque inscendam aliquam in arborem,
Indeque observabo, aurum ubi abstrudat senex.
Quamquam heic manere me herus sese jusserat,
Certum 'st, malam rem potius quæram cum lucro.

2. *Sublevit os. Os sublinere* locutio Latinis usitata, qua deceptum aliquem et pro ridiculo habitum significarunt. « Tractum, inquit Nonius, a genere ludi, quo dormientibus ora pinguntur ». LAMB. — Passim apud Plaut. hæc metaphora occurrit. Et simile aliquid proverbii gallico sermone circumfertur, *passer la plume par le bec.*—*Pænissume.* Vid. III, 4, 7. N.

6. *Dicam.* Nota, senem non dicere *donem*, aut *largiar;* sed *dicam* aliquid boni: hoc enim fit absque sumptu. LAMB. — *Quod edit, tam duim, quam perduim.* Illa vetuste pro « edat, dederim, perdiderim ». Sensus est: « nihilo plus corvo dare velim, quod edat, quam perdere ». LAMB.—Figura par optativo Græcorum. Conf. III, 6, 34. N.

7. *Solum*, solitarium. Æn. XI, 544: « juga longa petebat Solorum nemorum ». N.

15. *Malam rem*, pœnam neglecti officii. Malum obpetam, modo lucrum fecerim, aurum Euclionis subripuerim. N.

SCENA SEPTIMA.

LYCONIDES, EUNOMIA, PHÆDRIA.

LYC. Dixi tibi, mater : juxta rem mecum tenes
Super Euclionis filia : nunc, te obsecro,
Fac mentionem cum avonculo, mater mea :
Resecroque, mater, quod dudum obsecraveram.
EUN. Scis tute, facta velle me, quæ tu velis.
Et istuc confido a fratre me inpetrassere.
Et causa justa est, siquidem ita est, ut prædicas,
Te eam conpressisse vinolentum virginem.
LYC. Egone ut te advorsum mentiar, mater mea?
PHÆD. Perii, mea nutrix! obsecro te, uterum dolet.

1. *Juxta mecum*, æque ac ego. Sallust. Catil. 58 : « juxta mecum omnes intelligitis ». N.

3. *Fac mentionem cum*, i. e. age cum eo verbis. Cistellar. I, 2, 15. Observanda syntaxis. GRON.*

4. *Resecroque*. Religione jurisjurandi solvo. Obtestatus erat matrem Lyconides, ne eorum quæ ipsi de Euclionis filia aliquando dixerat, apud avunculum mentionem faceret: nunc obsecrationis religione eam absolvit, rogatque, ut cum avunculo de amica loquatur. P. PITH.— Consentiunt omnes in hanc interpretationem doctissimam, sed a vero, opinor, deerrantem. Nescio enim quomodo, tali verbi *resecrare* enarratione, hunc Persæ versum intelligant, I, 1, 49 : « Obsecro te, resecro, operam da hanc mihi fidelem ». Igitur accipiam *resecrare* pro « iterum obsecrare, urgere iteratis precibus ». Nihil est cur matrem nunc tacendi religione absolvat adolescens. Namque postquam Megadorus huic Eunomiæ dixit se ducturum uxorem filiam Euclionis, illa non ægre ferre visa est, neque obloquuta aliud nisi « Dii bene vortant », II, 1, 53. Quin etiam, ut mox filio respondet, ostendit se nunc demum, quid rei fuerit illi cum virgine, rescivisse. N.

5. *Tute*, tu. N.

6. *Inpetrassere*. Est idem quod *impetraturam esse*. Nam sententia est : Colloquar cum avunculo Megadoro de te et amica tua, Euclionis filia ; ac quandoquidem ea a te vitiata est, spero me impetraturam ab eo, ut tu eam ducas uxorem. Voss.

9. *Egone ut*, etc. Exclamatio indignantis. Conf. Senec. Med. 399, 929. — *Te advorsum*, tecum. N.

10. *Uterum dolet*. Neutro et masc. genere hoc nomen usurpabant, auctore Nonio. TAUBM.

10, 11. *Perii, mea nutrix!... tuam*

Juno Lucina, tuam fidem! LYC. Hem, mater mea,
Tibi rem potiorem video : clamat, parturit.
EUN. I hac intro mecum, gnate mi, ad fratrem meum,
Ut istuc, quod me oras, inpetratum ab eo abferam.
(abit.)
LYC. I, jam sequor te, mater. Sed servom meum
Strobilum miror, ubi sit, quem ego me jusseram
Heic obperiri : nunc ego mecum cogito,
Si mihi dat operam, me illi irasci injurium 'st.
Ibo intro, ubi de capite meo sunt comitia.

fidem. Hæc aut similia, neque præterea quidquam aliud agunt in Veterum fabulis virgines vel sponsæ, quæ primas in nostratibus partes tenerent. Conf. Terent. Andr. III, 1, 15; Adelph. III, 4, 40. Sed aliud mirum; qui interiore in ædium parte clamor edebatur, poetæ fingebant eum e via exaudiri. Hoc illis concessum a spectatoribus non curiose, quid verosimile, quid non, exigentibus. N.—*Juno Lucina.* Mirantur eruditi, quod in comœdia palliata invocetur a puerpera *Juno Lucina.* Sed injuria mirantur; et multo iniquius Terentium reprehendunt : utitur enim sermone latino, sed qui græcam deam Ilithyiam exprimat. Itaque ab Horat. Carm. Sæcular. scribitur : « Lenis Ilithyia, tuere matres ». Ex consuetudine græca. *Juno* autem *Lucina* Diana est : *Lucina* vero dicta, quod ejus opera partus in lucem prodeant, et lumen solis intueri incipiant. TURN.

11. *Hem*, i. q. en; locutio demonstrantis aliquid, vel præbentis. N.

12. *Rem potiorem.* Quasi dicat : Non esse opus, ut argumentis multis matrem doceat, stuprasse se puellam, quum res ipsa certius factum arguat. GRUT.—*Video,* credo, sentio.

14. *Ut istuc*, etc. Vulgatæ ante hunc versum interserunt alium, profecto glossemate, vel e variante lectione enatum : « Ut istuc, quod tu me oras, efficiam tibi ». N.

18. *Si mihi dat operam*, etc. Non ita pridem (IV, 6, 15) Strobilus se aliud curantem professus est; et, quum spectator hoc meminit, fiducia domini risum movet. N.

20. *Sunt comitia.* Ubi de fama et salute mea agitur. Tractum a pop. rom. comitiis. TAUBM. — Noster amat hujusmodi similitudines e re politica sumptas, utpote quæ in sermone quotidiano Romanorum sane circumferrentur. Vide supra, III, 6, 13; Pseud. IV, 7, 134; Trucul. IV, 3, 45. N.

SCENA OCTAVA.

STROBILUS.

Picos divitiis, qui aureos monteis colunt,
Ego solus supero : nam istos reges ceteros
Memorare nolo, hominum mendicabula.
Ego sum ille rex Philippus : o lepidum diem!
Nam, ut dudum hinc abii, multo illuc adveni prior,
Multoque prius me conlocavi in arborem :
Indeque exspectabam, ubi aurum abstrudebat senex.
Ubi ille abiit, ego me deorsum duco de arbore;
Ecfodio aulam auri plenam; inde exeo eloco;
Video recipere se senem; ille me non videt.
Nam ego modò declinavi paulum me extra viam.
Attat! eccum ipsum : ibo, ut hoc condam domum.

1. *Picos.* Scalig. et Grut. volunt *pici* oratione impedita; namque sic explananda : « Pici, qui m. aur. col. eos divitiis supero ». Alii *Picis*, tunc regente dativum verbo *superare*. Lectionem, quæ mihi concinnior visa est, Lambino et Camerario auctoribus recepi. N. — Picos Veteribus fuisse Nonius docet eosdem, quos Græci γρύπας appellarunt. At de gryphis sic Pompon. Mela, II, 1, ubi de Scythia : « Deinde est regio ditis admodum soli, inhabitabilis tamen, quia gryphi, sævum et pertinax ferarum genus, aurum terra penitus egestum mire amant, mireque custodiunt, et sunt infesti attingentibus ». Gryphi scilicet non humana gens, ut nonnulli crediderunt, sed fabulosæ belluæ. Conf. Herodot. IV, 13 (et ad hunc loc. illust. *Larcher*); Plin. Hist. VII, 1, X, 49. Lamb.

3. *Hominum mendicabula*, homines mendicos. Sic « flagitium hominis », Casin. II, 1, 8; « scelus viri », Truc. II, 7, 60. N.

4. *Philippus.* Philippum, regem Macedonum, Alexandri Magni patrem, intelligit. A quo dictum aurum Philippeum, quod Plautus noster sæpe commemorat. Lamb.

5. *Nam*, disjunctiva, i. q. autem.

7. *Exspectabam*, despectabam. Gulielm. et edit. Bip. *aspectabam*, frustra. Cf. Petron. Sat. 17. N.

8. *Duco*, id est, descendo, demitto me sensim. Boxhorn.

9. *Inde exeo eloco.* Vulg. « inde ex eo loco Video se recipere, etc. » Lectio insipiens, quam tautologia *inde ex eo loco*, et repetitio *ex eo loco se recipere* post illud *abiit* vs. 8 omnino vitiant. *Eloco* adverbialiter, quasi « e vestigio, statim », Plauto non inusitatum, i. q. *illico*. Cf. Amph. IV, 3, 41; Asin. I, 2, 4; Trucul. II, 4, 89. Ita fere dixerunt *inde loci* p. ex eo tempore. N.

10. *Recipere se* domum. N.

SCENA NONA.

EUCLIO, LYCONIDES.

EUC. Perii! interii! obcidi! quo curram? quo non curram?
Tene, tene! quem? quis? nescio, nihil video, cæcus eo; atque
Equidem quo eam, aut ubi sim, aut qui sim, nequeo cum animo
Certum investigare: obsecro vos ego, mihi auxilio,
Oro, obtestor, sitis, et hominem demonstretis, qui eam abstulerit.
Qui vestitu et creta obcultant sese, atque sedent, quasi sint frugi....
Quid ais tu? tibi credere certum'st: nam esse bonum, e voltu cognosco.

1. *Perii! interii!* etc. Hic est canticum de quo Sisenna, in commentario in Aululariam deperdito, scribit: « Hæc scena anapæstico metro est, sed ita concisa sunt, ut non intelligas ». Putsch. p. 2711. Itaque ill. Hermann. Elem. doct. met. II, 33, anapæstos reficiendos curavit, cujus tamen eruditissimo labori vulgatam prætulimus, primo quia vulgata, deinde quia in iis, quæ vix intelligebantur jam hominibus rom. metrum non tanti est, ut illius gratia concinnandi immutationem verba patiantur ex conjectura. N.

2. *Tene, tene.* Furem insequentes clamabant etiam, « Prehende furem ». Briss. — Harpago in Molieri fabula eo amentiæ devenit, ut dextra lævam corripiat, quasi furem, act. IV, scen. 2. N. — *Quem* tenere jubeo? *Quis* est fur? Lamb.

6. *Qui vest. et creta*, ἓν διὰ δυοῖν pro « cretato vestitu ». N. — Elegante nitidoque cultu. Scribitur in homines tenuiores: quibus quum copia mutandæ togæ non esset, tamen ut nitidi et melioris fortunæ apparerent, sub dies ludorum togulam suam incretabant. Lips. — Plin. XXXV, 15 et 17. Proprie dicuntur « vestitu et creta se occultare », qui toga candida simulant se probos et magistratu dignos. Inde Plautus transfert ad eos, qui honestate vestis mores improbos vel animum dissimulant. Gron.* — Gronovianam sententiam comprobant sequentia: « atque sedent, etc. » Nam honestiores, licet lex Roscia nondum lata esset, fere sedebant propius a proscenio; in ultimis submoti et stantes spectabant ignobile vulgus, pullata plebes. Conf. Captiv. prol. 11-16. N.

7. *Quid ais?* Ex abrupto ad alium, forte sibi oblatum, sermonem Euclio convertit, priori sententia nondum expleta. Boxh. — Sunt qui velint vs. 8 « quid est?

Quid est? quid ridetis? gnovi omneis, scio fures esse heic complureis.
Hem, nemo habet horum? obcidisti : dic igitur, quis habet? nescis!
Heu me miserum, miserum! perii! male perditus, pessume ornatus eo.
Tantum gemiti et malæ mœstitiæ hic dies mihi obtulit,
Famem et pauperiem : perditissimus ego sum omnium in terra.
Nam quid mihi opu 'st vita, qui tantum auri perdidi
Quod custodivi sedulo? egomet me defrudavi,
Animumque meum, geniumque meum : nunc eo alii lætificantur,

etc. » transponi ante sextum : « Q. v. etc. » et sic magis composite se habeat oratio. Sed in hoc loco concinnitas inconcinna. In tanta perturbatione mentis decet hiare orationem et verba non convenire inter se. N. — *Quid ais?* Illa comicis, immo romano sermoni familiarissima locutio, plerumque non ad quidquam prius dictum respicit, sed figura est compellandi ultro aliquem, et præparatio ad percunctationem statim sequentem, sive hominem placide velis consulere, sive loqui eum jubeas iracunde et minaciter, vel ironice. Longe aliud hæc figura tum significat, atque eæ orationes : « quid dicis? quid loqueris? » His enim interrogas aliquem, quid modo dixerit, illa hortaris, ut sententiam proferat de eo, quod mox dices; tanquam esset « num ais? dic mihi, quæso », vel quodvis hujusmodi. Simile est illis gallicis locutionibus : *Dites-moi. — Eh bien? — Je vous demande?* Cf. Terent. Adelph. IV, 2, 17, 5, 22; V, 7, 22; Hecyr. IV, 1, 8; Andr. V, 3, 1. Ad quem locum Donatus : « non interrogantis, sed invehentis ». Ideo sæpe ab interpellata persona subjicitur : « quid vis? » Vide Trinum. I, 2, 155; Trucul. I, 2, 28. Sensu eodem Cic. de Offic. III, 12 : Exoritur Antipatri ratio ex altera parte : « quid ais tu? quum, etc. » N.

8. *Gnovi omneis, scio fures*, etc. Mira licentia histrionibus a superbis Quiritibus concessa. Audi etiam in Truculento mulierculam juventutem romanam furandi crimine arguentem, I, 2, 5-13. Observandum quid intersit, in eadem sententia, inter Euclionis et Harpagonis sermones. N.

10. *Ornatus*, affectus. Apud Ter. Ad. II, 1, 22, adolescens ad lenonem : « ornatus esses ex tuis virtutibus ». Hoc sensu, vulgari sermone gallico verbum, *arranger*. N.

11. *Tantum gemiti*, pro *gemitus* : ut senati, etc. Taubm. — Cf. Prisc. VI, 14, 73. N.

14. *Quod c. s. eg. me defrudavi.* Anacoluthum; hic optime. I. e. quod custodivi me defraudans. N.

Meo malo et damno : pati nequeo.
LYC. Quinam homo heic ante ædeis nostras ejulans conqueritur mœrens?
Atque hic quidem Euclio 'st, ut opinor : oppido ego interii ! palam'st res.
Scit peperisse jam, ut ego opinor, filiam suam : nunc mihi incertum'st,
Quid agam : abeam, an maneam? an adeam? an fugiam? Quid agam, edepol, nescio.

SCENA DECIMA.

EUCLIO, LYCONIDES.

EUCL. Quis homo heic loquitur? LYC. Ego sum miser. EUCL. Imo ego sum, et misere perditus,
Quoi tanta mala, mœstitudoque obtigit. LYC. Animo bono es.
EUCL. Quo, obsecro, pacto esse possum? LYC. Quia istuc facinus, quod tuum
Sollicitat animum, id ego feci, et fateor. EUCL. Quid ego ex te audio?
LYC. Id, quod verum 'st. EUCL. Quid ego emerui, adulescens, mali,

16. *Pati nequeo*, i. e. vivere, durare. Vide ad Senecæ Thyestem, vs. 470, « posse sine regno pati », ubi conf. Virgil. Ecl. X, 53, et Lucan. IX, 264. N.

1. *Ego sum miser. Imo ego*, etc. Quærenti quis hic loquatur, respondet : « Ego sum ». Gallice *c'est moi.* De hac figura conf. Amph. IV, 2, 1. Adolescens autem nomen suum proferre non audet, neque addit *Lyconides*, sed *miser*. Tum Euclio se miseriorem profitetur : « imo ego, etc. » Vulgatæ dant, vel impedito, vel nullo sensu : « LYC. Ego sum. EUCL. Imo ego sum miser, et mis. perd. » Nostram lectionem Acidalio et Bothio debitam referimus. N.

3. *Quia istuc facinus*, etc. Exemplar ridiculi erroris hoc est, quod Molierus, act. V, sc. 3, imitatus est ingeniosissime, non superavit, nisi, qua lusum hunc comicum per antecedentia præparaverit, artem mireris. N.

5. *Quid ego emerui... mali*. Mereri sæpe i. q. facere. Vid. inf. 8. N.

Quamobrem ita faceres, meque meosque perditum ires liberos?
LYC. Deus inpulsor mihi fuit, is me ad illam inlexit. EUCL. Quo modo?
LYC. Fateor peccavisse, et me culpam conmeritum scio.
Id adeo te oratum advenio, ut animo æquo ignoscas mihi.
EUCL. Cur id ausus facere, ut id, quod non tuum esset, tangeres?
LYC. Quid vis fieri? factum 'st illud. Fieri infectum non potest.
Deos credo voluisse: nam ni vellent, non fieret, scio.
EUCL. At ego Deos credo voluisse, ut apud me te in nervo enicem.
LYC. Ne istuc dixis. EUCL. Quid tibi ergo meam me invito tactio 'st?

7. *Deus.* Sua cuique Deus fit dira cupido. Molier. l. c. *Dis-moi qui t'a porté à cette action? — Hélas! me le demandez-vous? — Oui, vraiment, je te le demande. — Un dieu qui porte les excuses de tout ce qu'il fait faire, l'Amour.* N.

9. *Adeo.* Conf. sc. 2, v. 16. N.

11. *Fieri... infectum*, etc. Sic fere Terent. Phorm. V, 9, 45: « Verum, quando jam accusando fieri infectum non potest, Ignosce ». N.

12. *Scio*, existimo. Cf. I, 1, 21. N.

13. *Apud me te.* Vulg. « apud te me ». Sed Meursium, et alios eruditos viros sequi malo. Namque ira exardescere Euclionem, quum hæc audiat, quam se mori velle profiteri, verisimilius est, et hoc poscit nomen nervus. Cf. Curcul. V, 3, 42, 45; Rud. III, 6, 34. — *In nervo.* « Nervum appellamus, inquit Fest. ferreum vinculum, quo pedes impediuntur; quamquam Plautus eo etiam vinciri cervices ait ». Nervo debitores addicti creditoribus et noxii vinciebantur. T. Liv. VI, 15. N.

14. *Meam.* Facile suppressit *aulæ* nomen; namque hanc nominare vel consuetudine suspiciosi metus parcit, vel potius more vehementissimi amoris omittit, quo amatam, non suo nomine, sed pronominibus *illa*, *mea* per antonomasiam designare solent. Amantes haud aliter. Ergo latini sermonis indoles huic ambiguitati fuit commodissima, quam gallicus imitator lepida circuitione assequutus est: *Le mal n'est pas si grand que je le fais! Quoi! mon sang! mes entrailles, pendard! — Votre sang, monsieur, n'est pas tombé dans de mauvaises mains.* — *Tactio 'st*, nomen verbale quartum casum regens; vid. sup. III, 2, 9; Asin. V, 2, 70. Præterea mouent eruditi esse ambiguitatem in *tangere*, quod et furari (unde *tagaces* pro furibus), et cum muliere rem habere significat. Horat.

LYC. Quia vini vitio atque amoris feci. EUCL. Homo audacissume,
Cum istacin' te oratione huc ad me adire ausum, inpudens?
Nam si istuc jus est, ut tu istuc excusare possies,
Luci claro deripiamus aurum matronis palam;
Post id, si prehensi sumus, excusemus, ebrios
Nos fecisse amoris causa: nimis vile 'st vinum atque amor,
Si ebrio atque amanti inpune facere, quod lubeat, licet.
LYC. Quin tibi ultro subplicatum venio ob stultitiam meam.
EUCL. Non mihi homines placent, qui, quando male fecerunt, purgitant.
Tum illam scibas non tuam esse: non adtactam oportuit.
LYC. Ergo quia sum tangere ausus, haud causificor quin eam
Ego habeam potissimum. EUCL. Tun' habeas, me invito, meam?

Sat. I, 2, 54. Hunc jocum Molierus retulit proterve quidem, utpote in nostrate proscenio: *Hé! dis-moi un peu; tu n'y as pas touché? — Moi y toucher!* N.

15. *Vini vitio*. Eadem causa alius simili vehementia amator se purgat. Trucul. IV, 3, 51. Nosce Veterum mores. N.

17. *Nam si istuc*, etc. Nam si tua istius sceleris excusatio jure admittenda sit. N.

18. *Luci claro*, non *clara*, quod Nonius tutatur. LAMB. — Cf. Cist. II, 1, 49: « cum primo luci ». N. — *Aurum*, ornamenta aurea, monilia cæteraque hujusmodi. Ovidius docet etiam sua ætate forum nonnunquam boare clamoribus spoliatarum mulierum, III, 450. — *Palam*, in publico. N.

19. *Post*, postea. N.

20. *Nimis*, valde. Vid. II, 2, 31. N. — *Vile*, i. e. non caro emitur, non potest satis magno emi vinum atque amor, si quidem vinum ebrio, amor amanti dant omnium facinorum licentiam et impunitatem. LAMB.

22. *Stultitiam*. Dicit *stultitiam*, quia abest malignitas. BOTH.

23. *Purgitant* se vel factum. Dicunt se nolentes, imprudentes fecisse, itaque venia dignos. Sic Ter. Adelph. II, 1, 8: « te posterius purges, hanc injuriam mihi nolle Factam esse ». N.

25, 26. *Haud causificor*, non recuso. LAMB. — *Quin eam Ego hab. potissumum*. Namque ei, qui vitiavit virginem, illa, licet pauper, ducenda est. Ergo adolescens sibi potissimum, magis quam cuiquam

LYC. Haud, te invito, postulo : sed meam esse oportere arbitror.
Quin tu eam invenies, inquam, meam illam esse oportere, Euclio.
EUCL. Nisi refers..... LYC. Quid tibi ego referam? EUCL. Quod subripuisti meum.
Jam quidem, hercle, te ad prætorem rapiam, et tibi scribam dicam.
LYC. Subripio ego tuum? unde? aut quid id est? EUCL. Ita te amabit Jupiter,
Ut tu nescis? LYC. Nisi quidem tu mihi, quid quæras, dixeris.
EUCL. Aulam auri, inquam, te reposco, quam tu confessus mihi
Te abstulisse. LYC. Neque, edepol, ego dixi, neque feci. EUCL. Negas?
LYC. Pernego imo : nam neque ego aurum, neque istæc aula quæ siet,

alii, hanc conditionem incumbere æquus fatetur. Conf. inf. v. 60. Sed hoc *hab. pot.* longe aliud Euclioni sonat, neque satis ille mirari potest hominis impudentiam; quis enim potissimum habeat *suam*, nisi ipse? Quidquid eodem loco commentus Molierus fuit, acumen comicum non solertius intendit. N.

27. *Postulo*, volo, tento, ut sæpe alias. N.

28. *Quin tu*, etc. Qui civem virginem vitiarat, aut eam indotatam ducere, aut si hoc recusaret, capitis argui consuevit. Nec intererat, filiusne familias esset, aut paterfamilias; ut testatur expresse Terent. Adelph. RÆVARD.

29. *Nisi refers.* Reticentia. Scilicet: pœnas de te meritas sumam. LAMB.

30. *Rapiam*. Dixit, ut perturbatus : nam ad prætorem *ducere*, et in jus *vocare* licebat; *rapere* non licebat, nisi ei, qui antestatus esset. LAMB. — *Scribam dicam*. Γράψομαι δίκην, id est, accusabo; nam γράφω apud Græcos etiam *accuso* significat, i. e. διώκω, κατηγορῶ. Δίκαι autem sunt κρίσεις et ἐγκλήματα, judicia et crimina. LONG.

31. *Ita te am. Jup. ut.* etc. Formula asseverandi hæc: «ita Jupiter», vel «Dii me ament», ut hoc tale est. Ironice ad illam obtestationem Euclio alludit: scilicet, ut verum est te nescire, ita Jupiter, etc. N.

33. *Aulam auri*, ut «cadus vini, hirneam vini», Amph. I, 1, 273, 274. N.

Scio, nec gnovi. EUCL. Illam, ex Silvani luco quam abstuleras, cedo.
I, refer : dimidiam tecum potius partem dividam.
Tametsi fur mihi es, molestus non ero : i vero, refer.
LYC. Sanus tu non es, qui furem me voces : ego te Euclio,
De alia re rescivisse censui, quod ad me adtinet.
Magna est res, quam ego tecum otiose, si otium 'st, cupio loqui.
EUCL. Dic bona fide : tu id aurum non subripuisti? LYC. Bona.
EUCL. Neque scis, quis abstulerit? LYC. Istuc quoque bona. EUCL. Atque id si scies,
Qui abstulerit, mihi indicabis? LYC. Faciam. EUCL. Neque partem tibi
Ab eo, quiqui est, indipisces, neque furem excipies? LYC. Ita.
EUCL. Quid, si fallis? LYC. Tum me faciat, quod volt, magnus Jupiter.
EUCL. Sat habeo : age nunc, loquere, quid vis. LYC. Si me gnovisti minus,

36. *Cedo*, redde. N.

43. *Istuc quoque bona*. Et illud quoque, nempe me nescire, quis subripuerit, bona fide assevero. N.

45. *Quiqui est*, quisquis est is, qui abstulerit. Nonius bis laudat hunc versum in vocibus *indipisco* et *excipere*, sed variantibus lectionibus. Modo item, ut vulgatæ, quæ dant *inde posces*, at cætera nostræ similiter. Modo : « nec partem tibi adeo, cui sit indipisces ». Unde orationem possis excudere : « nec partem ab eo cui sit, etc. » i. e. nec partem auri accipies pro mercede indicii a domino, scil. ab eo cui aurum sit ». Etenim illud *neque furem excip.* significat in prioribus *ab eo*, etc. alium designari. Sed si conjecturis pateat locus, suspicer *quiqui* scriptum fuisse pro *quidquid*, et inde sensum eliciam, haud ineptum : « neque partem sumes ab eo, quod subreptum est, quantumcumque sit ». N. — *Neque furem excipies*. Quod Nonius explicat recte *celabis :* nam qui *recipit* vel *receptator* est, dat locum delitescendi. GRON.

46. *Me* pro de me. Ut in his vulgatissimis locutionibus : « quid me fiet, quid me erit? » Terent. Andr. III, 10, 7 : « nec quid me nunc faciam scio ». Conf. id. Eun. V, 1, 21 ; Heaut. II, 2, 66. N.

Genere qui sim gnatus: hic mihi est Megadorus avonculus,
Meus fuit pater Antimachus, ego vocor Lyconides,
Mater est Eunomia. EUCL. Gnovi genus: nunc quid vis? id volo
Gnoscere. LYC. Filiam ex te tu habes. EUCL. Imo eccillam domi.
LYC. Eam tu despondisti, opinor, meo avonculo. EUCL. Omnem rem tenes.
LYC. Is me nunc renunciare repudium jussit tibi.
EUCL. Repudium, rebus paratis, atque exornatis nubtiis?
Ut illum di inmortaleis omneis deæque, quantum est, perduint,
Quem propter hodie auri tantum perdidi, infelix, miser.
LYC. Bono animo es, et benedice: nunc quæ res tibi et gnatæ tuæ
Bene feliciterque vortat..... Ita di faxint, inquito.
EUCL. Ita Di faciant. LYC. Et mihi ita di faciant. Audi nunc jam.
Qui homo culpam admisit in se, nullu'st tam parvi preti,
Quin pudeat, quin purget se: nunc te obtestor, Euclio,
Si quid ego erga te inprudens peccavi, aut gnatam tuam,

48. *Hic*, i. e. qui hac domo habitat. N.

53. *Renunciare repudium*. Remisit tibi per me repudium. LAMB.

57. *Benedice*. Bona verba, quæso. Abstine infaustis. N. — *Quæ res tibi*. Formula precandi solemnis, qua utebantur initio rei cujuslibet gerendæ, negotiique contrahendi. LAMB. — Vid. sup. II, 2, 41.

58. *Ita Di faxint, inquito*. Morantem pro more annuentium respondere Euclionem urget, et præit ipse verbis. N.

59. *Faciant... audi*. Oratio a v. 57 « nunc quæ res, etc. » pendet, et in his demum consistit: « audi nunc jam (hanc rem) ». Itaque aliter vulgatis dispunximus. N.

60. *Tam parvi preti, quin*, etc. adeo nequam, ut non, etc. Sic Ter. And. V, 2, 15, « videtur esse quantivis preti », i. e. optimus. N.

62. *Si quid ego erga te*. Camerarianus: « Ut si quid ego ». MSS Pall. « Ut quia ego ». Ita Junianus. Edd. veteres: « Ut quod ego ». Et sic tres Vossiani cum Academico et Gudiano. Nec mutandum est: est enim elegans repetitio particulæ *Ut*, de qua in Bacch. IV, 6, 10, et ad Livium diximus. GRON.

Ut mihi ignoscas, eamque uxorem mihi des, ut leges jubent :
Ego me injuriam fecisse filiæ fateor tuæ,
Cereris vigiliis, per vinum, atque inpulsu adulescentiæ.
EUCL. Hei mihi! quod facinus ex te ego audio? LYC. Cur ejulas?
Quem ego avom feci jam ut esses filiæ nubtiis :
Nam tua gnata peperit, decumo mense post : numerum cape :
Ea re repudium remisit avonculus causa mea.
I intro, exquære, sitne ita, ut ego prædico. EUCL. Perii oppido!
Ita mihi ad malum malæ res plurimæ se adglutinant.
Ibo intro, ut, quid hujus veri sit, sciam. LYC. Jam te sequor.
Hæc propemodum jam esse in vado salutis res videtur.
Nunc servom esse ubi dicam meum Strobilum, non reperio.
Nisi etiam heic obperiar tamen paulisper; postea intro
Hunc subsequar : nunc interim spatium ei dabo exquærendi
Meum factum ex gnatæ pedisequa nutrice anu : ea rem gnovit.

63. *Leges jubent*. Vid. sup. 25, 28.
65. *Cereris vigiliis*. Cf. prol. 36. N.
68. *Numerum cape*, tempus supputa, scil. a Cereris vigiliis. TAUBM.
73. *In vado*. In salute explorata et certa. Sic Terent. Andr. act. V, sc. 2 : « Omnis res est jam in vado » ; ubi Donatus : « In vado, id est, in securitate : nam ut in profundo periculum est, ita in vado securitas ». LAMB.
75. *Nisi*, sed. Conf. Cistell. I, 1, 5; Menæch. prol. 59; Ter. Adelph. I, 3, 13. N.
76. *Hunc*, Euclionem. N.
77. *Anu*, Staphyla. ERN.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

STROBILUS, LYCONIDES.

STROB. Di inmortaleis, quibus et quantis me donatis gaudiis,
Quadrilibrem aulam auro onustam habeo : quis me est divitior?
Quis me Athenis nunc magis quisquam'st homo, quoi di sint propitii?
LYC. Certo enim ego vocem heic loquentis modo me audire visus sum. STROB. Hem!
Herumne ego adspicio meum? LYC. Video ego hunc Strobilum, servom meum?
STROB. Ipsus est. LYC. Haud alius est. STROB. Congrediar. LYC. Contollam gradum.
Credo ego illum, ut jussi, eampse anum adisse, hujus nutricem virginis.
STROB. Quin ego illi me invenisse dico hanc prædam, atque eloquor?
Igitur orabo, ut manu me mittat : ibo atque eloquar.

3. *Quis me Athenis*, etc. Notanda syntaxis pro : « quis usquam Athenis est, cui Dii magis propitii sint, quam mihi? » Quis me fortunatior? N.

4. *Enim ego vocem*. Vid. sup. III, 5, 26. N.

6. *Contollam*, i. e. congrediar : nam *contollere* valet conferre : ut *protollere*, proferre. LAMB.

8. *Quin ego illi*. Moribus receptum, ut servus interdum cum domino quasi pacisceretur in certum pretium, quod si exsolvisset, liber esset. Id pretium e peculio servi, vel adventitio lucro. Sen. Epist. 80. Qui quum frugi essent, raro serviebant ultra quinquennium, teste ipso Tullio, Philipp. VIII. GRUT.— *Atque eloquor*. Prudentiori cautione Gryphus utitur Rud. IV, 2, 23, seq. N.

Reperi. LYC. Quid reperisti? STROB. Non, quod pueri clamitant,
In faba se reperisse. LYC. Jamne autem, ut soles, deludis?
STROB. Here, mane, eloquar jam; ausculta. LYC. Age ergo loquere. STROB. Reperi hodie,
Here, divitias nimias. LYC. Ubi nam? STROB. Quadrilibrem, inquam, aulam auri plenam.
LYC. Quod ego facinus audio ex te? STROB. Euclioni huic seni subripui.
LYC. Ubi id est aurum? STROB. In arca apud me: nunc volo me emitti manu.
LYC. Egone te emittam manu, scelerum cumulatissume? STROB. Abi, here, scio
Quam rem geras: lepide, hercle, animum tuum tentavi: jam
Ut eriperes, adparabas: quid faceres, si reperissem?
LYC. Non potes probasse nugas: i, redde aurum. STROB. Reddam ego aurum?
LYC. Redde, inquam, ut huic reddatur. STROB. Ah, unde? LYC. Quod modo fassus es
Esse in arca. STROB. Soleo, hercle, ego garrire nugas: ita loquor.
LYC. At scin' quomodo? STROB. Vel enica, hercle: hinc nunquam a me feres.

11. *In faba*, etc. Ne existimes vermiculum me reperisse; sed quiddam pretiosum. LAMB.—« Hilum, inquit Festus, putant esse, quod grano fabæ adhæret, ex quo *nihil* et *nihilum* ». Ergo non hilum reperit, sed magnum aliquid. N.

16. *Abi*. Hæc locutio multis sententiis inservit, nunc hortantis et laudantis, nunc eludentis, ut gall. *allons*. N.

17. *Quam rem geras*, quid consilii mente agites. N.

19. *Probasse nugas*. Nunc denegando nugaris, neque me, ut credam tibi, induces. N.

21. *At scin' quomodo?* Vide sup. II, 4, 28.

Quæ sequuntur, quia jam a 1500 anno editiones referunt, noluimus in nostra desiderari posse. Sed operæ pretium fore non visum est nobis, si mutilum sanare fœtum et enarratione persequi conaremur, qui nihil Plautini sanguinis neque succi habet. N.

SUPPOSITA.

« LYC. Quid hic quondam pervicus addit?
« Non feramn' unquam? STROB. Quod non habeo. LYC. EffeShe feraris cave,
« Nisi actutum seni id auri redditio est. STROB. Sive perpensus ferar
« Libitinarius, sive pollinctorius efferar, nunquam dabo nisi fodiam
« Noviter *arrogiam*. LYC. Vaeh capiti tuo. STROB. Imo senis et capiti
« Et pectori, qui auri tantum perdidit. LYC. Quis repperit?
« STROB. Quem repperisse vis. LYC. Qui in arca illud subreptum habere
« Autumat. STROB. Quam pulcre tibi, here, conniverent oculi, si id
« Factum fateor: ludo : quod lusi tecum, non par est identidem
« Serio vortier. LYC. At nunc jam ne me irritassis, i, et aurum
« Redde : susque deque haud agites. STROB. Here, id si repperibitur,
« Certum est geminam te lanceam confitentem icere. LYC. I, et redde.
« STROB. Vis crassum? LYC. I, et redde. STROB. Atat incassum quæritas.
« LYC. I, et redde : ego ad senem propero, ut quid comitiis
« Proxumis videam. Senex aulam auri perdidit, Megadorus
« Repudium renunciat. Filiam peperisse vitio resciit. STROB. Hero
« Meo, quantum ego video, nemo est benignior. Alii non quod

« Inventum est non occulunt, modo negant : occulunt va-
« niloqui.
« Sed aliud post aliud si qùa sit opportunitas, harpagatum
« Volunt; si Eleusine sit, facilem deam creduant, si Cotytto,
« Non videre quem batuat. Ita neque amicis, neque cognatis,
« Neque dis parcunt, dum bene parcant sibi : istic quidem,
« Ne miserum faciat senem, aut illius familiam opulentam,
« Auri aulam, grandem, onustam, plenam, referri jubet,
« Ut se faciat olim miserum, atque suam familiam. Ast
« ego partem
« Impartiri malim, unde redimar. Quod vortet bene, picus
« A sinistris cantitat, qui auri custos, hercle, olim traditur.
« Ibo, et aulam referam : quod illæc mihi bene avis occinat. »

28. *Occinat.* Verum nihilominus sic etiam mutila est. Quia vero hæc comœdia, si ulla alia, frequentissime non legi solum, sed doceri agique solet, nec facile applausum mereri poterit, si ipsa solemni illo suo *Plaudite* careat; patiamini, quæso, Persii nostri, pannum illum Bononiensem purpuræ huic romanæ interea sic adsui, dum forte melius quid ab aliquo vestrum impetretur. Erant quidem ad manum aliorum etiam Supplementa, nec displicebant, inprimis Joach. Camerarii, et Georgii Reinmanni, Profess. Regiom. elegantissimi certe ingenii et doctrinæ : sed quia ille Codrus a multis jam annis in Quatuordecim sedit, loco eum pellere et excitare novus ego Oceanus aut apparitor severus forte non debui. Taubm.

SUPPLEMENTUM

AULULARIÆ

ANT. CODRO URCEO

ITALO SCHOLASTICO ET PROFESSORE BONONIENSI AUCTORE,
QUI VIXIT SUB IMPP. SIGISMUNDO ET FRIDERICO III AUGG.

. . . . . quod non habeo. LYC. Feram.

« VELIS nolis; quum te quadrupedem strinxero:
« Et herniosos testes ad trabem tibi
« Divellam appenso. Sed cur in fauces moror
« Hujus scelesti ruere? et animam protinus
« Cur non compello facere iter præposterum?
« Das, an non? STR. Dabo. LYC. Des ut nunc, non olim volo.
« STROB. Do jam : sed me animam recipere sinas te rogo.
« Ah! ah! quid, ut dem, poscis, here? LYC. Nescis, scelus?
« Et aulam auri plenam quadrilibrem mihi
« Audes negare, quam dixti modo
« Te arripuisse? heia, jam ubi nunc lorarii?
« STROB. Here, audi pauca. LYC. Non audio: lorarii,
« Heus heus. LOR. Quid est? LYC. Parari catenas volo.
« STROB. Audi, quæso, post me ligare jusseris,
« Quantum libet. LYC. Audio : sed rem expedias ocius.
« STROB. Si me torqueri jusseris ad necem, vide
« Quid consequare : primum servi exitium habes :
« Deinde, quod concupisces, ferre non potes.
« At si me dulcis libertatis præmio

« Dudum captasses, jamdudum votis fores
« Tuis potitus. Omnes Natura parit liberos,
« Et omnes libertati natura student.
« Omni malo, omni exitio pejor servitus :
« Et, quem Juppiter odit, servom hunc primum facit.
« LYC. Non stulte loqueris. STROB. Audi reliqua nunc jam :
« Tenaces nimium dominos nostra ætas tulit.
« Quos Harpagones, Harpyias et Tantalos
« Vocare soleo, in opibus magnis pauperes,
« Et sitibundos in medio Oceani gurgite :
« Nullæ illis satis divitiæ sunt, non Midæ,
« Non Crœsi : non omnis Persarum copia
« Explere illorum Tartaream ingluviem potest.
« Inique domini servis utuntur suis,
« Et servi inique dominis nunc parent suis :
« Sic fit neutrobi, quod fieri justum foret.
« Penum, popinas, cellas promptuarias
« Occludunt mille clavibus parci senes.
« Quæ vix legitimis concedi natis volunt,
« Servi furaces, versipelles, callidi,
« Occlusa mille clavibus sibi reserant;
« Furtimque raptant, consumunt, liguriunt :
« Centena nunquam furta dicturi cruce :
« Sic servitutem ulciscuntur servi mali
« Risu jocisque. Sic ergo concludo, quod
« Servos fideles liberalitas facit.
« LYC. Recte quidem tu, sed non paucis, ut mihi
« Pollicitus. Verum si te facio liberum,
« Reddes, quod cupio? STROB. Reddam : sed testes volo
« Adsint : ignosces, here; parum credo tibi.
« LYC. Ut lubet; adsint vel centum; jam nil moror.

27. Hinc fortasse nomen avari apud Molierum. N.

« STROB. Megadore, et tu Eunomia, adeste, precor, si libet.
« Exite : perfecta re mox redibitis.
« MEG. Qui nos vocat? hem, Lyconide. EUN. Hem, Strobile, « quid est?
« Loquimini. LYC. Breve est. MEG. Quid est? STROB. Vos « testes voco.
« Si quadrilibrem aulam auri plenam huc adfero,
« Et trado Lyconidæ, Lyconides me manu
« Mittit; jubetque juris esse me mei.
« Itane spondes? LYC. Spondeo. STROB. Jamne audistis hoc
« Quod dixit? MEG. Audivimus. STR. Jura enim per Jovem.
« LYC. Hem quo redactus sum alieno malo!
« Nimis procax es. Quod jubet, faciam tamen.
« STROB. Heus tu, nostra ætas non multum fidei gerit :
« Tabulæ notantur : adsunt testes duodecim :
« Tempus locumque scribit actuarius;
« Tamen invenitur Rhetor, qui factum neget.
« LYC. Sed me cito expedi, sis. STROB. Hem silicem tibi.
« LYC. Si ego te sciens fallam, ita me ejiciat Diespiter
« Bonis, salva urbe et arce, ut ego hunc lapidem. Satin'
« Jam feci tibi? STROB. Satis : ut ego aurum apportem, eo.
« LYC. I Pegaseo gradu, et vorans viam redi.

LYCONIDES, STROBILUS, MEGADORUS, EUNOMIA, EUCLIO.

« Grave est homini pudenti morologus nimis
« Servus, qui sapere plus volt hero suo.
« Abeat hic Strobilus in malam liber crucem,
« Modo mihi apportet aulam auro puro gravem :
« Ut Euclionem socerum ex luctu retraham
« Ad hilaritatem, et mihi conciliem filiam,

« Ex compressu meo novam puerperam.
« Sed ecce redit onustus Strobilus : ut reor,
« Aulam apportat : et certe est aula, quam gerit.
« STROB. Lyconide, apporto inventum promissum tibi,
« Aulam auri quadrilibrem : num serus fui?
« LYC. Nempe : o Dii immortales, quid video, aut quid « habeo?
« Plus sexcentos Philippeos ter et quater.
« Sed evocemus Euclionem protinus.
« O Euclio, Euclio. MEG. Euclio, Euclio. EUCL. Quid est?
« LYC. Descende ad nos : nam Dii te servatum volunt.
« Habemus aulam. EUN. Habetisne, an me deluditis?
« LYC. Habemus, inquam : modo, si potes, huc advola.
« EUCL. O magne Juppiter! o Lar familiaris, et
« Regina Juno, et noster thesaurarie
« Alcide, tandem miserari miserum senem!
« Oh, oh, quam lætis, aula, tibi amicus senex
« Complector ulnis, et te dulci capio osculo!
« Expleri nequeo mille vel complexibus.
« O spes, o cor! luctum depulverans meum.
« LYC. Auro carere semper duxi pessumum
« Et pueris, et viris, et senibus omnibus.
« Pueros prostare cogit indigentia,
« Viros furari, mendicarier ipsos senes.
« At multo pejus est, ut video nunc, supra
« Quam quod necesse est nobis auro opulescere.
« Heu quantas passus est ærumnas Euclio,
« Ob aulam paulo ante a se deperditam!
« EUCL. Quoi meritas referam grates? an diis, qui bonos
« Respectant homines? an amicis, rectis viris?
« An utrisque : utrisque potius. Et primum tibi,
« Lyconide, principium et auctor tanti boni,
« Hac ego te aula auri condono; accipias libens :

« Tuam hanc esse volo, et filiam meam simul,
« Præsente Megadoro, et sorore ejus, proba
« Eunomia. LYC. Et habetur, et refertur gratia,
« Ut meritus es, socer exoptatus mihi, Euclio.
« EUCL. Relatam mihi satis putabo gratiam,
« Si donum nostrum, et me ipsum, accipias nunc libens.
« LYC. Accipio, et Euclionis volo mea sit domus.
« STROB. Quod restat, here, nunc memento, ut sim liber.
« LYC. Recte monuisti : Esto merito liber tuo,
« O Strobile, et turbatam jam intus cœnam para.
« STROB. Spectatores, naturam avarus Euclio
« Mutavit : liberalis subito factus est.
« Sic liberalitate utimini vos quoque :
« Et, si fabula perplacuit, clare plaudite. »

Vir Cl. A. W. Schlegel de hac Plauti fabula æque et callide judicavit (*Cours de Littérature dramatique, traduit de l'allemand*, in-8, tom. II, pag. 252, 256.)

« Malheureusement les manuscrits de l'*Aulularia* de Plaute sont tronqués à la fin. Mais dans ce que nous en connaissons, il reste encore assez à admirer. Molière n'en a emprunté que quelques scènes et quelques traits, et le plan général de sa pièce est entièrement différent. Celui de la comédie de Plaute est très-simple; son avare a trouvé un trésor qu'il cache avec les plus grandes précautions : un vieux célibataire demande sa fille en mariage, cette circonstance éveille déja ses soupçons, et lui fait craindre que l'on n'ait eu connaissance de ses richesses. Les apprêts de la noce amenant des valets étrangers dans sa maison, il ne croit plus son trésor en sûreté, et va le cacher hors de chez lui, ce qui fournit à l'esclave de l'amant de sa fille l'occasion de s'en emparer. L'on conçoit bien que le voleur sera obligé de faire restitution, car sans cela la pièce finirait trop lamentablement par les plaintes et les malédictions du vieillard. L'intrigue amoureuse se dénoue avec facilité. Le jeune homme qui a usurpé trop tôt les droits du mariage, se trouve être le neveu du vieux célibataire, et celui-ci de son propre gré se retire et lui cède la place. Tous les incidents ne servent qu'à faire passer l'avare par une suite d'inquiétudes toujours croissantes, où se déploie sa triste passion ....

« L'idée ingénieuse de Plaute a été de faire que ce soient précisément

les soins exagérés du vieillard pour la conservation de sa cassette, qui sont cause qu'elle lui est enlevée. Le trésor souterrain est toujours présent à l'esprit du spectateur. Il est là comme un mauvais génie qui tourmente l'avare jusqu'à le rendre fou, et c'est une leçon de morale qui pénètre bien plus avant dans le cœur que celle de Molière. »

Quæ autem de Molieri fabula ejusdem argumenti contemptim pronuntiat, ea transcribere quia omitto, illi magis, quam Moliero, parcere me sapiens et æquus lector facile existimabit. N.



M. ACCII PLAUTI
SARSINATIS UMBRI
BACCHIDES.

DRAMATIS PERSONAE.

BACCHIDES[1], sorores, ambæ meretrices, una Mnesilochi, altera Pistocleri amica; hæc Athenis habitat, illa recens advecta est.

PISTOCLERUS[2], adolescens.

LYDUS[3], Pistocleri pædagogus.

CHRYSALUS[4], servus Nicobuli, comes Mnesilochi.

NICOBULUS[5], senex, pater Mnesilochi.

MNESILOCHUS[6], adolescens.

PARASITUS Cleomachi.

PUER Cleomachi.

PHILOXENUS, senex, pater Pistocleri.

CLEOMACHUS[7], miles.

1. Nomen meretricium a Βάκχω; vid. Prol. 37-40. Ita vulgo meretrices scenicæ nominantur; cf. Terentii Heautont. Hecyr. N.

2. Nomen ingenio accommodatum. Is enim fidem, injuria suspectus, sodali servat. N.

3. Gentile nomen. N.

4. Vere aureus hic est, utpote auri parator juvenibus; et ipse suo nomine gloriatur. Conf. act. IV, 4, 53. « Nomina comicorum servorum, inquit Donatus ad Ter. And. I, 3, 21, sunt indita... aut a moribus, ut Pseudolus, aut a negotio, ut Chrysalus ». N.

5. Consilio victor. Per antiphrasim (cf. Asin. nom. person.) nomen seni impositum, quem bis decipiunt servuli fallaciæ, tandem lenocinia meretricia irretiunt. N.

6. Memor insidiarum. Illius enim gratia insidiæ contra senem struuntur. N.

7. Nomine conditionem hominis et mores noscere est, qui ob prælia seu vera, seu ficta, gloriosum se jactat. N.

ARGUMENTUM SUPPOSITUM*.

*B*ACCHIDIS amore furit Mnesilochus.
*A*urum ut redimat, prosumia fertur Ephesum.
*C*retam Bacchis navigat, atque alteram
*C*onvenit Bacchidem : inde Athenas redit :
*H*inc dat Mnesilochus ad Pistoclerum literas,
*I*llam conquirat : redit : turbas movet,
*D*um putat amari suam : ut mutent geminas,
*E*i dat aurum : pariter amant.
*S*enes dum gnatis student, scortantur, potitant.

* Hoc argumentum eodem, quo fabulæ initium periit, fato fœde mutilum, si ad justos numeros revocare velis, totum sit refingendum; quod Cl. Bothius aggressus est. Nos, qualequale est in vulgatis, interpretari tentabimus. N.

1. Cl. Bothius versus componit sic : « Bacchidis amore adolescens Mnesilochus furit ». N.

2. *Aurum ut redimat.* Missus a patre, ut recipiat ab hospite aurum creditum. *Prosumia.* Vulg. *Præsumia*, quasi nomen aliquod loci, quem prorsus ignoro. Navigii genus parvum fuit prosumia. Cf. Nonius et Festus h. voc. Plauto æqualis, Cæcilius Amphitruone : « de nocte ad portum sum provectus prosumia ». Ergo possit corrigi versus hoc modo : « Aurum ut redimat, Ephesum fertur prosumia ». N.

3. Scribe *dein* vel quid simile post *Cretam*, ut versus consistat. — *Cretam navigat*, cum milite, postquam profectus est peregre Mnesilochus. — *Alteram*, sororem. N.

4. *Redit* ad sororem, quæ Athenas jam antea demigraverat. N.

5. *Hinc*, Epheso, ubi peregrinabatur. *Ad Pistoclerum*, amicum Athenis degentem. N.

6. *Illam conquirat*, priorem Bacchidem, quæ Athenas aliquandiu liquerat, dein redierat. *Redit*, ipse Mnesilochus. N.

7. *Dum putat amari suam* ab amico Pistoclero. N.

8. *Ut mutent gem. Ei dat aurum.* Hæc misere depravata ; compactum enim tale nusquam in fabula comparet. Scribe : « geminas at mutitant. Eii dat aurum Chrysalus : pariter ambo amant ». Sic versus et sententia constabunt : at (postquam cognovit esse alteram Bacchidem), fit mutatio, et geminas recipiunt quisque suam ; Mnesilocho Chrysalus dat aurum, ambo juvenes simul amori vacant. N.

ALIUD ARGUMENTUM
CAMERARII.

Ex Bacchidibus Plauti adducuntur a Charisio et Nonio, quæ in hac fabula non leguntur : ut esse mutilam illam facile existimare possimus. Quæ vero addita leguntur in editis libris, ut licet per me, de iis sentiat quisque, quod voluerit; ita vel mediocriter literis latinis erudito dubium esse non potest, Plautina illa non esse. Fulgentius quidam interpres veterum nominum, Nasiternam adducit de Plauti Bacchide : nescio an alia illa fabula fuerit : nam hujus nomen est Bacchides. Argumentum fabulæ tale est. Absens in Epheso, quo missus auri recuperandi gratia fuerat a patre Mnesilochus, petit a sodali Pistoclero, ut Bacchidem, amicam suam, quæ interim Athenis profecta erat, dein cum milite rediit, reperiat. Eam apud ejus sororem et ipsam nomine Bacchidem ille forte invenit, et hujus sororis amore implicatur. Redit mox Epheso Mnesilochus, et deceptus sermonibus Lydi pædagogi (credensque suam Bacchidem a Pistoclero amari, qui vero amat alteram), in ira consilium de auro senis retinendo, quod servus Chrysalus commentus fuerat, omne perturbat. Postea re cognita orat servum, ut aurum per fallacias retrahat. Id ille audacissime perficit : sed tandem fraude patefacta, sævi et minaces senes blanditiis meretricum pelliciuntur eodem, ubi filios perire ægerrime paullo ante tulerant.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

BACCHIDES.

PROLOGUS.

Comœdiæ hujus argumentum, prologus et scenæ principis initium primum, quod sciam, comparent in ed. Junt. quæ anno 1514 prodiit, unde in Gryphii, Longolii, Basileensem Hervagii, aliasque sequiores transierunt. « Fabulatur, inquit Taubmannus, Lascaris grammaticus ille Græcus, in epistola ad Bembum, se Messanæ in Sicilia ista invenisse. Sunt etiam, qui a Francisco Petrarcha conficta opinentur. Etiam in Basileensi edit. leguntur. » Bothius.

SILENUS.

« Mirum hodie'st, ni spectatores in subselliis
« Ridiculos strepunt, tussiunt, ronchos cient,
« Consulcant frontem, et ore concrepario
« Frequenter fremunt, atque male mussitant.
« Vix in juventa locum obtineant
« Aut glabri histriones, aut pervolsi ludii.

1. *Mirum*, etc. Hæc supposita legentem barbara carminis inconcinnitas offendit; quod ad veram trimetri rationem redigendum quisquis curaverit, multum insumet laboris, ut opinor, supervacanei; quippe quid refert, utrum recte stent, necne, quæ non Plautina sunt. Atque etiamsi Plautina illa essent, an vere Plautina, quæso, futura jam tibi sint, quæ ipse refinxeris. N.

2. *Ridiculos strepunt*. Parum latine. Strepitu excipiunt ridiculos, i. e. histriones. Bothius corrigit : « Ridiculo obstrepunt », i. e. mihi ad risum movendum parato obstrepunt ». N.

6. *Glabri histriones*. Conf. Aulul. II, 8, 6. N.

« Quid veternosus prodit internuncius
« Senex, qui dorso fertur asinario?
« Attendite, quæso, atque animum advortite,
« Dum nomen hujus eloquor statariæ.
« Æquom 'st vos deo facere silentium.
« Officio oris non decet illos utier,
« Qui, non ut clament, sed ut spectent, veniunt.
« Aureis date otiosas, at non in manum;
« Has volo volans vox vacuas feriat.
« Quid veremini? ictus an sint minus noxii,
« Qui repetunt laxa, aut hiulca obstruunt?
« Estis benigni, merito vos amant cælites.
« Factum'st silentium, tacent pueri.
« Novam ad rem jam novom spectate nuncium.
« Qui sim, cur ad vos veniam, paucis eloquar;
« Simul hujus nomen proferam Comœdiæ.
« Ecce fabor jam vobis, quod expetitis,
« Proinde vos mihi facite audientiam.
« Naturæ Deus sum, Bromii altor maxumi,
« Fœmineo qui peperit rem exercitu;
« Quidquid hujusce gentes ferunt inclutæ,

10. *Statariæ*. Melius dixisset *motoriæ*. « Comœdiæ, inquit Evanthius, motoriæ sunt, aut statariæ, aut mistæ. Motoriæ, turbulentæ; statariæ, quietiores; mistæ ex utroque actu consistentes ». N.

15. *Volans vox vacuas feriat*. Cf. Amph. I, 1, 169-70, 177-8. N.

16. *Quid veremini... h. obstruunt?* Video in his scurrilem jocum, de feriendis sonitu auribus et generali ictuum significatione. Sed fateor sententiam mihi non satis liquere, nisi v. 16 pro *minus* scribatur *nimis*. Et sic ludet, quasi spectatorum amoveat metus: « Cur timetis, ne ictus sint nimium noxii, qui ferient laxa et hiulca, i. e. vacua, scil. aures vestras? » N.

19. *Tacent pueri*. Conf. Pœnul. Prolog. 28-31. N.

25. *Naturæ Deus*. Est enim naturæ deus, non qui universæ naturæ præest, sed qui naturam cujusque hominis curat, et quidam hominis genius est. Turn.

26. *Peperit rem*, res maximas gessit. —*Exercitu fœmineo*, Baccharum. N.

27. *Quidquid hujusce*, etc. Omnia illius facinora, quæ gentes inclytæ narrant. — *Quidquid ... gesta sunt*. Cf. inf. IV, 4, 74. N.

« Nonnihil nostro gesta sunt consilio.
« Nunquam, quod mihi placet, illi displicet.
« Æquom'st, si pater obsequitur patri.
« Asibidam Ionii me vocitant greges,
« Quod vecturio senex vehar asinario.
« Qui sim, tenetis : si tenetis, sinite,
« Ut nomen hujus eloquar statariæ,
« Simul sciatis, ad vos cur venerim.
« Philemon Græcam olim dedit fabulam ;
« Hanc, qui græcissant, Evantides nuncupant.
« Plotus, qui latinissat, vocat Bacchides.
« Quare non est mirum, si huc advenerim.
« Bacchus bacchanteis Bacchas mittit Bacchides :
« Ego ad vos porto. Quid dixi mendacium?
« Non decet mentiri deum. At vera fabulor :
« Non ego eas porto, verum salsus asinus
« Via defessus, treis, si rite memorem,

28. *Nonnihil*, pro magna parte. N.

30. *Si pater obseq. patri.* Si Pater Liber dicto audiens est mihi patri suo, i. e. educatori, qui paternam adhibui illi curam. N.

31. *Asibidam.* Utrum sit legendum *Asibidam*, an *Alibidam*, plane ignoraremus, nisi subjunxisset : « Quod Asino vehar vecturio ». Legendum enim *Asivida.* Prius enim dictus *Asivehida*, forma patronymica : qualia multa componit Plautus jocans, ut *Rapacida*, *Plagipatida.* Hoc ex imitatione Æolum, qui fere epitheta patronymicῶs formant, ut Σπουδαργίδης. *Asinivehida* autem ratio etymi postulabat : sed consultum est euphoniæ, ut σιαλόγος pro σιαλολόγος : ἀμφιβολόγος pro ἀμφιβολολόγος. Scal. — *Ionii greges*, id est, greges histrionici, quia histriones Ludii vel Lydii dicuntur ; quidam enim hoc nomen non a ludo, sed a Lydia gente deductum volunt. Cf. *Larcher* not. ad Herodot. lib. I, 155. Lydii autem gens Asiatica, et Ionii hoc loco καταχρηστικῶς nominantur pro Asiaticis. Hæc omnia, nisi jam aliunde compertum esset, recentiorem manum arguant. N.

33. *Tenetis.* Cf. Capt. Prol. 10. N.

37, 38. *Græcissant ... latinissat.* Cf. Menæch. Prol. 11, 12. N.

40. *Bacchus*, qui vatibus, et præsertim comicis favet. — *Bacchanteis Bacch. Bacchid.* i. e. Bacchides, sorores, meretrices, quæ pro more talium vere Bacchæ bacchantur. Cf. vs. 46. N.

41. *Quid dixi mend.* Correctio comica. Cur mentitus sum? N.

42. *At v. f.* Nunc vera fabulabor.

« Fert; unum videtis : ore quid feram, specite;
« Duas sorores debacchanteis Samias,
« Meretrices lepidas, uno prognatas tempore,
« Iisdem parentibus, fœtu gemellitico,
« Non minus simileis, quam lacti lac, si conferas,
« Aut aquam aquæ : dimidiatas imputes.
« Has si videres, ita confundas oculos,
« Utra ut sit, non queas internoscere.
« Quod restat, expetitis : jam date silentium;
« Hujus argumentum eloquar Comœdiæ.
« Samos quæ terra sit, nota est omnibus.
« Nam maria, terras, monteis, atque insulas
« Vostræ legiones reddidere pervias.
« Hac Pyrgotelis Sostrata Pyrocli viro
« Uno edidit gnatas nisu geminas.
« Placuitque initiatis Trieteride,
« Quas ederent, Bacchi vocitare nomine.
« Parentes, ut fit crebro, fata occupant.
« Alteram miles secum in Cretam vexerat,
« Altera geminis adnatat Cecropias.
« Hanc, ut Nicobuli inspicit Mnesilochus,
« Amare obcipit, itat ad eam frequentius.
« Interea juvenem pater mittit Ephesum,
« Ut inde referat aurum, quod posuerat
« Ipse jampridem apud Archidemidem,
« Veterem amicum, senem Phœnicarium.

49. *Lacti lac.* Conf. Amph. II, 1, 54; Menæch. V, 9. 30. N.

50. *Dimidiatas*, factas ex una duas. N.

58. *Pyrgotelis.* Vulgatæ : « Pyrgoteli Sostrata Pyrocle viro », nullo sensu. Sequor Bothianam lectionem, quæ facile intelligitur : « Pyrgotelis (filia) Sostrata, etc. » N.

60. *Initiatis*, Pyrocli et Sostratæ. — *Trieteride*, sacris Bacchi. Virgil. Æn. IV, 302 : « audito stimulant trieterica Baccho Orgia ». N.

62. *Parentes... fata occupant.* Ii moriuntur. N.

64. *Altera geminis*, e geminis altera. N.

70. *Phœnicarium.* Utrum Phœni-

« Is quom biennio desideret Ephesi,
« Bacchidem abiisse, durum adcepit nuncium :
« Nam nautæ noti navigasse nunciant.
« Ut fugitivam cura et corde quæreret,
« Ad Philoxeni Pistoclerum filium
« Sodalem unicum sulcat epistolium.
« Dum Pistoclerus amico impartit operam,
« Athenas dudum quæ redierant geminæ,
« Conquisitorem in amorem conciunt.
« Altera Pistoclerum ad sese adlicit :
« Altera venienti desidet Mnesilocho.
« Geminæ Bacchæ duos Bacchanteis pullulos
« Quid mirum si ad sese traxerint blandulæ,
« Facetæ, pulcræ? Incurvos libitinarios,
« Veterrumos senes, illorum traherent patres.
« Sed eccum Pistoclerum, qui ad Bacchides
« Nuper inventas redit, et secum insolens
« Novos amoris dispuit igniculos.
« Nunc prodeo, audite. »

cia oriundus sit, an, ridicule conficto nomine a Phœnice, unice unicus laudetur senex, haud possim satis certo divinare. N.

73. *Noti*, qui eum noscebant. Tacit. Ann. II, 71 : « flebunt Germanicum etiam *ignoti* ». Phædr. lib. I, fab. XI, vs. 2 : « *ignotos* fallit, *notis* est derisui ». N.

84. *Libitinarios*, quos sibi reposcit dea Libitina, senes, ut Plautus ait, capulares. N.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

BACCHIDES.

ACTUS PRIMUS.

PISTOCLERUS, LYDUS.

« PIST. Di immortales, ut sentio, quod sentio! quid? nescio.
« Stans fugio : nullus est ignis, et totus ardeo.
« Quid id, nisi navim? novom profecto malum
« Video et sentio, potisne est terra ut terat hominum
« Atque prosternat? hodie nil præter terram et Baccham
« tetigi,
« Si Baccha est hæc, non nutrit Baccha, verum jugulat.
« E terra quoque obrepere olim dixerunt homines.
« Qui dum norant, quom esse cuperent, erant nihil.
« Quid mali hoc? an terra, an Baccha, fecimus naufragium?
« LYD. Amat hic quem video, nimirum si id est : quod
« emissitius
« Fora, templa, theatra, porticus, omneis fornices,

3. *Nisi navim?* Hæc atque sequentia fateor non mihi satis intellecta; Bothius mutat, refingit pro libito. Malo intractabilia omittere. Hoc tantum notandum est, auctorem hujus supplementi, quisquis fuerit, parum curasse, utrum sua cum Plautinis cohærerent; namque inducit Pistoclerum dicentem « se Baccham tetigisse », cui intactam adhuc prima fabula illam ostendet: neque diligentius rationem numerorum servavit, qui secundam *celocis* corripuit v. 13. N.

« Lustra, et Lustraleis cellulas quæsierit sedulo.
« PIST. Naufragus sum, fateor. Bacchus, haud Neptunus « celocem
« Hanc impellit, agit, quassat, imo frangit, distrahit.
« LYD. Bacchis hinc procellam concitat: actu'st: perdidi-« mus remigium.
« PIST. Referam me ad scopulum, ut istic cum ætate rem « perduam.
« Instabilis est sors rerum: pro lubidine fata agunt homines.
« Ego dum amico Mnesilocho operam impertio,
« Illi amicam reperi, ubi pereat cum re assiduo.
« Et mihi, meæque ætati, reique meæ peperi infortunium.
« Si volt Cupido, adolescens sum: ætati licet plusculum
« Jacturæ facere: melius, ut id nunc fiat, quam senio.
« Sapientum profecto'st illud dictum, quod Lydus increpat:
« Si Astartan* on Bromium, deosque voluptarios
« Contempsit juvenis, is aut insanibit, aut amabit senex.
« Referam me ad scopulum ex naufragio: pater leget fra-« gmina.
« Sequere me, Lyde: video sorores geminas: Bacchanal « meum. »

SCENA PRIMA.

BACCHIDES, PISTOCLERUS.

BACCH. I. Quid si hoc potis est, ut taceas, ego loquar? BACCH. II. Lepide: licet.

1. *Quid si hoc potis*, etc. Initium fabulæ periit, et diverbium incipit ex abrupto. Videlicet in præcedentibus, quæ nunc desiderantur, geminæ Bacchides, quarum una Mnesilochi olim amica, hodie conducititia militis Cleomachi, Athenis hospitatur recens advecta (vid. inf. vs. 8-12, 73), consultabant inter se quibus delinimentis altera Pistoclerum caperet. Is enim, dum sodalis sui amorem procurat (vid. Argum. Camerarii), in insidias devenit, quas illi struit Bacchis, Athenarum

BACCH. I. Ubi me fugiet memoria, ibi tu facito, ut subvenias, soror.

BACCH. II. Pol, magis metuo, mihi in monendo ne defuerit oratio.

BACCH. I. Pol, ego quoque metuo, lusciniolæ ne defuerit cantio.

Sequere hac. PIST. Quid agunt duæ germanæ meretrices congnomines?

Quid in consilio consuluistis? BACCH. I. Bene. PIST. Pol, haud meretricium 'st.

incola : hæc autem primas partes agit in hac scena, et prior loquitur. « Quid si hoc potis est, etc. » Sic vulgatæ. Cum neutro antique junctum *potis*. Cf. Lucret. I, 453, V, 718. Intellige : « fierine potest, ut taceas, ego autem loquar, scilicet cum adolescente? » Sed multi editores doctissimi præferunt : « Quid si hoc potiu'st, ut, etc. » i. e. illudne convenit inter nos, ut ego verba faciam, tu taceas? Hoc planius est, illud procacius et magis comicum. N.—*Lepide : licet*. Utrumque probantis. Conf. Mil. gl. II, 2, 86; Rud. IV, 6, 8, seqq. *Memoria* non est hoc loco ea, quæ rem præmeditatam revocat, sed mens, quæ in tempore dicenda faciendaque suggerit. Gallice : *l'esprit, la présence d'esprit.* N.

3. *Pol, magis metuo*, etc. Fiet citius, ut verba mihi desint monendo, quid agas, quam ut hæsites excogitanda malitia. N.

4. *Lusciniolæ*. Lusciniæ non deest cantio, est proverbium in eos, qui rem aliquam vel morem sive natura, sive adsuefactione et usu, semper in promptu habent. Unde Græcis aiunt lusciniam appellatam ἀηδόνα ὡς ἀεὶ ᾄδουσαν. GRON.*

5. *Sequere hac*. Hæc dicit adiens Pistoclerum.—*Quid agunt*. Formula salutandi. Cf. Aulul. I, 2, 39. N.

6. *Pol, haud meretricium 'st*. Non respondent meretrices, bene se consuluisse; quanquam sic interpretatur adolescens : sed ejus interrogationem rejiciunt, honesta illa formula reticendi aliquid sine injuria quærentis (*bene*) : de qua Donat. ad illud Terentii, Hecyr. III, 2, 20 : « Quid tu igitur lacrymas? PA. Recte, mater », explicat « nihil est ». Jocus est igitur in ambiguitate responsionis. Illæ nihil ad eum pertinere videri volebant, quod consuluissent : hic bene eas consuluisse interpretatus, quidquid esset, cavillatur ac mores earum conditionemque suggillat. ACID.—Arguta quidem interpretatio; sed ingeniosa magis, quam comperta. Etenim etiamsi vocem *recte* eo sensu, quo Acidalius dicit, usurpari sæpissime et Plauto et aliis auctoribus verum est, non tamen ideo adverbium *bene* idem valere necesse erit : neque ullum exemplum hujus significationis doctissimus profert, neque ego reperire potui. Verba autem, quæ sæpissime synonyma, feruntur, ut *recte* et *bene*, non tamen in

BACCH. II. Miserius nihil est, quam mulier. PIST. Quid esse dicis dignius?
BACCH. I. Hæc ita me orat, sibi qui caveat, aliquem ut hominem reperiam,
Ab istoc milite : ut, ubi emeritum sibi sit, se ut revehat domum.
Id, amabo te, huic caveas. PIST. Quid isti caveam? BACCH. I. Ut revehatur domum,
Ubi ei dediderit operas, ne hanc ille habeat pro ancilla sibi.
Nam hæc si habeat aurum, quod illi renumeret, faciat lubens.
PIST. Ubi nunc is homo 'st? BACCH. I. Jam heic, credo, aderit; sed hoc idem apud nos rectius
Poteris agere, atque is dum veniat, sedens ibi operibere.
Eadem biberis, eadem dedero tibi, ubi biberis, savium.
PIST. Viscus merus vostra 'st blanditia. BACCH. I. Quid jam? PIST. Quia enim intellego,

omnes æque usus pro iisdem accipi, quis nescit? Igitur ex plano interpretari hunc versum satius videtur, præsertim quum *bene consulere* vulgatissimæ sit latinitatis. Sensus est : « P. Quid consilii agitastis? B. Aliquid bonum. P. Hic non est mos meretricum ». N.

7. *Quid esse dicis dignius?* Sensus est : Quid ergo vis dignius esse miseria, quam mulierem? Dignis fit, quod miseræ sunt. Loquitur enim adolescens ferocior, necdum blanditiis earum delinitus. PISTOR.

8. *Sibi qui caveat, aliquem*, etc. Scil. qui patronum mulieris se profiteatur, ut militem, tempore exacto, cogat, si ille noluerit, eam remittere; neque eam sinat per injuriam velut ancillam retineri. Namque haud facile esset peregrinæ et soli, sine amicis, pauperi muliercula, jus suum tueri. Conf. Terent. Eunuch. I, 2, 67, sq. N.

9. *Ut, ubi emeritum sibi sit*, hoc est, postquam tempus operarum, quam militi locavit, exactum sit. Emerita stipendia dicuntur, quum militi tempus omne, quod militiæ juraverat, transactum est. ERN.

10. *Revehatur domum.* Namque secum abducturus erat miles mulierem. N.

12. *Renumeret*, reddat, ut a conditione, quam accepit, absolvatur. Vide hujus modi pactionis meretriciæ exemplum, Asin. IV, 1. N.

15. *Eadem biberis. Eadem* non est eadem sede, ut quidam volunt, sed eadem opera, ut recte Lambinus. Sic inf. 26, et III, 4, 57 : « Eadem exorabo ». Captiv. II, 2, 43 : « Eadem ego ex hoc, quæ volo exquæsivero ». Et sic passim. Igitur est : Dum operibere, simul bibes, simul dabo savium, etc. GRON.

16. *Viscus merus*, etc. Haud semel Plautus exhibuit adolescentulos vel

Duæ unum expetitis palumbem. Perii, arundo alas verberat.
Non ego istuc facinus mihi, mulier, conducibile esse arbitror.
BACCH. I. Quî, amabo? PIST. Quia, Bacchis, Bacchas metuo et Bacchanal tuum.
BACCH. I. Quid est, quod metuis? ne tibi lectus malitiam apud me suadeat?
PIST. Magis inlectum tuum, quam lectum, metuo : mala tu es bestia.
Nam huic ætati non conducit, mulier, latebrosus locus.
BACCH. I. Egomet, apud me si quid stulte facere cupias, prohibeam.
Sed ego apud me te esse ob eam rem, Miles quom veniat, volo :
Quia, quom tu aderis, huic mihique haud faciet quisquam injuriam.
Tu prohibebis, et eadem opera tuo sodali operam dabis.
Et ille adveniens tuam me esse amicam suspicabitur.

contra lenocinia voluptatum renitentes, conf. Trinum. II, 1, vel, postquam periere, sui pœnitentes, conf. Mostell. I, 2, Trucul. I, 1; neque admonere spectatores omisit, a quibus meretricum artibus ipsis cavendum esset, in quantam corruptelæ labem incurrerent, si eorum animi vincerentur. N.

17. *Arundo alas verberat.* Arundo visco illita et plumis induta, aucupii genus. Calami aucupatorii sensim paulatimque ab latente aucupe sic promoventur, et crescunt usque, donec alitis, quæ lactatur detineturque cantu, *alas verberent* vel visco tangant. Propert. « sed arundine sumpta Faunus plumoso sum deus aucupio ». Inf. V, 2 : « Tactus sum vehementer visco ». GRON.

18. *Istuc facinus*, illud quod agis et suades. N.

19. *Quî, amabo?* Quomodo hoc fit, quæso? N.

20. *Lectus* convivalis. Vid. v. 15. Magis callida est, quam ut verecundo, ut adhuc ille est, lectum alium objiciat. N.

22. *Huic ætati.* Sæpe *hic* pro *meus*, ut pro *ego*. Cf. Aul. II, 2, 60.— *Latebrosus locus.* Namque decet adolescentem romanum sub dio, in campo aprico agere, neque delitescere in lupanaribus. Conf. Horat. Od. I, 8; III, 2. N.

27. *Ille*, miles. N.

Quid, amabo, obticuisti? PIST. Quia sunt lepida istæc memoratu.
Eadem in usu, atque ubi periculum facias, aculeata sunt,
Animum fodicant, bona destimulant, facta et famam sauciant.
BACCH. II. Ecquid ab hac metuis? PIST. Quid ego metuam, rogitas? homo adulescentulus
Penetrare hujusmodi in palæstram, ubi damnis desudascitur,
Ubi pro disco damnum capiam, pro cursura dedecus?
BACCH. II. Lepide memoras. PIST. Ubi ego capiam pro machæra turturem,

28. *Memoratu*, dictu. Vid. inf. v. 35. Hæc, dum loqueris, pulchra et lepida videntur; sed, si fecerim, pessima sunt. N.

29. *Ubi periculum facias.* Generalis sententia. Si quis hæc lepida usu experiatur. N.

31. *Ecquid ab hac*, etc. Ante hunc versum in vulgatis datur hic : « Apage a me, apage, etc. » qui postea iterum profertur idem post 38, commodius certe. Itaque priorem expunxi, librariorum errore geminatum. N.

32. *Penetrare hujusmodi in palæstram*, etc. Comparatione instituta inter artes gymnasticas et voluptarias nugas, lasciviet Plauti ingenium longa enumeratione partium, multisque antithetorum cavillationibus. Item exemplo ab ædibus sumpto abutitur Mostell. I, 2. Sic per rudes spectantium animos licuit illi, ut fines dramaticæ poeseos aliquando excederet, atque recta oratione præcepta sapientiæ exsequeretur. — *Damnis*, profusione divitiarum. Curcul. IV, 1, 11. « diteis damnosos maritos ». — *Damnis desudascitur.* Bothius depravatum hunc locum suspicatur, quia sibi persuadere nequit Plautum duobus continuis versibus dixisse 32 *damnis*, 33 *damnum*. Et ingeniose comminiscitur fuisse olim scriptum *domnis* pro *dominis*, unde exorta sit vitiosa lectio *damnis*. Conjecturam ego retuli, nisi veram, at saltem haud ineptam, et quæ mendum vel poetæ, vel librariorum arguat. N.

33. *Ubi pro disco*, etc. De adolescentulorum exercitiis vid. inf. III, 3, 24 sq. Mostell. I, 2, 73. N.

34. *Turturem.* Douzæ interpretationi non acquiesco, qui aliquid turpitudinis sub hoc nomine tectum divinat; ut Vossius passerem Catulli, non passerem, falso suspicabatur. Lambinus accedere vero videtur, quum hunc turturem refert ad Romanorum morem dandi aves pueris, quibuscum lusitarent. Sed pueriles lusus excessit, siquis adolescens liberis lustris indulget. Quia tamen inter aves amatorias, ut columbæ, ita turtures censebantur,

Ubique inponat in manum alius mihi pro cestu cantharum;
Pro galea scaphium, pro insigni sit corolla plectilis,
Pro hasta talus; pro lorica malacum capiam pallium;
Ubi mihi pro equo lectus detur, scortum pro scuto adcubet.
Apage a me, apage. BACCH. I. Ah, nimium ferus es. PIST. Mihi sum. BACCH. I. Malacissandus es.
Equidem tibi do hanc operam. PIST. At nimium pretiosa es operaria.
BACCH. I. Simulato me amare. PIST. Utrum ego istuc jocon' adsimulem, an serio?

fieri potuit, ut in meretriciis domibus, generis hujus mansuetæ volucres, deliciarum causa, circa mensas volitarent, aut accumbentium manibus ferrentur, quæ ludicrum simul essent et improbe osculandi exemplum. Compertum habetur aves delicatis non solum pueris, sed feminis virisque usu fuisse adhibitas, aliaque etiam non ita lepida animalia, testibus Seneca de Ira, 31, «repentesque inter pocula sinusque innoxio lapsu dracones», et Martial. VII, 87, vss. 5-7: «delectat Marium, si perniciosus ichneumon ..... Si gelidum collo nectit Glacilla draconem»: nisi quis existimet turturis nomine insignitum fuisse aliquod instrumentum convivale; namque de armis istiusmodi tota est oratio hinc ad vs. 38. Sed conjecturam hanc non ausim defendere, quippe nulla auctoritate assertam. N.

36. *Scaphium.* Risum teneatis, quum doctos audiatis viros interpretantes scaphium vas illud, cui solent immeiere mulieres. Commoda sane galea. Sed nunc adolescens, qui nondum omnino solvit pudorem, scurrilitate vel impudentissimos e parasitis vinceret. Citant Juvenalem Martialemque. Quin meminissent Plauti, Stich. V, 4, 11: «quibus divitiæ domi sunt, scaphio et cantharis, Batiolis bibunt?» Scaphium ergo vas potorium majus. — *Pro insigni.* Insigne crista est, quæ in galea figitur. — *Corolla plectilis.* Mos notissimus coronam capiti imponendi in conviviis. Conf. Asin. V, 2, 29; Men. III, 1, 16. N.

37. *Pallium malacum.* Pallium hoc loco nominat vestem cœnatoriam, sive synthesin. Describit enim omnia, quæ solita convivio. Mollior pretiosiorque ea vestis, et sæpe purpurea. LIPS.

38. *Scortum pro scuto adcubet.* Lepide et acute. Scortum enim nomen habet a materia illa, quæ tegumentum scutis. GRUT.

39. *Mihi sum.* Quod sim ferus, hoc ad me pertinet. Conf. Mostell. IV, 2, 5. *Malaciss.* Jocus ex ambiguo; hoc enim verbum et pro molliendis frictu artubus usurpabatur. Vid. Sen. ep. 66. N.

40. *At nimium pretiosa es operaria.* Operæ tuæ nimis magna mercede conducuntur. LAMB.

41. *Amare.* Quid sit illud vid. 66.

BACCH. I. Heia! hoc agere meliu'st : Miles quom huc adveniat, te volo
Me amplexari. PIST. Quid eo mihi opu'st? BACCH. I. Ut ille te videat volo.
Scio, quid ago. PIST. Et, pol, ego scio, quid metuo: sed quid ais? BACCH. I. Quid est?
PIST. Quid? si apud te veniat de subito prandium, aut potatio
Forte, aut cœna, ut solet in istis fieri conciliabulis,
Ubi ego tum adcubem? BACCH. I. Apud me, mi anime : ut lepidus cum lepida adcubet.
Locus heic apud nos, quamvis subito venias, semper liber est.
Ubi tu lepide voles esse tibi, mea rosa, mihi dicito:
Dato, quî bene sit; ego, ubi bene sit, tibi locum lepidum dabo.
PIST. Rapidus fluvius est heic, non hac temere transiri potest.
BACCH. I. Atque, ecastor, apud hunc fluvium aliquid perdundum 'st tibi.
Manum da, et sequere. PIST. Aha, minume! BACCH. I. Quid ita? PIST. Quia istoc illecebrosius
Fieri nihil potest, Nox, Mulier, Vinum, homini adulescentulo.
BACCH. I. Age igitur : equidem, pol, nihili facio, nisi causa tua.
Ille quidem hanc abducet : tu nullus adfueris, si non lubet.

44. *Sed quid ais?* Conf. Asin. V, 11, 46; Aulul. IV, 9, 7. N.

50. *Dato, quî b. s.* da, quidquid opus est, ut bene sit convivantibus. N.

55. *Age igitur.* Quoniam abire vis, abi. — *Nihili facio*, parvi hoc facio, quantum ad me attinet; hoc curo tantum causa tua; qui ultro huc ad me venisti, officio functurus amicitiæ. Forte scriptum fuit : « Nihil facio, nisi causa tua ». Quod planius. N.

56. *Ille*, miles. — *Hanc*, Bacchi-

PIST. Sumne autem nihili, qui nequeam ingenio moderari meo!
BACCH. I. Quid est quod metuas? PIST. Nihil est; nunc ego, mulier, tibi me emancupo;
Tuus sum, tibi dedo operam. BACCH. I. Lepidus. Nunc ego te facere hoc volo:
Ego sorori meæ cœnam hodie dare volo viaticam;
Ego tibi argentum jubebo jam intus ecferri foras;
Tu facito opsonatum nobis sit opulentum opsonium.
PIST. Ego opsonabo; nam id flagitium sit meum, mea te gratia,

dem Mnesilochi. — *Tu nullus adfueris*, non præsto eris, quando non vis; deseres sodalis tui amicam. Itaque pessima meretrix fidem amicitiæ illecebris libidinis prætexit; et quum simulat refugientem dimittere, callide intelligit illum hoc demum modo revocatum iri. Sic parum consistit sibi vel maturior ævo, sed amore domitus, Alcestes in Molieri Misanthropo, act. II, sc. 3 et 4. N.

57. *Sumne autem nihili*. Hic succumbit adolescens victus arte meretricis: quod intelligens ipse se reprehendit et accusat. LAMB.

58. *Tibi me emancupo*, id est, quantum in me sumere me potestatis vel invito patre animus jubet, id totum alieno et tibi trado. Qui emancipat, non modo liberat filium, sed et jus, quod in eo habuit, cedit et transmittit in ipsum. Inde *emancipare* interdum ponitur, quasi idem sit quod mancipare. Vide nostra ad Senecam, epist. 45. GRON.

59. *Lepidus*, nunc certe lepidus es. BOXHORN. — *Nunc ego*, etc. Ergo sic agit, ut heram decet cum emancipato: *volo*. N.

60. *Cœnam viaticam*. Athen. lib. II, testis est, Athenienses et Lacones *viaticam cœnam*, quam ille appellat ὁδοιπορικὸν δεῖπνον, inter lautissimas cœnas habuisse: comparat autem hanc amatoriis, sive ἑταιρείοις, quam amans amanti in discessu dare solebat. Vid. Epid. I, 1. LONG.

61. *Argentum jubeo jam*, etc. Jam (actutum) jubebo pecuniam tibi ecferri intus (de mea domo). Venditat improba se liberaliter cum illo utentem; sed fœnerato funditat. *Intus*. Vid. Amph. II, 2, 138. N.

62. *Tu facito opsonatum sit..... opsonium. Opsonare opsonium*, vel *opsonare*, absolute est de macello emere opsonia. Audi in Captiv. III, 1, 14, parasitum querentem quod divites « Ipsi opsonant, quæ parasitorum antea erat provincia ». N.

63, 64. *Mea te gratia*, *et operam dare mihi*. Vel alludit ad ea, quæ Bacchis dixit sup. v. 40, vel magis serio intelligit, quum sibi suum officium erga sodalem explendi Bacchis præbeat locum et operam, vid. vs. 55, non æquum esse, ut ea sumptum faciat: forte utrumque. N.

Et operam dare mihi, et ad eam operam facere sumtum de tuo.

BACCH. I. At ego nolo dare te quidquam. PIST. Sine. BACCH. I. Sino equidem, si lubet.

Propera, amabo. PIST. Prius heic adero, quam te amare desinam. (egreditur.)

BACCH. II. Bene me adcipis advenientem, mea soror. BACCH. I. Quid ita, obsecro?

BACCH. II. Quia piscatus, meo quidem animo, hic tibi hodie evenit bonus.

BACCH. I. Meus ille quidem 'st : tibi nunc operam dabo de Mnesilocho, soror,

Ut heic adcipias potius aurum, quam hinc eas cum Milite.

BACCH. II. Cupio. BACCH. I. Dabitur opera. Aqua calet; eamus hinc intro, ut laves.

Nam ut in navi vecta es, credo, timida es. BACCH. II. Aliquantum, soror.

Simul hinc nescio qui turbat, qui huc it : decedamus.

BACCH. I. Sequere hac igitur me intro in lectum, ut sedes lassitudinem.

66. *Prius heic adero, quam te amare desinam.* Donatus ad illud Terentii, Eun. IV, 2, vs. 640: « Certe extrema linea Amare, haud nihil est », notat : « Amare, modo frui amore dicit; Plaut. Bacchid. « Prius hic adero, quam te amare desinam ». Et, « Sine te amem ». GRON. — I. e. vix discessero ab tuis amplexibus, quum huc rediero. Amatoria festinationis jactantia haud absimilis illis servilibus Amphitr. III, 3, 14. De significatione verbi *amare*, vide quæ ad Asin. Argum. acrost. v. 1 adnotavimus. N.

68. *Piscatus.* Quia scenici amatores vulgo irretiebantur lenociniis, meretricum artes venatui vel piscatui sæpissime verbis comicorum adsimilantur. N.

69. *Meus ille quidem 'st : tibi*, etc. Ego postquam Pistoclerum devinxi mihi, nunc tibi adero, ne Mnesilocho eripiaris. N.

71. *Aqua calet.* Ut frigida eis qui deliquium animi patiuntur, prodest : ita calida illis qui timuerunt, vel laborarunt vehementius. Conf. Truc. II, 2. DELB.

72. *Timida*, ægra. Conf. Amphit. I, 3, 28. N.

73. *Nescio qui*, i. e. nescio quis. Audit advenientem Lydum, et jurgium cum Pistoclero habentem. N.

SCENA SECUNDA.

LYDUS, PISTOCLERUS.

LYD. Jamdudum, Pistoclere, tacitus te sequor,
Spectans, quas tu res hoc ornatu geras.
Nam, ita me dii ament, ut Lycurgus mihi quidem
Videtur posse heic ad nequitiam adducier.
Quo nunc capessis te hinc advorsa via,
Cum tanta pompa? PIST. Huc. LYD. Quid huc? Quis isteic habet?
PIST. Amor, Voluptas, Venus, Venustas, Gaudium,
Jocus, Ludus, Sermo, Suavis-suaviatio.
LYD. Quid tibi conmerci 'st cum [diis] damnosissumis?

2. *Spectans*, exspectans, quid velis agere. N.

3. *Ita me dii ament, ut*, etc. Formula deos obtestandi usitatissima. I. q. volo dii mihi irascantur, nisi, etc. Et aliquando subtrahitur *ut*. Mil. glor. III, 1, 131: « ita me dii deæque ament, æquom fuit, etc. » Cf. Amph. II, 1, 50; Aul. III, 2, 31. N.

4. *Heic*, in hac urbe; namque nescit adhuc de Bacchidibus. Vid. inf. 5, 6. N.

5. *Advorsa via*, quæ est exadverso, i. e. recta, porro. Non assentior iis qui intelligunt « via contraria », non ad continentiam ducente, sed ad nequitiam ». N.

6. *Cum tanta pompa?* I. e. comitatu servorum opsonia ferentium. *Huc*. Monstrat domum Bacchidis. *Habet*, habitat. Aul. prol. 5. N. — « Quis est mortalis tanta fortuna adfectus unquam, Quanta ego nunc sum, cujus hæc ventri portatur pompa ». Fragm. Plaut. apud Macrob. Sat. II, 12. Conf. Casin. III, 5, 66. N.

8. *Jocus, Ludus*. Ille dicendi, hic agendi festivitas. Conf. Pseudol. prol. 20. — *Sermo* absolute pro confabulatione amatoria, dulcibus susurris. Verbis antecedentibus satis definitur. ὀαριστύς. N.

9. *Cum [diis] damnosiss*. Vocem *diis* invito Plauto inculcatam esse existimo. Non enim convenit *deos* appellare Lydum, qui versu tertio post eos deos esse negat. Præterea trimetros est versus integer sine hac voce. Ille vero dixerat: « Quid tibi commercii est cum damnosissimis? » vel intelligens *rebus*, vel dicturus etiam, nisi ab interfato Pistoclero obturbaretur. GRONOV. — Videtur Gronovii conjectura eo comprobari, quod Pistoclerus statim subjicit: « qui bonis dicunt male ». *Bonis* opponuntur *damnosissumis*, nulla deorum mentione facta. Dein aggerat crimen, quum

PIST. Mali sunt homines, qui bonis dicunt male.
Tu dîs nec recte dicis : non æquom facis.
LYD. An deus est ullus Suavis-suaviatio?
PIST. An non putasti esse? nimium quam, o Lyde, es barbarus,
Quem ego sapere nimio censui plus, quam Thalem;
I, stultior es barbaro Potitio,
Qui tantus natu deorum nescis nomina.
LYD. Non hic placet mî ornatus. PIST. Nemo ergo tibi
Hoc adparavit : mihi paratum 'st, quoi placet.
LYD. Etiam me advorsus exordire argutias?
Qui si decem habeas linguas, mutum esse addecet.
PIST. Non omnis ætas, Lyde, ludo convenit.
Magis unum in mente'st mihi nunc, satis ut conmode
Pro dignitate opsoni hæc concuret cocus.

deos nominat. Sed, ut opinor, præclarus vir lapsus est, quum versum a Plauto ita scriptum censet : « Quid tibi commercii, etc. » nam in genitivis hujus declinationis nondum geminabatur *i*. At versus constat, si scribas *conmerci*, neque elidatur ultima, quod Plauto usitatissimum. N.

11. *Nec recte dicis.* Conf. Asin. I, 3, 3. N.

13. *Nimium quam*, i. e. multum, magnopere. Captiv. I, 2, 17. Conf. Gell. N. A. XV, 1 : « declamaverat... nimium quantum delectabiliter et feliciter ». N.

14. *Nimio...plus*, multo magis. Vid. inf. 42, 43. — *Thalem*, unum e septem sapientibus, ingenio et doctrina longe nobilissimum. Hujus nomen Plautus quasi proverbiale eximiæ sapientiæ indicium non semel protulit. Cf. Capt. II, 2, 24; Rud. IV, 3, 64. N.

15. *Potitio.* Stultitia Potitiorum in proverbium cesserat apud Romanos, sicut sapientia Thaletis in Græcia. Conf. Tit. Liv. IX, 29, qui narrat, Appii censoris persuasu, Potitios, gentem, cujus ad aram maximam Herculis familiare sacerdotium, jam ab Evandri ætate (id. I, 7), fuerat, tradidisse servis publicis sacri ejus solemnia; et inde, quum ea tempestate duodecim familiæ Potitiorum essent, omnes intra annum exstinctos.—*Barbarus* opponitur *græco* Thaleti. Cf. Asin. prol. 11. N.

17. *Ornatus*, vestis. N.

19. *Me advorsus*, coram me, erga me. Sic Fabius cum Paulo colloquutus, solus cum solo, apud Liv. XXII, 39 : « nec gloriandi tempus adversus unum est ». N.

21. *Non omnis ætas, Lyde, ludo*, etc. Hic ludus scilic. discendi, dissimilis a *ludo* vs. 8. Et paronomasia est non illepida, in *Lydo* et *ludo*. LAMB.

LYD. Jam perdidisti te, atque me, atque operam meam,
Qui tibi nequidquam sæpe monstravi bene.
PIST. Ibidem ego meam operam perdidi, ubi tu tuam:
Tua disciplina nec mihi prodest, nec tibi.
LYD. O præligatum pectus! PIST. Odiosus mihi es.
Tace, atque sequere, Lyde, me. LYD. Illuc, sis, vide,
Non pædagogum jam me, sed Lydum vocat.
PIST. Non par videtur, neque sit consentaneum,
Quom herus heic intus sit, et cum amica adcubet,
Quomque osculetur, et convivæ alii adcubent,
Præsentibus illis pædagogus una ut siet.
LYD. An hoc ad eas res opsonatum 'st, obsecro?
PIST. Sperat quidem animus: quo eveniat, dìs in manu'st.
LYD. Tu amicam habebis? PIST. Quom videbis, tum scies.
LYD. Imo neque habebis, nec sinam: iturus sum domum.
PIST. Omitte, Lyde, ac cave malo. LYD. Quid? cave malo?
PIST. Jam excessit mihi ætas ex magisterio tuo.

25. *Monstravi bene*, bona docui.

28. *O præligatum pectus!* O insanum pectus! Ab his, qui veneficiis, ceu vinculis, ligati videntur, et illecebris quibusdam veluti defixi tenentur. TURNEB. — *Odiosus*, qui tædio est. N.

30. *Non pædagogum*, etc. Irascitur quia nomine proprio, non appellatione magisterii, vocatus sit ab adolescente, qui rationem facti reddit lepide inf. 31-34. N.

31. *Consentaneum*, conveniens, consonum. N.

36. *Sperat quidem*, etc. Ita spero fore; utrum fiat, in manu deorum est. Hac solemni et gravissima verecundiæ erga deos professione petulans adolescens ridicule magis illudit magistro. N.

38. *Iturus sum domum*. Forte: « i tu rursum domum ». SCRIV.—Both. « iturus domum? » Sed versus, ut vulgatis profertur, constat metro et sensu. I. e. redibo domum, unde arcessam patrem tuum. N.

39. *Cave malo?* Cf. Amph. prol. 27. Vide ut gliscat pueri protervitas; quem, non magistrum, sed nomine modo vocavit, nunc eidem minatur malum. N.

40. *Ex magisterio*. Recte sic optimi libri. Nec admittendum aut probandum editionum vetustiorum *magistratu*: quod Meursio placet, Gruterus corruptis Livii et Senecæ locis tuetur; alii sic rejiciunt, ut duas istas voces promiscue apud latinos auctores poni tamen fateantur. Non utique apud attentius loquutos. Vide nostra ad Livii lib. XXIV. GRON.

LYD. O barathrum, ubi nunc es? ut ego te usurpem lubens!
Video nimio jam multo plus quam volueram.
Vixisse nimio satiu'st jam, quam vivere.
Magistron' quemquam discipulum minitarier?
Nil moror discipulos mihi esse jam plenos sanguinis:
Valens adflictet me vacivom virium.
PIST. Fiam, ut ego opinor, Hercules, tu autem Linus.
LYD. Pol, metuo magis, ne Phœnix tuis factis fuam,
Teque ad patrem esse mortuum renuntiem.
PIST. Satis historiarum 'st. LYD. Hic vereri perdidit.
Conpendium, edepol, haud ætati optabile
Fecisti, quom istanc nactus inpudentiam.
Obcisus hic homo 'st: ecquid in mentem 'st tibi,
Patrem tibi esse? PIST. Tibi ego, aut tu mihi servos es?
LYD. Pejor magister te istæc docuit, non ego.

41. *Barathrum*, generatim profunda vorago, speciatim inferorum sedes. Conf. Rud. II, 7, 12; Virg. Æn. VIII, 245. Festus h. voc. — *Te usurpem*, in te me agam præcipitem. N.

43. *Vixisse... quam vivere*, multo malim mortem jam obiisse. Conf. Captiv. III, 3, 1. N.

45. *Nihil moror*, non cupio. — *Plenos sanguinis*, valentes, ut *exsanguis* est infirmus, languens. N.

46. *Vacivom*, vacuum. Cf. Trin. prol. 11; Pseudol. I, 5, 54. N.

47. *Fiam, ut ego opinor, Hercules*. Linus Herculem in musica discipulum objurgans, ab ipso allisa in caput cithara, occisus est. LAMB.

48. *Ne Phœnix*. Phœnix Achillem discipulum a Paride ad Trojam interfectum Peleo nuntiavit. LAMB.

50. *Satis historiarum 'st*. Gallice *des contes*. Ita fere, quæ Fabius narravit, exempla Scipio contemptim eludit: «græcas fabulas enarrare vacat». Tit. Liv. XXVIII, 43. N.—*Vereri perdidit*. Infinitivus vicem nominis apud Plautum sæpe obtinet. «Ita tuum conferto amare semper», Curcul. I, 1, 28. Lucret. IV, 769: «meminisse jacet, languetque sopore». N.

51. *Conpendium*, lucrum; rem acquisivisti. — *Haud ætati optabile*, non utile tibi. Ætas pro persona sæpissime usurpatur. Conf. Asin. I, 3, 39. N.

53. *Ecquid*, an. Amph. II, 1, 29; Aul. II, 3, 3. — *In mentem 'st*. Cf. Amph. I, 1, 25. N.

54. *Tibi ego, aut tu mihi servos es?* Vitiosam illam Veterum institutionem, qua parentes liberorum pueritiam pædagogis servis tradebant, Plautus ridiculo corripit haud minus acriter quam severa disputatione Plutarchus, de pueris educandis. N.

Nimio es tu ad istas res discipulus docilior,
Quam ad illa, quæ te docui, ubi operam perdidi.
PIST. Istactenus tibi, Lyde, libertas data 'st.
Orationis satis est : sequere me, ac tace.
LYD. Edepol, fecisti furtum in ætatem malum,
Quom istæc flagitia me celavisti, et patrem.

60. *Furtum.* Κλοπὴν, κλέμμα, pro calliditate et astutia, qua quis consilium suum occultat. Sic et κλέπτειν pro fallere et latere, et voluntatem celare, Græci utuntur. LAMB. — Recte se habet ut editum est : « fecisti furtum in ætatem malum ». *In ætatem* pro *in ætate*, ut apud Ciceronem et alios Veterum, *in civitatem* pro *in civitate*. *In ætate*, id est, in vita. Et sic Plautus sæpe loquitur, Amph. I, 1, 25; Trinum. I, 1, 2; II, 4, 61, et alibi passim. SALMAS.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

CHRYSALUS.

Herilis patria, salve; quam ego biennio,
Postquam hinc in Ephesum abii, conspicio lubens.
Saluto te, vicine Apollo, qui ædibus
Propinquos nostris adcolis, veneroque te,
Ne Nicobulum me sinas, nostrum senem
Prius convenire, quam sodalem viderim
Mnesilochi Pistoclerum, quem ad epistolam
Mnesilochus misit super amica Bacchide.

SCENA SECUNDA.

PISTOCLERUS, CHRYSALUS.

PIST. Mirum 'st, me, ut redeam, te opere tanto quæsere,

1. *Herilis patria, salve.* Mos erat, ut qui primum ingrederentur regionem aliquam, ad eamve ex intervallo reverterentur, religiose eam salutarent: idque, quoniam cuique loco suum quemdam Genium præesse arbitrabantur. HEINS.

3. *Vicine Apollo.* Lares vicini, et viales, vicorum præstites: apud Græcos θεοὶ ἀγυιεῖς nominabantur: iique erant præcipui Apollo et Bacchus. MEURSIUS.

4. *Venero*, antique, i. q. veneror, precor. Conf. Aulul. prol. 8. Horat. Sat. II, 6, 8: « si veneror... nihil horum », i. e. precor. N.

7. *Quem ad*, anastrophe, ad quem. N.

1. *Mirum 'st, me... te... quæsere.* Cur me rogas, ut, etc. Hæc Pistoclerus exiens ad amicam intus loquitur. N. — *Quæsere*, i. e. orare. Lucret. V, 1228: « ac prece quæsit ventorum pavidus paces ». Ita No-

Qui abire hinc nullo pacto possim, si velim :
Ita me vadatum amore vinctumque adtines.
CHRYS. Proh di inmortales, Pistoclerum conspicor.
O Pistoclere, salve. PIST. Salve, Chrysale.
CHRYS. Conpendi verba multa jam faciam tibi.
Venire tu me gaudes, ego credo tibi.
Hospitium et cœnam pollicere, ut convenit,
Peregre advenienti : ego autem venturum adnuo.
Salutem tibi ab sodali solidam nuntio.
Rogabis me, ubi sit. PIST. Vivitne, et recte valet?
CHRYS. Istuc volebam ego ex te percontarier.
PIST. Quî scire possum? CHRYS. Nullus plus. PIST. Quemnam ad modum?

ster, Amphit. II, 2, 88, et alibi. Manil. lib. I, 418 : « Quæsivere deos », i. e. invocarunt. Ibid. 891 : « quæsitus rector Olympi », id est, invocatus. SCALIG.

2. *Qui abire hinc n. p. p.* Et mirum quidem videbitur, quod se nullo modo abire posse dicat, nempe digrediens. Oratio amantis. Nam hic remanebit animus, dum corpus aberit. Præterea longe aliud est abire absolute, atque discedere ad tempus, præsertim si ille, quod spectator vel indictum suspicatur, compactam cum Bacchidibus aliquam rem procuraturus sit. N.

3. *Vadatum*, passive obligatum datis vadibus. Hoc verbum active usurpat, Curcul. I, 3, 5. N.

6. *Conpendi verba multa jam faciam*, prævortam ne multa verba facias; lucro tibi erit, quod per me verbis parces. Conf. Asin. II, 2, 41. N.

8, 9. *Hospitium et cœnam*, ἓν διὰ δυοῖν, hospitalem cœnam, peregre advenienti. Conf. Amph. I, 1, 8.— *Adnuo*, lepida servi faceti procacitas, qui se ultro vocat ad cœnam, quasi sodalem Pistocleri, non verberonem. N.

10. *Salutem tibi ab sodali ... nuntio*, tibi do salutem verbis Mnesilochi. — *Solidam*, plenam et integram. N.

11. *Ubi sit.* Formula percunctandi de aliquo absente. Vid. scen. seq. vs. 10, 12. Fere i. q. « quomodo se habet ? » Sic Virgil. Æn. III, 313 : « Hector ubi est ? » et eodem sensu, « quo res summa loco ? » Æneid. II, 322. N. — *Vivitne, et recte valet.* Recepi editoris Bip. lectionem, vulgatis potiorem, in quibus neque lucida oratio satis, neque congruum carmen : « CH. Rogabis me ubi sit? vivit. PIST. Nempe recte valet ». Plautus ipse emendationem comprobat infra vs. 14, et scen. 3, vs. 12. N.

13. *Nullus plus*, nemo magis, quam tu, scire hoc potest. N.

CHRYS. Quia si illa inventa 'st, quam ille amat, vivit, recte et valet:
Si non inventa 'st, minus valet, moribundus est.
Anima 'st amica amanti : si abest, nullus est;
Si adest, res nulla 'st, ipsus est nequam et miser.
Sed tu quid factitasti mandatis super?
PIST. Egon' ut, quod ab illo adtigisset nuntius,
Non inpetratum id advenienti [ei] redderem?
Regiones colere mavellem Acheruntica.
CHRYS. Eho, an invenisti Bacchidem? PIST. Samiam quidem.
CHRYS. Vide, quæso, ne quis tractet illam indiligens.
Scis tu, ut confringi vas cito Samium solet.
PIST. Jamne, ut soles? CHRYS. Dic ubi ea nunc est, obsecro.
PIST. Heic, exeuntem me unde adspexisti modo.
CHRYS. Ut istuc est lepidum! proxumæ viciniæ
Habitat: ecquidnam meminit Mnesilochi? PIST. Rogas?
Imo unice unum plurimi pendit. CHRYS. Papæ!
PIST. Imo ut eam credis? misera amans desiderat.

17. *Si adest, res nulla 'st.* Hæc deflectunt a comparationis proposito, et ad amicam solum pertinent. I. e. præsente amica, bona amatoris pereunt: ipse est, vivit, sed nequam, et miser. N.

18. *Mandatis super.* Sic Virg. Æn. I, vs. 750: « multa super Priamo, etc. » N.

19. *Quod ab illo adtigisset.* Τὸ *quod*, idem quod, *propter quod*, qua de re, id est, quam ob causam. Et, « nuncius ab illo », dictum, sicut illud Lucretii, « fulgor ab auro », pro auri. Porro eleganter « nuncius adtigisse » dicitur pro pervenisse: ut vel hac fab. IV, sc. penult. « si a me tetigit nuncius, etc. » SCIOPP.

22. *Samiam.* Cf. prol. 46, 55-59. N.

23. *Vide, quæso.* Jocus. Alludit ad vasa Samia, quæ ex luto Samio ficta erant, idcirco fragilia. LAMB. — *Ne quis tractet*, etc. Non insulsa quidem et e re nata ludificatio, immo verbis continuata; namque hujusmodi mulierculæ plus æquo tractabiles se dabant. N.

25. *Jamne, ut soles?* nempe jocaris pro solito. GRON.

27. *Proxumæ viciniæ.* Suppl. in regione, similis locutio his « domi, Romæ habitat ». N.

28. *Ecquidnam*, an. N.

30. *Imo ut eam credis?* Vulgatæ dant *eum* sine interrogatione, et sic explicant: Immo, ut eum amare eam credis, sic ea eum deside-

CHRYS. Scitum istuc. PIST. Imo, Chrysale, hem non tantulum,
Unquam intermittit tempus, quin eum nominet.
CHRYS. Tanto, hercle, melior Bacchis. PIST. Imo.... CHRYS. Imo, hercle, abiero
Potius. PIST. Num invitus rem bene gestam audis heri?
CHRYS. Non herus, sed actor mihi cor odio sauciat.
Etiam Epidicum, quam ego fabulam æque, ac me ipsum, amo,
Nullam æque invitus specto, si agit Pellio.

rat. Sed Acidal. vere, ut opinor, locum et restituit et interpretatus est. Hanc formulam *ut eum* vel *eam credis?* docet et arguit exemplis esse hominum mirum aliquid et grande de aliquo narrare parantium, quasi dicant: « quid agere huuc censes », quo attentiorem faciant audientem, quæ loquuntur. Hoc loco *eum* nihil probi sensus habeat cum interrogatione, et oratio sine interrogatione frigeat. At nunc sic procedit sententia: « dixi illam plurimi eum pendere. Immo, quid censes de illius amore, quantus sit? misere amans desiderat Mnesilochum ». Acidalius vult *misere*, quod magis et latinum est et Plautinum. *Misere* cum verbo affectum exprimente significat vehementiam. Ita Horat. Sat. I, 9, 8: « misere discedere quærens », et « misere cupis, inquit, abire ». N.

31. *Sc. istuc.* Scita et faceta, etsi proprie sunt ea, in quibus est verborum urbanitas, solet transferre Plautus ad res optatas et jucundas auditu. Sic Sticho, I, 3, 30: « Oratio optima et scitissima: Veni illo ad cœnam ». Captiv. I, 2, 72: « te vocari ad cœnam volo. ER. Facete dictum ». Casin. III, 1, 11: « Nunc enim te demum nullum scitum scitius est ». GRON. — *Hem.* Bothius contra librorum consensum hanc exclamationem attribuit Chrysalo interrumpenti narratorem importunum; ut gallice qui diceret, compellatus et ægre ferens: *Eh bien.* Haud aspernenda conjectura. Potest tamen *hem* vulgari sensu *en* accipi. N.

33. *Imo, hercle, abiero.* Quum singulas quasque Bacchidis laudes, quas prolixe decantat, hoc verbo *imo* Pistoclerus inceperit; Chrysalus audito eodem prooemio, plura odiose narraturum intercipit, vehementi ipsius formulæ usurpatione, quod in tali animi motu fieri solet. N.

35. *Non herus* dactylum facit, ut pronuntiandi mos illa ætate fuit, *heru'*. Bothius mutavit: *non res*, audacter quidem, sed non contra sententiæ rationem. N.

37. *Si agit Pellio.* P. Pollionem circa hæc tempora comœdum fuisse, in artificio suo parum probatum famæ populari, certissimum est: quem hic a Plauto tangi veri dissimile non est. Nihil autem refert, sive *Pellionem*, sive *Pollionem* legas: sic enim casci illi enuntiabant, *Apollinem* et *Apellinem*. Men-

Sed Bacchis etiam fortis tibi visa 'st? PIST. Rogas?
Ni nactus Venerem essem, hanc Junonem dicerem.
CHRYS. Edepol, Mnesiloche, ut rem hanc natam esse intellego,
Quod ames, paratum 'st : quod des, invento 'st opus.
Nam istoc fortasse auro 'st opus. PIST. Philippeo quidem.
CHRYS. Atque eo fortasse jam opus 'st. PIST. Imo etiam prius.
Nam jam huc adveniet Miles. CHRYS. Et miles quidem!
PIST. Qui de amittunda Bacchide aurum heic exigit.
CHRYS. Veniat, quando volt, atque ita, ne mihi sit moræ.
Domi 'st : non metuo, nec quoiquam subplico,
Dum quidem hoc valebit pectus perfidia meum.

tio hujus et apud Symmach. X, ep. 2 : « Non idem honor... P. Pollioni, qui Ambivio, fuit ». J. GUL.

38. *Fortis*, id est, formosa. Servius et Nonius : nimirum *forte* dicebant Veteres quidquid quaque in re excelleret : inde *fortis* pro formoso, pro divite, pro nobili. MERC. — Cf. Mil. IV, 3, 17.

39. *Dicerem*. Lipsius *ducerem*, i. e. mihi conjugio caperem; sensu promptiore, sed qui etiam verbo *dicerem* comprehendatur, etsi magis implicite. Nam adolescens qui judicaret mulierem deæ Junoni similem, Jupiter vellet esse, nisi jam Venerem nactus esset. N.

42. *Istoc*, adverbialiter, ut *eo;* i. e. isto rerum statu.—*Auro 'st*. Vulgatæ omnes *aurum est*, sed quocum non congruat responsum Pistocleri « Philippeo quidem », neque sq. vs. « eo... opus est ». — *Philippeo*, effigie Philippi, Macedonum regis, cuso; probatissima apud Græcos moneta. N.

43. *Imo etiam prius*, scil. priusquam hoc dixisti.—*Jam*. Hyperbole. I. e. jam ante factum oporteat. N.

44. *Et miles quidem!* etiam miles. Hoc vel admirantis, quasi miles terrorem addat egestati, vel superbe exsultantis, tanquam jam lacessitus egestate pecuniæ, et insuper militem non metuat. Modo pronuntiandi, quid sensus verba ferrent, ab histrionibus indicabatur. Mentem suam Plautus histriones docuerat. Nobis conjiciendi dubitatio relicta est. Credo nunc paululum obstupere Chrysalum, quo acrior inde sit provocantis conversio. *Quidem* i. q. etiam; cf. I, 2, 3. N.

46. *Ne mihi sit moræ*. Quasi dicat : Tantum abest, ut eum sim moraturus in nummis expediendis, ut verear, ne ille me paratum moretur. LAMB.

47. *Domi 'st*, metaphorice hic *domi* sumitur. Jam paratum est nobis (domi), non ab aliis (foris) petimus. Nam cogitat Philippos, quos Mnesilochus Epheso retulit, nondum patri reddidit. Vid. scen. 3,

Abi intro, ego heic curabo: tu intus dicito
Mnesilochum adesse Bacchidi. PIST. Faciam, ut jubes.
CHRYS. Negotium hoc ad me adtinet aurarium.
Mille et ducentos Philippos adtulimus aureos
Epheso, quos hospes debuit nostro seni.
Inde ego hodie aliquam machinabor machinam,
Unde aurum efficiam amanti herili filio.
Sed foris concrepuit nostra: quinam exit foras?

SCENA TERTIA.

NICOBULUS, CHRYSALUS.

NIC. Ibo in Piræeum: visam, ecquæ advenerit
In portum ex Epheso navis mercatoria.
Nam meus formidat animus, nostrum tam diu
Ibi desidere, neque redire filium.
CHRYS. Extexam ego illum pulchre jam, si dii volunt.
Haud dormitandum 'st: est opus chryso Chrysalo.
Adibo hunc, quem quidem ego hodie faciam heic arietem

vs. 131. Amphitr. II, 2, 7. N.

49. *Intro*, ad Bacchidem. N.

50. *Bacchidi.* Ordo est: Dicito Bacchidi Mnesilochum adesse reducem. N.

56. *For. concrep.* Cf. Aul. IV, 5, 5.

1. *Ecquæ*, an aliqua. Sic Curcul. II, 3, 62: «ecquem Lyconem gnoverim», id est, an Lyc. nov. N.

5. *Extexam*, spoliabo illum auro. *Extexere* est, telam sua textura, aut lana nudare. LAMB.—*Extexam*. Hoc verbum, cujus hoc unice unum, quod sciam, exemplum datur apud auctores, varie explicant metaphorice: «illum spoliabo auro», vel «illius consilia pervortam», quia in sensu proprio non consentiunt. *Extexere* Lambino videtur i. q. telam sua textura aut lana nudare, aliis «retexere, destruere telam». At quæro annon particula *ex* possit hic habere augendi vim, magis quam privandi, et sit *extexere* i. q. *detexere*; ergo Plaut. dicere voluerit «illum probe conficiam». Gall. vulgari sermone: *Je vais le travailler comme il faut.* N.

6. *Chryso.* Græcissat homo ludum captans, qui latine modo, scen. 2, vs. 51, idem dixit, non illepide quidem, «negotium aurarium». Multi, credo, ex ultima cavea græcarum literarum rudes tum egebant interprete. N.

7. *Quem quidem ego hodie faciam*

Phryxi, itaque toudebo auro usque ad vivam cutem.
Servos salutat Nicobulum Chrysalus.
NIC. Proh di inmortales! Chrysale, ubi mi 'st filius?
CHRYS. Quin tu primum salutem reddis, quam dedi?
NIC. Salve: sed ubinam 'st Mnesilochus? CHRYS. Vivit, valet.
NIC. Venitne? CHRYS. Venit. NIC. Evax! adspersisti aquam.
Benene usque valuit? CHRYS. Pancratice atque athletice.
NIC. Quid? hoc, qua causa eum hinc in Ephesum miseram,
Accepitne aurum ab hospite Archidemide?
CHRYS. Heu cor meum et cerebrum, Nicobule, finditur,
Istius hominis ubi fit quaque mentio.
Tun' hospitem illum nominas hostem tuum?
NIC. Quid ita, obsecro, hercle? CHRYS. Quia, edepol, certe scio,
Vulcanus, Sol, Luna, Dies, dei quatuor,
Scelestiorem nullum inluxere alterum.
NIC. Quamne Archidemidem? CHRYS. Quam, inquam, Archidemidem.
NIC. Quid fecit? CHRYS. Quid non fecit? quin tu id me rogas?

heic arietem Phryxi. Quem ego tondebo et auro spoliabo, ut arietem Phryxi, cujus vellus aureum erat. LAMB.

10. *Ubi mi 'st filius?* Eminet hic paterna caritas festinatione percunctandi de filio; eminet seqq. Nam fallaciæ Chrysali, quæ mox fient, ni pater indulgens esset, non succederent. De hac locutione conf. scen. 2, vs. 11. N.

13. *Adspersisti aquam.* Est, quod Terent. Andr. II, 1, 334, dixit: « Reddidisti animum ». Trucul. II, 4, 15: « Adspersisti aquam; jam rediit animus ». LAMB.

14. *Pancratice atque athletice.* Vide notas Epid. I, 1, 18. ERN.

15. *Quid? hoc, qua causa*, etc. Eia. Quod attinet ad *hoc*, cujus causa vos miseram, etc. Notabilis ἰδιωτισμὸς Veterum. Sic infra, V, 9: « Quid, quod te misi, ecquid egisti? » Terent. Heaut. V, 1, 936: « Quid hoc, quod volo, ut illa nubat nostro? » Phormione, V, 1, vs. 567: « Quid? qua profectus causa hinc es in Lemnum, Chreme? Adduxtin' tecum filiam? » GRON. — Conf. sc. sup. 19. N.

22. *Inluxere*, active, i. q. illustrare. Cf. Amph. I, 3, 49. N.

Primumdum infitias ire cœpit filio:
Negare se debere tibi triobulum.
Continuo antiquom hospitem nostrum sibi
Mnesilochus advocavit, Pelagonem senem:
Eo præsente, homini extemplo ostendit symbolum,
Quem tute dederas ad eum, ut ferret, filio.
NIC. Quid, ubi ei ostendit symbolum? CHRYS. Infit dicere:
Adulterinum, et non eum esse symbolum:
Quotque innocenti ei dixit contumelias!
Adulterare eum aibat rebus ceteris.
NIC. Habetin' aurum? Id mihi primum dici volo.
CHRYS. Postquam quidem Prætor recuperatores dedit,
Damnatus, demum vi coactus reddidit
Ducentos et mille Philippum. NIC. Tantum debuit.
CHRYS. Porro etiam ausculta pugnam, quam voluit dare.
NIC. Etiamne est quid porro? CHRYS. Hem adcipe: trina
hæc nunc erit.

26. *Triobulum.* Triobolum, dimidia pars drachmæ, gall. monet. fere 40 centesimæ. Signum minimi valoris generatim. « Homo triobuli », Pœnul. I, 2, 168. N.

29. *Ostendit symbolum.* Solebant Græci in pactis conventis uti quibusdam tesseris, quæ σύμβολα vocabantur, quæ loco tabellarum et syngrapharum erant: atque ex his jus dicebatur. Meminit Aristotel. Politic. III, init. et Demosth. in Philipp. TURN. — Conf. Pseudol. II, 2, 4, 52. N.

30. *Tute*, tu. *Te* correptum, sicut *met*, syllabica adjectio intensiva. N.

34. *Adulterare*, absolute, i. q. false agere. N.

35. *Habetin' aurum?* Amfractus narrationis ægre ferens, ad rem pergit senex. N.

36. *Prætor recuperatores dedit.* Recuperatores, judices, qui a prætore in privatis controversiis quacumque de re ageretur, dabantur: ita dicti, quod per eos suum quisque jus recuperare posset. Nunc *judices delegati* vocantur. HOTOM.

39. *Porro*, ultra, amplius. N. — *Pugnam... dare.* Edere pugnam vulgari sermone dicebant de fallaciis, vel quocumque facinore quo quis alterius consilia, quietem, fortunas pervertere aggrediebatur, i. q. turbas dare. Conf. Capt. III, 4, 53; Pseud. I, 5, 111; Ter. Eun. V, 2, 60. Allegoriæ de more bellico sumptæ creberrime in sermone Romanorum occurrunt. Cf. IV, 9, 145. N.

40. *Trina. Trina* exponit Lamb. triplex: nullo sensu. *Trina*, est tertia pugna. Nam primo plane ne-

NIC. Deceptus sum. Autolyco hospiti aurum credidi.
CHRYS. Quin tu audi. NIC. Imo ingenium avidi haud pergnoram hospitis.
CHRYS. Postquam aurum abstulimus, in navem conscendimus,
Domum cupientes : forte ut adsedi in stega,
Dum circumspecto, atque ego lembum conspicor
Longum, strigorem, maleficum exornarier.
NIC. Perii, hercle : lembus ille mihi lædit latus.
CHRYS. Is erat conmunis cum hospite et prædonibus.
NIC. Adeon' me fuisse fungum, ut qui illi crederem!
Quom mihi ipsum nomen ejus Archidemidis
Clamaret, dempturum esse, si quid crederem.
CHRYS. Is lembus nostræ navi insidias dabat.
Obcœpi ego observare eos, quam rem gerant.
Interea e portu nostra navis solvitur.

garat, se debere, et symbolum adulterinum dixerat; secundo pugnatum erat in judicio apud recuperatores; tertio insidias struxerat.

41. *Autolyco.* Autolycus fuit Mercurii filius, avus Ulyssis, furacitate celeberrimus. Martial. Epigr. VIII, 59 : « Non fuit Autolyci tam piperata manus ». LAMB.

45. *Atque*, i. q. continuo, subito. Conf. Captiv. III, 1, 19; Virgil. Georg. I, 203. N.

46. *Longum, strigorem*, etc. Hunc versum edit. Bip. delet, Bothius transfert post 34; vulgatæ sic edunt, priore versu dispuncto : « Longum est, rigorem, m. ex. » nullo sensu. Salmasius vidit corruptum esse locum, et medelam attulit. « *Strigores*, inquit Festus, sunt robusti et exerciti homines ». At strigor qualitatem ut hominis, sic rei, significat, neque de hominibus duntaxat dici necesse est. Facile autem fieri potuisse per incuriam librariorum, ut « longum strigorem » degeneraret in « longum est rigorem », quis non concedet? Præterea *longus* commodissime attribuitur lembo piratico, qui præsertim velocitate præstat. Larga est oneraria navis. Sensus igitur : Video lembum longum, fortem, maleficum apparari. N.

47. *Lembus lædit latus.* Jocus, ni fallor, hic est in paronomasia verborum *lembus* et *limbus*. Limbum enim et pro cingulo usurpabant. Stat. Theb. VI, 367 : « picto discingit pectora limbo ». N.

50. *Archidemidis.* Alludit ad verbum *demo*, quod exauditur in nom. *Archidemidis*. Vitabant autem Romani mala nomina. DOUZA. — Sic Atrio abominandum nomen Scipio objecit, apud Liv. XXVIII, 28. N.

Ubi portu exiimus, homines remigio sequi;
Neque aveis, neque venti citius : quoniam sentio
Quæ res gereretur, navem extemplo statuimus.
Quoniam vident nos stare, obceperunt ratem
Turbare in portu. NIC. Edepol, mortaleis malos!
Quíd denique agitis? CHRYS. Rursum in portum recipimus.
NIC. Sapienter factum a vobis : quid illi postea?
CHRYS. Revorsionem ad terram faciunt vesperi.
NIC. Aurum, hercle, abferre voluere, ei rei operam dabant.
CHRYS. Non me fefellit, sensi : eo exanimatus fui.
Quoniam videmus auro insidias fieri,
Capimus consilium continuo, postridie
Abferimus inde aurum omne, illis præsentibus,
Palam atque aperte, ut illi id factum sciscerent.
NIC. Scite, hercle : cedo, quid illi? CHRYS. Tristeis inlico,
Quom extemplo a portu ire nos cum auro vident,
Subducunt lembum capitibus quassantibus.
Nos apud Theotimum omne aurum deposuimus,

59. *Turbare in portu.* Both. censet legendum « turbare importuno », jubente metro, immo quia potuerit ultima syllaba adverbii intercipi nota sequente personæ, *ni.* Sed metrum constabit, si omittatur elisio in « portu edepol ». Et oratio facilis intellectu : « ratem suam hinc et illinc, scil. nostræ navi insidiantes, in portu agitare cœperunt ». Haud satis proba videtur Gronovii interpretatio : « ratem nostram impedire turbando ». N.

64. *Eo exanimatus fui.* Bothius emendat : « ego exanimus fui », et hæc verba attribuit seni, consulens, ut opinor, bene versui et diverbio. N.

68. *Sciscerent* i. q. scirent, noscerent. N.

69. *Cedo*, prima correpta, ede, narra. N.

71. *Quassantibus* passiva significatione usurpatum, ut « Muciano volentia » pro accepta, Tacit. Hist. III, 52; « vehens equo » pro vectus, Quadrigar. apud Gell. II, 3; « Virtutibus augens » pro auctus, Catull. LXIV, 324. Quassatio capitis est indicium irati et indignantis animi. N.

72. *Deposuimus.* Bothius revocat Scioppii correctionem *deposivimus* antique dictum, quia metrum sic juvatur. Lambinus ad hunc vers. commemorat multis omnium ætatum exemplis morem Veteribus fuisse, ut pecunias et res pretiosissimas, tutelæ causa, in templis deponerent. Præsertim locum Dio-

Qui illeic sacerdos est Dianæ Ephesiæ.
NIC. Qui istic Theotimu 'st? CHRYS. Megalobuli filius,
Qui nunc in Epheso est Ephesiis carissumus.
NIC. Næ ille, hercle, mihi sit multo tanto carior,
Si me illo auro tanto circumduxerit.
CHRYS. Quin ipsa Dianæ in æde conditum 'st.
Ibidem publicitus servant. NIC. Obcidistis me.
Nimio heic privatim servaretur rectius.
Sed vos nilne adtulistis inde auri domum?
CHRYS. Imo etiam : verum, quantum adtulerit, nescio.
NIC. Quid, nescis? CHRYS. Quia Mnesilochus noctu clanculum
Devenit ad Theotimum : nec mihi credere,
Nec quoiquam in navi voluit : eo ego nescio
Quantulum adtulerit; verum haud permultum adtulit.
NIC. Etiam dimidium censes? CHRYS. Non, edepol, scio.

nis Chrysostomi, ex oratione Rhodiaca, profert, quo prædicatur apud Ephesios pecunias esse multas, partim privatorum, in templo Dianæ dispositas, non Ephesiorum modo, sed peregrinorum, et longinquorum quidem, partim populorum et regum. N.

73. *Sacerdos est Dianæ.* Furtum facilius committunt homines quam sacrilegium. Inde mos Veterum res carissimas in templis deponendi. Inde olim Romanorum ærarium in templo Saturni. BOXH.

74. *Qui*, quisnam. N. — *Megalobuli filius.* Lego *Megalobuzi :* vel, quod idem valet, *Megabyzi.* Suidas : Μεγάβυζος, ὄνομα κύριον. Strab. lib. XIV, ubi de Dianæ Ephesiæ templo agit, commemorat, generali nomine ita omnes ejus sacerdotes appellatos, eunuchosque fuisse, et custodiæ socias virgines habuisse. Sed hoc quid est, quod Plautus dicit, « Theotimum filium Megabyzi », si ille Megabyzus eunuchus? explico, « Megabyzi filius » idem valet ac si dixisset *Megabyzus :* nam appellativum illud nomen fuit : quomodo ἰατροῦ παῖς, pro eo quod est ἰατρός. MEURS.—Simplicius retine *Megalobuli*, qui pater sacerdotis, non sacerdos fuerit. N.

76. *Carior*, id est, damnosior, sumptuosior. Ἀμφιβολία. Nam carus est, et quem diligimus, et qui magno nobis est impendio. LAMB. — Scurrilitas neque personæ, neque tempori conveniens. N.

77. *Circumduxerit*, fraudaverit. Cf. Asin. I, 1, 84. N.

78. *Quin ipsa Dianæ in æde.* Vulgatæ : « Quin in ipsa æde Dianæ cond. », claudicante metro. N.

79. *Publicitus servant.* Aurum tuum custodia publica servatur. N. — *Obcidistis me.* Pronuntia *obcidisti me;* ultimus iambus sit oportet. N.

86. *Quantulum.* Junt. *quantillum*, aptius ad metrum. N.

Verum haud opinor. NIC. Fertne partem tertiam?
CHRYS. Non, hercle, opinor: verum... verum nescio.
Profecto de auro nil scio, nisi nescio.
Nunc tibimet illuc navi capiundum 'st iter,
Ut illud reportes aurum ab Theotimo domum.
Atque heus tu. NIC. Quid vis? CHRYS. Anulum gnati tui
Facito ut memineris ferre. NIC. Quid opu 'st anulo?
CHRYS. Quia id signum'st cum Theotimo, qui cum illi adferet,
Ei aurum ut reddat. NIC. Meminero, et recte mones.
Sed divesne est istic Theotimus? CHRYS. Etiam rogas,
Qui auro habeat soccis subpactum solum?
NIC. Cur ita fastidit? CHRYS. Tantas divitias habet:
Nescit quid faciat auro. NIC. Mihi dederit velim.
Sed, quî præsente, id aurum Theotimo datum 'st?
CHRYS. Populo præsente: nullu'st Ephesi, quin sciat.
NIC. Istuc sapienter saltem fecit filius,
Quom diviti homini id aurum servandum dedit:

89. *Verum... verum nescio.* Prius *verum* est adverb. disjunct. i. q. *sed*, ut vs. 88; posterius est neutrum adjectivum. Postquam respondit non tertiam partem adlatam, vult forsan adjicere: « Verum non multo minus ». Sed reticet, et rem in dubio relinquit, ne furto futuro modum ponat. N.

90. *Nisi nescio*, nil scio, nisi quod nescio. N.

91. *Illuc*, Ephesum. N.

93. *Atque heus tu*, etc. Mirare trifurciferi astutiam. Quæ monendo species veritatis! N.

95. *Qui eum illi*, etc. Ordo est: Signum est cum Theotimo (conventum), ut reddat aurum ei, qui illi (Theotimo) eum (anulum) attulerit. N.

98. *Qui auro*, etc. Ellipsis. Etiam rogas (sitne dives ille), qui auro habeat soccis subpactum solum, i. e. soleam soccorum (gall. *semelle*) subpactam clavis aureis. Cf. Lucr. I, 926; Plaut. Trin. IV, 3, 16. N.

101. *Quî præsente. Quî* sæpissime in sexto casu pro *quo*. Conf. Asin. II, 3, 17; Capt. I, 1, 33; Pseudol. I, 1, 87. N.

102. *Pop. pr.* Ex Veterum more. Nepos in Hann. XXIII, c. 9: « Amphoras auro et argento opertas, Gortyniis præsentibus, deposuit in templo Dianæ ». Ne scilicet depositum postea negaretur. BOXH.

103, 104. *Istuc sapienter... Quom diviti*, etc. Quum senex *istuc* dicit, non cogitat versum proxime superiorem. Sensus est: Filius sapienter fecit, quod diviti concredidit aurum. N.

Ab eo licebit quamvis subito sumere.
CHRYS. Imo hem tantisper nunquam te morabitur,
Quin habeas illud quo die illuc veneris.
NIC. Censebam me ecfugisse a vita marituma,
Ne navigarem tandem hoc ætatis senex,
Id mi haud, utrum velim, licere intellego;
Ita bellus hospes fecit Archidemides.
Ubi nunc est ergo meus Mnesilochus filius?
CHRYS. Deos atque amicos iit salutatum ad forum.
NIC. At ego hinc ad illum, ut conveniam, quantum pote'st.
(egreditur.)
CHRYS. Ille est oneratus recte, et plus justo vehit.
Exorsa hæc tela non male omnino mihi est,
Ut amantem herilem copem facerem filium:
Ita feci, ut, auri quantum vellet, sumeret;
Quantum autem libeat reddere, ut reddat patri.
Senex in Ephesum ibit aurum arcessere:
Heic nostra agetur ætas in malacum modum;
Siquidem heic relinquet, nec secum abducet senex
Me et Mnesilochum: quas ego heic turbas dabo!
Sed quid futurum 'st, quom hoc senex resciverit?
Quom se excucurrisse illuc frustra sciverit,
Nosque aurum abusos? quid mihi fiet postea?
Credo, hercle, adveniens nomen mutabit mihi,
Facietque extemplo Crucisalum me ex Chrysalo.

105. *Quamvis* i. q. quantumvis.

110. *Utrum velim*, non mei jam res est arbitrii. Velim, nolim, navigandum est. Boxh.

114. *Quantum pote 'st*, quamprimum. Cf. Asin. III, 3, 17. N.

115. *Ille est oneratus*, etc. Olent proverbium hæ figuræ dicendi tractæ ab jumentorum similitudine. N.

117. *Copem facerem*, id est, copiosum. Pseudol. act. II, 3. « Cops, id est, copia, inde copis, id est, copiosus ». Glossæ Papiæ. Boxh. — Nonius Plautum Pseudol. II, 3, 8, Turpilium Epiclero, Pacuvium Peribœa citat auctores verbi *copis* pro copioso. Lamb.

121. *Malacum*, græca vox, pro mollem. N.

128. *Crucisalum*, quasi in cruce, seu in crucem salientem. Lamb.

Abfugero, hercle, si magis usus venerit.
Si ero reprehensus, macto ego illum infortunio :
Si illi sunt virgæ ruri, at mihi tergum domi 'st.
Nunc ibo, herili filio hanc fabricam dabo
Super auro, amicaque ejus inventa Bacchide.

129. *Si magis usus venerit*, si utilius fuerit. LAMB.

130. *Macto eg. i. i.* Locutio usitata aliquem lacessentibus contumeliose aut nihili pendentibus; cf. Amph. IV, 2, 14. Similes fere illæ: « Jubeo plorare ; vapula ». N.

131. *Si illi sunt virgæ*, etc. Ecce cum verberonem Leonidæ et Libano non imparem audacia. Conf. Asin. II, 2, 45-56. — *Domi*, apud me, mihi. Conf. sup. II, 3, 47, et Amph. II, 2, 7. Sed ludit ambiguitate vocis et antithetis *ruri* et *domi*. N.

132. *Dabo*, nuntiabo. N.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

LYDUS.

Pandite atque aperite propere januam hanc Orci, obsecro:
Nam equidem haud aliter esse duco: quippe quo nemo advenit,
Nisi quem spes reliquere omneis, esse ut frugi possiet.
Bacchides, non Bacchides, sed Bacchæ sunt acerrumæ.
Apage istas a me sorores, quæ hominum sorbent sanguinem.

1. *Pandite atque*, etc. Clamosi sane et truces vulgo deformantur pædagogi apud veteres poetas, iidem atque apud nostrates comicos. Alia tempora, non alii mores. Credo equidem Plautini hujus pædagogi non omnino oblitos Bruyeisium et Palaprateum fuisse, quum suam Truculentum (*le Grondeur*) scriberent. Sed Plautus, dum ridiculam affingit iracundiam, hominem tamen justa et sapientia loquentem faciet. N. — *Januam Orci.* Sic appellabant Veteres omnes locos pestilentes, unde certam perniciem imminere et aditum ad Manes esse existimabant. Apul. Met. III: « Inter Orci cancros jam ipsos hæsisti ». *Cancros* vocat januam cancellatam. Trinum. II, 4, 124; Lucret. VI, 763. Græci dicebant sic Ἀΐδου πύλας. Gron. *

3. *Nisi quem spes rel. omn.* Hujus Orci, nisi adderetur « esse ut f. p. », idem esset titulus, quem vates Italus ostio Inferorum proscripsit: *Lasciate ogni speranza, voi ch' entrate.* N.

4. *Bacchides, non Bacch.* etc. Bacchides istæ, non Bacchides, i. e. parvæ Bacchæ, sed Bacchæ eæque acerrimæ, quæ instar Bacchantium dilacerant, quemcumque nactæ sunt. Lamb.

5. *Sorbent sanguinem.* Tralatione est divitias aut vires eripere. Sic Curcul. I, 2, 65: « Quæ misero amanti ebibit sanguinem ». Epid. II, 2, 5: « Ego eorum exsugebo sanguinem ». N.

Omnis ad perniciem instructa domus opime atque opipare.
Quæ ut adspexi, me continuo contuli protinam in pedes.
Egon' ut hæc conclusa gestem clanculum? ut celem patrem,
Pistoclere, tua flagitia, aut damna, aut desidiabula?
Quibus patrem, et me, teque, amicosque omneis adfectas tuos
Ad probrum, damnum, flagitium adpellere una et perdere.
Neque mei, neque tui intus puditum'st factis, quæ facis:
Quibus tuum patrem, meque una, amicos, adfineis tuos,
Tua infamia fecisti gerulifigulos flagiti.
Nunc priusquam malum istoc addis, certum'st jam dicam patri.
De me hanc culpam demolibor jam, et seni faciam palam,
Ut eum ex lutulento cœno propere hinc eliciat foras.

7. *Continuo cont. prot. in pedes.* « Conferre se in pedes », fugere. — *Protinam* i. q. protinus, antique. Terent. Phorm. I, 4, 13 : « Hinc me conjicerem protinus in pedes ». Donat. ad h. l. « *protinam* fuit, et sic Nigidius legit ». N.

8. *Conclusa*, in pectore. N.

9. *Desidiabula*, desidiei opera. Sic MSS. Nonius Marcellus in *Affectare* legit *dispoliabula*. Lamb. — Crebro occurrunt apud Nostrum et alios poetas hujusmodi nomina hac finitione conficta, ut mendicabula, dentifrangibula, etc. N.

11. *Adpellere*, pro προσεγγίζειν. Translatum a navi, quam ad portum nautæ appellunt. Ern.

14. *Gerulifigulos.* Scaliger ad Festum docet, glossis fretus, gerulum dictum Veteribus fuisse, non τὸν βαστάζοντα, ut postea, sed τὸν πράσσοντα καὶ πρακτῆρα; unde ille, et cum illo docti censuere nomen sic Plauto confictum, ut significarentur actores et plastæ. Sed tantorum virorum venia liceat, ipso quoque Plauto comprobante, vulgatam *geruli* notionem tueri: videbis inf. IV, 9, 79 : « Næ ille alium gerulum (pecuniæ) quærat ». Ergo interpretor « flagitii gerulifigulos », eos, qui flagitium comparant et ferunt, ut vv. 10, 11 enarratur. Conf. et scen. 3, vs. 94, 95. N.

SCENA SECUNDA.

MNESILOCHUS.

Multimodis meditatus egomet mecum sum, et ita esse arbitror:
Homini amico, qui est amicus ita, uti nomen possidet,
Nisi deos, ei nihil præstare: id opera expertus sum esse ita.
Nam ut in Ephesum hinc abii (hoc factum'st ferme abhinc biennium),
Ex Epheso huc ad Pistoclerum meum sodalem literas
Misi, amicam ut mihi inveniret Bacchidem: illum intellego
Invenisse, ut servos meus mihi nuntiavit Chrysalus.
Condigne is quam techinam de auro advorsum meum fecit patrem,
Ut mihi amanti copia esset! sed æquom id ei reddere.
Nam, pol, quidem, meo animo, ingrato homine nihil inpensiu'st;

1. *Multimodis.* Vulgat. *Multis modis*, non recte. Cf. Lucret. I, 894. Adverbium usitatum passim Plauto. — *Meditatus egomet*, etc. Sæpe Plautus adolescentes induxit sententias gravissimas cantico edisserentes, quas populo approbaret magis, quam pro actu comico comminisceretur. Conf. Mercat. I, 1, 18 sqq. Mostell. I, 2; Trinum. II, 1. Sed profuit aliquando hilaribus severa inserere; et ea tolerabat nondum certis legibus definitum apud Romanos rei scenicæ artificium. N.

2, 3. *Homini amico*, etc. Ordo et sententia est: Neminem, nisi deos, præstantiorem esse, quam amicum hominem, qui re et usu amicus est, sicut nomine, quanta est nominis significatio. Lamb.

4. *Ut*, ex quo. N.

8. *Is*, Chrysalus. N.

9. *Sed æquom*, etc. MSS « sed eccum video incedere », nullo sensu. Feliciter Muretus locum sanavit. Reddere aliquid alicui, est gratiam facti referre. — *Ei*, Chrysalo. N.

10. *Ingrato homine nihil inpensiu'st.* Eruditi in explicando hoc loco, nonnulli vexando atque obscurando laborant. Nunquam vocem *inpensius* cum *ingrato* latine cohærere posse contendit Salmas. Itaque jubet scribi « grato homine nihil imp. », i. e. pretiosius. Ecce autem Gronovius Pistorio adstipulatur, cui *inpensum* est hoc, in quod multum et magna cum jactura impenditur, i. e. grave, carum; ergo nihil carius constat ingrato homine, quia, quod in illum impenditur, sine fructu ac reditu est. At Lambinus, veterior iis,

Malefactorem amitti satius, quam relinqui beneficum.
Nimio præstat inpendiosum te, quam ingratum dicier.
Illum laudabunt boni; hunc etiam ipsi culpabunt mali.
Qua me causa magis cum cura esse ac obvigilato est opus.
Nunc, Mnesiloche, specimen specitur, nunc certamen cernitur:
Sisne, nec ne, ut esse oportet; malus, bonus? quojusmodi?
Justus, injustus? malignus, largus? conmodus, inconmodus?
Cave, sis, te superare servom siris faciundo bene.

veram, opinor, interpretationem repererat. Plautus, inquit, in Sticho, I, 2, 61, scripsit: « Utra sit conditio pensior (melior), virginem an viduam habere ». Itaque *inpensus* erit nullius pretii. Hujus interpretationis et alios auctores, si opus sit, proferam. Gell. XII, 5: « Ut nihil quicquam nobis carius pensiusque esset, quam nosmet ipsi ». Nunc si de indole verbi *inpensus* inquires, videbis in illo particulam *in* modo vim attributivam habere, « vita impensa labori », modo privativam, ut in hoc loco Plautino, et quoties pro « magno, abundanti » et similibus datur. Quippe, quum pecunia primum apud Romanos non numeraretur, sed penderetur, inde moris fuit, ut, quidquid profuse, neque ratione quantitatis habita daretur, dicerent esse non pensum, impensum. Impensus etiam, sensu potentiali, est quem non dignum censeas, ut pendatur, sicut invictus, qui non vinci possit. Plautus ergo dixit « nihil est contemptius ingrato ». N.

11. *Amitti*, dimitti impunitum. — *Relinqui*, sine præmio. N.

12. *Nimio præstat*, multo potius est. — *Inpendiosum*, qui multa largitur. Longe aliud, quam *inpensus*, ut Salmasius pronuntiavit. N.

13. *Hunc*. Sic Lambinus, melius quam vulgatæ *hoc*. N.

14. *Qua me causa*, etc. Sic Camerarius. Vulgatæ: « Qua me c. m. c. c. e. ea quam o. e. o. », sublesto aut nullo sensu, nisi intelligas « cura ea ob quam vig. e. op. » Both. probabiliter refingit vulgatam: « Q. me c. m. c. c. e. æquom et o. e. o. » Quæcumque sit lectio, ita est sententia: Quapropter oportet me curare et vigilare, ut sim gratus. N.

15. *Cernitur*. Non tulit metrum *certatur*. Cernitur idem est. Virgil. Æn. XII, 709: « cernere ferro ». N.

16. *Quojusmodi?* qualis sis? N.

17. *Malignus, largus*. Hæc recte inter se opponuntur: nam *benignus* et *largus* idem valent, id est, sisne illiberalis, an liberalis. Lamb. — *Conmodus, inconmodus*. Commodi sunt, qui sese ad aliorum mores vel suo judicio accommodant, vel sunt accommodati natura, et qui aliis facile obsequuntur et prosunt. Ἀρθμίους Græci appellant. Lamb.

18. *Siris*, siveris te superari a servo. N.

Utut eris, moneo, haud celabis : sed eccos video incedere
Patrem sodalis et magistrum : hinc auscultabo, quam rem agant.

SCENA TERTIA.*

LYDUS, PHILOXENUS, MNESILOCHUS.

LYD. Nunc experiar, sitne acetum tibi cor acre in pectore.
Sequere. PHIL. Quo sequar? quo ducis nunc me? LYD. Ad illam, quæ tuum
Perdidit, pessumdedit tibi filium uni unicum.
PHIL. Eia, Lyde: leniter qui sæviunt, sapiunt magis.
Minus mirandum 'st, illæc ætas si quid illorum facit,
Quam si non faciat : feci ego istæc itidem in adulescentia.
LYD. Hei mihi, hei mihi! istæc illum perdidit adsentatio.
Nam absque te esset, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum :

19. *Haud celabis* homines; nunc specimen specitur. Cura famam.— *Eccos* i. q. ecce, de nondum nominatis dicitur. N.

* Nescio an scenam facile usquam reperias inaffectatis diverbii facetiis, personarum ludificatione, motu peripetiæ lepidiorem. N.

1. *Sitne acetum tibi cor acre.* Hunc locum varie sollicitant. Retineo vulgatam, Plautino ingenio non abhorrentem. Pleonasmus « acetum acre » non insolens, et nomen *acetum* adjective cordi attributum non mirabitur, quisquis hæc legerit Pœn. IV, 3, 40 : « Operam celocem hanc mihi, ne corbitam date », i. e. operam promptam (celocem), non lentam (corbitam); Pers. I, 2, 22, « albo rete », i. e. albo prætoris (in quo perscribuntur litium tituli et judicum nomina) irretiente. Acetum autem tralatitie est sapientiæ acumen et vis. Conf. Epid. II, 4, 49; Horat. Sat. I, 7, 32; Pers. Sat. V, 86. Sensus est : Habeasne in pectore vere sapientem animum? N.

3. *Uni unicum*, carissimum. Sic vulgatæ; malim « unice unicum », magis Plautinum quidem, et planum, et metro conveniens. N.

5. *Illorum*, quæ ille agit. N.

6. *Feci ego istæc*, etc. Cf. Plin. Epist. IX, 12. N.

8. *Absque te esset*, tu si non esses. Gall. *sans vous*. Hæc formula vulgo usurpata Nostro et Terentio. N. — *Rectum*, integrum, non inflexum ad vitium. *Rectum* opponitur hic *pravo*. Taubm. — *Ingenium*, mores natura inditos. — *Rect. ad ingenium bonum*, probum indole et moribus. N.

Nunc propter te tuamque pravos factus est fiduciam
Pistoclerus. MNES. Di inmortales, meum sodalem hic nominat.
Quid hoc negoti 'st, Pistoclerum Lydus quod herum tam ciet?
PHIL. Paulisper, Lyde, est libido homini suo animo obsequi:
Jam aderit tempus, quom sese etiam ipse oderit: morem geras:
Dum caveatur, præter æquom ne quid delinquat: sine.
LYD. Non sino, neque equidem illum me vivo conrumpi sinam.
Sed tu, qui tam pro conrupto dicis causam filio,
Eademne erat hæc disciplina tibi, quom tu adulescens eras?
Nego tibi hoc annis viginti fuisse primis copiæ,
Digitum longe a pædagogo pedem ut ecferres ædibus.
Ante solem exorientem nisi in palæstram veneras,
Gymnasi præfecto haud mediocreis pœnas penderes.

9. *Tuam fiduciam*, quam in te habet. Sic « tuum odium » i. q. odium adversus te. Ter. Phorm. V, 7, 27, et item « vestro odio », Tit. Liv. XXX, 44. N.

11. *Tam ciet*, tam vehementer inclamat. N.

12. *Paulisper... est libido homini*, etc. Filio libet paulisper obsequi animo suo cupienti voluptatum. — *Animo obsequi* i. q. libidini indulgere. Cf. Trinum. II, 2, 24-31. N.

13. *Jam*, mox. — *Sese etiam ipse oderit*, eum tædium sui capiet talia facientis, illa fastidiet. Sic Terent. Hecyr. IV, 1, 28: « At, pol, jam aderit, se quoque etiam quum oderit ». Conf. Adelph. I, 2, 70 sqq. N.

14. *Præter æquom ne quid delinquat*. Qui essent æqui fines apud Romanos juvenibus circumscripti, disce ab hoc et Curcul. I, 1, 33-38, et Terent. Adelph. I, 2. Credo, non auscultabis exclamantibus: O priscos Romanorum mores! N.

15. *Non sino*, etc. Vere Catoniana censura sub comica persona. Sic fere taxat mores ætatis suæ Aristoph. Nub. 952 seqq. N.

18, 19. *Nego tibi*, etc. Ordo est: Nego, primis viginti annis (vitæ tuæ), fuisse tibi hoc copiæ, ut quoties efferres pedem domo, distares a pædagogo digiti longitudine. N.

20. *Ante solem exorientem*. Hyperbole irascentis pædagogi: neque nodus in scirpo quærendus, ut Petito placet, qui jubet legi *advenientem*, quia ludos aperiri sole nondum exorto vetitum erat. N.

Id quoi obtigerat, hoc etiam ad malum arcessebatur malum:
Et discipulus et magister perhibebantur inprobi.
Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugillatu, pila,
Saliendo sese exercebant magis, quam scorto, aut saviis:
Ibi suam ætatem extendebant, non in latebrosis locis.
Inde de hippodromo et palæstra ubi revenisses domum,
Cincticulo præcinctus in sella apud magistrum adsideres:
Quom librum legeres, si unam peccavisses sullabam,
Fieret corium tam maculosum, quam est nutricis pallium.
MNES. Propter me hæc nunc meo sodali dici discrucior miser.
Innocens subspicionem hanc substinet causa mea.
PHIL. Alii, Lyde, nunc sunt mores. LYD. Id equidem ego certo scio.
Nam olim populi prius honorem capiebat subfragio,
Quam magistro desinebat esse dicto obediens.
At nunc, priusquam septuenni 'st, si adtigas eum manu,

24. *Ibi cursu*, etc. Conf. Mostell. I, 2, 72. Hæ fuerunt campestres Romanorum exercitationes. Ita Pompeius « cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat ». Sallust. Fragm. p. 432 edit. nostr. N.

26. *Extendebant*, continuo degebant, traducebant. LAMB.

28. *Cincticulo*, diminutivum a *cinctu;* fuit parva tunica infra pectus constricta, exsertis humeris, et sic labori accommoda; usurpata antiquis. Unde « cinctuti Cethegi » Horat. Art. Poet. 50; « exsertique manus vesana Cethegi », Lucan. II, 543. Nempe hic Cethegus suis majoribus similis veste tenus. — *Adsideres*, non *adsidebas*. Quippe hæc ita fuisse credit, non vidit, siquidem senis illius adolescentiæ non adfuit. Forma conditionalis apte facit ad conjecturam. Conf. vs. seq. 30, et sup. 21. Græci particulam ἂν cum aoristo ponerent. At idem, quum mores populi pristinos memorat, modo indicandi utitur. N.

30. *Nutricis pallium*. Hoc enim a pueris, dum comuntur et aluntur, varie maculatur. LONGOL. — Potius: Cutis virgis cæsa et variegata livoribus, ut pallia nutricum, quæ plerumque barbaræ, et in scena distinctæ habitu diversicolori, virgato. N.

34. *Nam olim*, etc. Nam olim honorem prius consequebatur (discipulus) populi suffragio, quam magistro parere desierat, hoc est, magistro parebat usque ad eam ætatem, qua petere magistratus per leges liceret. LAMB.

36. *Adtigas*, i. q. attingas. Turpil. Leucad. « Ne me adtigas ». N.

Extemplo puer pædagogo tabula disrumpit caput.
Quom patrem adeas postulatum, puero sic dicit pater:
Noster esto, dum te poteris defensare injuria.
Provocatur pædagogus: eho senex minumi preti,
Ne adtigas puerum istac causa, quando fecit strenue.
It magister, quasi lucerna, uncto expretus linteo.
Itur illinc jure dicto: hoccine heic pacto potest
Inhibere inperium magister, si ipsus primus vapulet?
MNES. Acris postulatio hæc est, quom hujus dicta intellego.
Mira sunt, ni Pistoclerus Lydum pugnis contudit.

37. *Tabula*, lignea, oblita cera, in qua pueri literas faciunt, id est, scribunt et discunt. TURN. — Cf. Horat. Sat. I, 6, 72-5: « in Flavi ludum...Quo pueri... Lævo suspensi loculos tabulamque lacerto Ibant, etc. » N.

38. *Postulatum*. Postulatio, i. q. questus. Inf. 45, et passim. Casin. III, 2, 26, N.

39. *Noster esto*. Sic fere Demea in Adelph. laudat filium, quod servum nequam verberavit: « Patrissas. Abi, virum te judico », IV, 2, 25. N.

40. *Provocatur*, arcessitur. N.

42. *Expretus*. Sic vulgatæ, corrupte, credo. Sed quid certa satis ratione substituas, haud compertum. Docti torquent verba; neque tamen argumentis fulciunt validis conjecturas. Non placet Lambini *expretus* passive, ab experior, vel Gronovii *exspretus* i. q. simplici *spretus*, a *sperno* antique pro *amoveo*, vel Salmasii *extertus* i. q. extersus. Itaque ex omnibus conjecturis, maxime probabilis lectio videtur, quam Bothius recipit Junta et Aldo auctoribus: scil. *expletus*. Oleum autem curandis vulneribus antiqui adhibebant. Et laternæ fuerunt linteo obductæ, teste Cicerone ad Attic. IV, 3, « paucis pannosis linea laterna ». Id linteum oleo tactum fuisse censet Gronovius, et sic lucem transmisisse. Ergo Plautinæ orationis sensus erit: Abit magister expletus (circumdatus caput, vel perfusus) linteo uncto, quasi lucerna. N.

43. *Jure dicto*, pulchre quidem, nempe ab æquo et sapiente judice. N.

44. *Inhibere inperium*. Recte dicitur *inhibere inperium*, pro habere in aliquem imperium, et imperare. Etiam apud Livium legitur. Et *inhibere spem* apud Ciceronem pro habere; quod etiam notavit Turnebus. Idem Plautus in Sticho, V, 4, 15: « Utrum Fontinali an Libero te inperium inhibere mavis? » SALM. — Vide nostra ad Livii lib. III, 59. GRON.

45. *Quom huj. d. i.* Quantum intelligo ex illius dictis. N.

46. *Mira sunt, ni*, etc. Locutio Plauto familiaris, i. e. credo sane, mirer nisi. N.

PHIL. Sed quis hic est, quem adstantem video ante ostium? LYD. O Philoxene.
MNES. Deos propitios me videre, quam illum, mavellem mihi.
PHIL. Quis illic est? LYD. Mnesilochus, gnati tui sodalis Pistocleri,
Haud consimili ingenio, atque ille est, qui in lupanari adcubat.
Fortunatum Nicobulum, qui illum produxit sibi!
PHIL. Salvos sis, Mnesiloche; salvom te advenire gaudeo.
MNES. Di te ament, Philoxene. LYC. Hic enim rite productu 'st patri;
In mare it, rem familiarem curat, custodit domum:
Obsequens obediensque est mori atque inperiis patris.
Hic sodalis Pistoclero jam puer puero fuit;
Triduum non interest ætatis, uter major siet:
Verum ingenium plus triginta annis majus est, quam alteri.
PHIL. Cave malum, et conpesce in illum dicere injuste. LYD. Tace:
Stultus es, qui illi male ægre patere dici, qui facit.
Nam illum meum malum promptare malim, quam peculium.

48. *Deos propitios*, etc. Optarem magis, ut me viderent dii propitii, quam ille senex, qui me forte detinebit, eritque tædio mihi. GRON.

50. *Haud consimili*, etc. Laus sane condigno impertita, quæ spectatores exhilaret. N.

53. *Rite*, legitime, decore. — *Productu'st.* Producere, i. q. educere et educare. Conf. Ter. Adelph. III, 2, 12. N.

54. *Custodit domum*, conservat bona patria. N.

55. *Mori*, modo vivendi, exemplis. Sic pater alloquitur filium Trin. II, 2, 16: « Meo modo et moribus vivito antiquis ». N.

56. *Jam puer*, a pueritia. N.

57. *Triduum*, etc. Alter altero major non triduo. N.

58. *Verum ingenium*, etc. Mnesilochus ita matura mente est, quasi plus triginta annis major esset. N.

60. *Male ægre paterè dici.* Ordo est: Ægre pateris male dici illi, qui facit male. N.

61. *Meum malum promptare.* Lambinus explicat: Malim Pistoclerum meum malum profundere, quam peculium. Non potest jocus hic

PHIL. Quî dum? LYD. Quia, malum si promptet, in dies faciat minus.
MNES. Quid sodalem meum castigas, Lyde, discipulum tuum?
LYD. Periit tibi sodalis. MNES. Ne di sirint. LYD. Sic est, ut loquor.
Quin ego, quom peribat, vidi, non ex audito arguo.
MNES. Quid factum 'st? LYD. Meretricem indigne deperit. MNES. Non tu taces?
LYD. At quæ acerrume atque æstuose absorbet, ubi quemque adtigit.
MNES. Ubi ea mulier habitat? LYD. Heic. MNES. Unde eam esse aiunt? LYD. Ex Samo.
MNES. Quæ vocatur? LYD. Bacchis. MNES. Erras, Lyde: ego omnem rem scio,
Quemadmodum 'st: tu Pistoclerum falso atque insontem arguis.
Nam ille amico et benevolenti suo sodali sedulo
Rem mandatam exsequitur: ipsus nec amat; nec tu creduas.
LYD. Itane oportet rem mandatam gerere amici sedulo,

vernilis bene intelligi, nisi scribas vs. 59: « Cave malo ». Dicitur quidem recte utrumque: sed senex dixerat: « Cave malo », eo sensu, quo Pistoclerus hac fabula, I, 2, 30. Respondet hic Lydus, quasi jussisset eum senex *cavere malo*, ut cavemus alicui, ne damnum accipiat. Qualis lusus et in Persa, III, 1, 41. Immo, inquit, non tantopere malo meo cautum cupio, ut non malim illud eum promptare et haurire, quam peculium meum: si enim id promptet, atque inde demat, faciat minus: lætabor autem, si minus fiat meum malum; non lætabor, si peculium. GRON. — Ingeniosa Gronovii conjectura. Sed illud interpretari simplicius, forsan verius, poteris, nec respecto, nec mutato, secundo ante versu: « Malim ego malum meum (quod servis abunde est) ab illo promptari (*être dépensé*), quam peculium ». Etenim, ut illius profusio est, quidquid promptandum illi dederis, mox in nihilum abierit. N.

67. *At quæ acerrume*, etc. Deperit meretricem, non aliquam moderatam, sed quæ instar maris æstuosi rapax et fervida est. LAMB.

72. *Ipsus*, pro sua parte. N.

73. *Itane oportet*, etc. Satis laudare non possis poetæ artificium;

Ut ipsus in gremio osculantem mulierem teneat sedens?
Nullon' pacto res mandata potest agi, nisi identidem
Manus ferat ad papillas, labra a labris nusquam abferat?
Nam alia memorare, quæ illum facere vidi, dispudet:
Quom manum sub vestimenta ad corpus tetulit Bacchidi,
Me præsente, neque pudere quidquam! Quid verbis opu'st?
Mihi discipulus, tibi sodalis periit, huic filius.
Nam ego illum periisse duco, quoi quidem periit pudor.
Quid opu'st verbis? si obperiri vellem paulisper modo,
Ut opinor, illius inspectandi mihi esset major copia:
Plus vidissem, quam deceret, quam me atque illo æquom foret.

MNES. Perdidisti me, sodalis: egone illam mulierem
Capitis non perdam? perire me malis malim modis.
Satin' ut quem tu habeas fidelem tibi, aut quoi credas, nescias?

LYD. Viden', ut ægre patitur gnatum esse conruptum tuum,
Suum sodalem! ut ipsus sese cruciat ægritudine!

PHIL. Mnesiloche, hoc tecum oro, ut illius animum atque ingenium regas.

ut juvenis, qui ignorat germanam sororem esse Bacchidis suæ, Lydum infitiando lacessat, et ipse Lydus nolens, nesciens, decipiat juvenem, et magnas inde, quæ sequentur, turbas concitet. N.

76. *Manus ferat*, etc. Impudicam rem pudice enarrat, utpote pædagogus. Verbis parcit obscœnis, quibus non vulgo abstinent actores Plautini. Simile aliquid pater filio exprobrat apud Terent. Heautont. III, 3, 2-4. N.

78. *Tetulit.* Vulgat. *detulit*, metro dolente. Usurpata Plauto et antiquis illa vox. Cf. Non. II, 839. N.

84. *Illo æ.* i. q. dignum illo. *Æque* cum abl. positum est Amph. I, 1, 137.

85. *Perdidisti me.* Hæc dicit clam sene et pædagogo. N.

86. *Cap. non p.* Cf. Asin. I, 2, 6.

87. *Satin' ut*, etc. Ordo est: Itane est, ut satis scire nemo possit, quem fidelem habeat, aut cui credat. Similis oratio illis, « Egon' ut », etc. Vid. Asin. V, 2, 34. LAMB.

88. *Viden', ut ægre patitur*, etc. O non dimidiate Menander, Plaute. Hæc est vis comica. Vid. et vs. 90.

90. *Tecum oro*, i. q. te oro. Enn. Annal. I: « Quod tecum precibus pater orat ». Gell. XX, 1, sub fin. « sed quæso tecum tamen ». Conf Asin. III, 3, 72. N.

Serva tibi sodalem, et mihi filium. MNES. Factum volo.
PHIL. In te ergo hoc onus omne inpono. Lyde, sequere hac me. LYD. Sequor.
Melius esset, me quoque una si cum illo relinqueres.
PHIL. Adfatim 'st. Mnesiloche, cura, et concastiga hominem probe,
Qui dedecorat te, me, amicos atque alios flagitiis suis.

SCENA QUARTA.

MNESILOCHUS.

Inmitiorem nunc utrum credam magis
Sodalemne esse, an Bacchidem, incertum admodum'st.
Illum exoptavit potius? habeat; optume 'st:
Næ illa illud, hercle, cum malo fecit... meo.
Nam mihi divini nunquam quisquam creduat,

91. *Factum volo.* Conf. Aulul. II, 1, 25. N.

94. *Adfatim 'st*, plus satis operæ est, si Mnesilochus illam rem procuret. LAMB.

1. *Inmitiorem*. Nonnulli *amiciorem*, ironice. N.

4. *Næ illa*, etc. Vulgatæ fere omnes vel dant « Næ illa illud, hercle, cum malo fecit suo, meo », versu tum septipede, vel *illud* expungunt, ut trimeter justus habeatur servatis « suo, meo » ; quæ duo verba quidam ita accipiunt: « suo, imo potius meo ». Camerarius vero una dictione legit *suo-meo*, quasi velit Mnesilochus utriusque incommodo factum, quod Bacchis fidem fefellerit. Ea sane argute excogitata, sed, opinor, nimis subtiliter. Facile iis assentiar, qui *suo* et *meo* diversas lectiones affirmant, quarum una e margine in textum irrepserit. Douza, Dissaldæus, editor Bipont. præferunt *suo*. Bothius scribit : « Næ illa h. c. m. f. summo meo » ; quia videlicet talis lectio minus recedit a vulgatis *suo meo*. Sin autem verum est e duabus his vocibus unam esse non Plautinam, a grammatista intrusam, eam credidi non mutandam esse, sed rejiciendam. Nunc utra damnetur, eo difficilius est judicare, quod ambæ tolerabilem sensum efficiunt. Tamen retinui *meo*, quia magis consentire videtur cum ingenio sequentium, in quibus poeta orationem perducere ad finem inexspectatum affectat. Ex. gr. vv. 5, 6 : « Nam mihi div. nunquam q. creduat nisi exempl. pl. » hæc minaciter; dein « planeque amo ». Item vss. 7, 8, 9, 10. Ergo hoc loco incipit atrociter « Næ illa illud cum malo fecit », et desinit in dolentem, *meo*. N.

5. *Nam mihi divini*. Cf. Amphit. II, 2, 40; Asin. V, 2, 4. N.

Ni ego illam exemplis plurimis planeque amo.
Ego faxo haud dicet nactam, quem derideat.
Nam jam domum ibo.... atque aliquid subripiam patri.
Id isti dabo : ego istanc multis ulciscar modis :
Adeo ego illam cogam usque.... ut mendicet meus pater.
Sed satin' ego animum mente sincera gero,
Qui ad hunc modum hæc heic, quæ futura, fabulor?
Amo, hercle, opinor, utpote quod pro certo sciam.
Verum, quam illa unquam de mea pecunia
Ramenta fiat plumea propensior,
Mendicum malim mendicando vincere.
Nunquam, edepol, viva me inridebit : nam mihi
Decretum 'st renumerare jam omne aurum patri.
Igitur mihi inani atque inopi subblandibitur,

6. *Planeque amo.* Oratio insani amatoris mirum in modum fluctuat et turbat. Nam quum esset dicturus : « Ni ego illam modis plurimis miseram habebo et ulciscar », subito se ipse revocans, subdit, *planeque amo.* LAMB.

9. *Id isti dabo.* Iterum exprimitur adfectus amantis : qui dicat, se patri surrepturum pecuniam, quam det Bacchidi, cui modo minatus est. LAMB.

10. *Adeo ego illam*, etc. Hæc, ut priora, inter se neutiquam cohærent. Plautus ridendis modis adolescentes amore delirantes in proscenium non semel induxit. Conf. Cistell. II, 1 ; Mercat. V, 2. N. — *Ut mendicet meus pater.* Dicturus erat, et vero ita orationem exorsus erat, ut hoc subjiceret, *ut mendicet*, nimirum Bacchis : sed ut homo perturbatus, vel religione quadam retractus, minas in Bacchidem intentatas in patrem convertit. L.

11. *Sed satin'*, etc. Nunc resipiscere incipit. Ira prævortitur amori. — *Animum mente.* Eodem exemplo dixit : « mentem animi » Cistell. II, 1, 5 ; Epid. IV, 1, 4 ; item Lucret. IV, 760. Mens est animi vis, μένος. — *Sincera*, sana, non turbata. N.

14. *Verum, quam illa*, etc. Inversio quæ pendet a verbo *malim*, vs. 16. N.

15. *Ramenta.* Nonius : « Ramentum dici voluere, quasi projectitium quoddam purgamentum ». Dicebant autem *ramentum* et *ramenta*, ut *fulmentum* et *fulmenta*, vetustissimi : nunc neutro tantum uti satius est. GRON.* — *Propensior*, i. e. ponderosior.

16. *Mendicum mendicando vincere*, inter pauperes pauperrimus esse. N.

19. *Igitur*, tum. « *Igitur*, inquit Festus, apud antiquos ponebatur pro *inde*, et *postea*, et *tum* ». Conf. Amph. I, 1, 55 ; Mostell. I, 2, 51 ; Casin. II, 2, 40 ; Stich. I, 2, 29. N. — *Inani*, pecuniæ egeno. Trin. III, 2, 75. — *Subblandibitur*,

Tum, quom mea illud nihilo pluris referet,
Quam si ad sepolcrum mortuo dicat jocum.
Sed antequam illa unquam meis opulentiis
Ramenta fiat gravior, aut propensior,
Mori me malim excruciatum inopia.
Profecto stabile est me patri aurum reddere.
Eadem exorabo, Chrysalo causa mea
Pater ne noceat, neu quid ei subcenseat
Mea causa de auro, quod eum ludificatus est.
Nam illi æquom'st me consulere, qui causa mea
Mendacium nunc dixit: vos me sequimini. (ingreditur domum.)

SCENA QUINTA.

PISTOCLERUS.

Rebus aliis antevortar, Bacchis, quæ mandas mihi:
Mnesilochum ut requiram, ante ut eum mecum ad te adducam simul.
Nam illud animus meus miratur, si a me tetigit nuntius,
Quid remoratur: ibo, et visam huc ad eum, si forte'st domi.

videlicet quia aut ignorabit inopiam, aut nummos patrios posse subpilari sperabit. Nam nihil danti hujusmodi mulieres non facile blandiuntur. Audi Cleæretam Asin. I, 3. N.

20. *Mea nihilo pl. ref.* me non magis movebit. N.

21. *Mortuo dicat jocum.* Ad carmina illa sublesta, cassa et anilia, quæ in laudes defunctorum a præficis occentabantur, refero; quod genus, *næniarum* nomine et *nugarum* veniebat: ut Asin. IV, 1, vs. penult. Douza.

22, 23. *Sed antequam*, etc. Hic exemplum occurrit spuriorum quæ in Plauti fabulas irrepserant, dum histriones seu lapsu memoriæ, seu ambitione ingenii versus mutarent, dein librarii variantes lectiones in textum reciperent. Vix crediderim poetam bis idem dixisse, et alterum pejus. N.

25. *Stabile est*, stat sententia, decretum est. Ern.

26. *Eadem* opera, simul. Vid. sup. I, 1, 15. N.

30. *Vos me seq.* Hæc ad famulos itineris comites. N.

1. *Antevortar*, præponam. N.

3. *Tetigit*, scil. ipsum, id est, pertigit, seu pervenit ad eum. Douza. — Cf. II, 2, 19.

SCENA SEXTA.

MNESILOCHUS, PISTOCLERUS.

MNES. Reddidi patri omne aurum : nunc ego illam me velim
Convenire, postquam inanis sum, contemptricem meam.
Sed veniam mihi quam gravate pater dedit de Chrysalo!
Verum postremo inpetravi, ut ne quid ei subcenseat.
PIST. Estne hic meus sodalis? MNES. Estne hic hostis, quem adspicio, meus?
PIST. Certé is est. MNES. Is est : adibo contra, et contollam gradum.
PIST. Salvos sis, Mnesiloche. MNES. Salve. PIST. Salvos quom peregre advenis,
Cœna detur. MNES. Non placet mihi cœna, quæ bilem movet.
PIST. Num quæ advenienti ægritudo objecta'st? MNES. Atque acerruma.
PIST. Unde? MNES. Ab homine, quem mihi amicum esse arbitratus sum antidhac.
PIST. Multi more isto atque exemplo vivont, quos quom censeas
Esse amicos, reperiuntur falsi falsimoniis,
Lingua factiosi, inerteis opera, sublesta fide.
Nullus est, quoi non invideant rem secundam obtingere.

6. *Adibo contra, et contollam gradum.* Vulg. *tollam.* Acidalius diverbium distinguit commodius: « PIST. Adibo contra. MNES. Contollam gradum ». Ita æquiparantur inter se et opponuntur concinnius, Plautino more, verba noscitantium invicem. *Contollam gradum,* melius quam *t. g.* Cf. Aulul. V, 1, 6. N.

8. *Cœna detur.* Conf. sup. I, 1, 60, II, 2, 8; Epid. I, 1, 6.—*Quæ bilem movet*, ut ab inimico data.

13. *Lingua factiosi.* Factiosus i. q. potens. Cf. Aulul. II, 2, 50, sicut factio est potentia, opulentia. Cf. Trinum. II, 4, 51, 66, 90, 96. Ita fere Drances (Æn. XI, 338), « lingua melior, sed frigida bello Dextera ». N.

14. *Nullus est, quoi.* Nulli secunda

Sibi ne invideatur, ipsi ignavi recte cavent.
MNES. Edepol, næ tu illorum mores perquam meditate tenes.
Sed etiam unum hoc ex ingenio malo malum inveniunt suo:
Nulli amici sunt, inimicos ipsi in sese omneis habent.
Atque ii se quom frustrantur, frustrari alios stolidi existumant.
Sicut est hic, quem esse amicum ratus sum, atque ipsus sum mihi.
Ille, quod in se fuit, adcuratum habuit, quod posset mali
Facere, et in me inconciliare copias omneis meas.
PIST. Inprobum istunc esse oportet hominem. MNES. Ego ita esse arbitror.
PIST. Obsecro, hercle, loquere, qui is est? MNES. Benevolens vivit tibi.
Nam ni ita esset, tecum orarem, ut ei, quod posses mali
Facere, faceres. PIST. Dic modo hominem, qui sit: si non fecero
Ei male aliquo pacto, me esse dicito ignavissumum.
MNES. Nequam homo 'st, verum, hercle, amicus est tibi. PIST. Tanto magis

obtigit fortuna, cui ignavi non invideant; ipsi vero ignavia sua sedulo cavent, ne obtingat sibi ejusmodi fortuna, et sic invidiam declinant. BOXH.

18. *Nulli amici sunt*, etc. Hoc malum inveniunt, ut nulli sint illis amici, omnes inimici. N.

20. *Atque ipsus sum mihi*. Supplendum *æque* in priore comparationis parte, æque amicum ratus. N.

21. *Quod in se fuit*, quantum in ipso fuit. N.

22. *In me inconciliare*, adversus me alienas facere cop. meas, alienare a me.—*Omneis c. meas*, meas fortunas, opes, i. e. amicam. Namque amica amanti est omnia. Sed fateor insolentem mihi videri lectionem *inconciliare in me*. In antiquis editionibus nonnullis copula *et* in hoc versu non comparet; quarum auctoritate scribere velim: « quod posset mali facere in me, inconciliare copias omneis m. » N.

25. *Tecum orarem*. Conf. scen. 3, vs. 90. N.

26. *Dic modo hominem qui sit*. Poeta græcissat eodem, quo sæpe, modo. I. q. « Dic quis homo sit ». Conf. Amphitr. II, 1, 35; Cas. III, 6, 18. N.

Dic, quis est? Nequam hominis ego parvi pendo gratiam.
MNES. Video non potesse, quin tibi ejus nomen eloquar:
Pistoclere, perdidisti me sodalem funditus.
PIST. Quid istuc est? MNES. Quid est? misine ego ad te ex Epheso epistolam
Super amica, ut mihi invenires? PIST. Fateor factum, et reperi.
MNES. Quî, tibi non erat meretricum aliarum Athenis copia,
Quibuscum haberes rem, nisi cum illa, quam ego mandassem tibi?
Obciperes tute amare, et me ires consultum male?
PIST. Sanun' es? MNES. Rem reperi omnem ex tuo magistro, ne nega.
Perdidisti me. PIST. Etiamne ultro tuis me prolectas probris?
MNES. Quid, amas Bacchidem? PIST. Duas ergo heic intus eccas Bacchides.
MNES. Quid duæ? PIST. Atque ambas sorores. MNES. Loqueris nunc nugas sciens.
PIST. Postremo, si pergis parum mihi fidem arbitrarier,
Tollam ego te in collum, atque intro hinc adferam. MNES. Imo ibo: mane.
PIST. Non maneo, neque tu me habebis falso subspectum. MNES. Sequor.

33. *Fateor factum*, a te id, quod narras, missam epistolam. N.

34. *Quí*, quomodo. Lambinus mutavit *quid*, quod planius est. N.

36. *Obciperes tute amare*, etc. Ergone oportuit ut amares tu eam, etc. Acidalius priorem versum corrigit, et struit aliter orationem: « Nisi illam, q. e. m. t. occiperes tute amare, etc. » N. — *Et me ires cons. male?* Legendum erit *mi* in tertio casu, aut *me* accipiendum pro *mihi*, ut, teste Festo, loquebantur antiqui. LAMB.

38. *Etiamne*, adhuc ne. — *Ultro*, non lacessitus, immerito me. N.— *Prolectas*, id est, provocas, lacessis. GRONOV.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

PARASITUS, PUER.

PARASITUS ego sum hominis nequam atque inprobi,
Militis, qui amicam secum avexit ex Samo.
Nunc me ire jussit ad eam, et perconctarier,
Utrum aurum reddat, anne eat secum simul.
Tu dudum, Puere, qui cum illa usque isti simul,
Quæ harum sunt ædeis, pulta : adi actutum ad foreis.
Recede hinc, dierecte. Ut pulsat propudium!

1. *Parasitus ego sum*, etc. Personæ Plautinæ, quæ qualesque sint, ipsæ solent fateri jocose magis quam comice. Conf. Pers. I, 2; Trin. IV, 2. N.

4. *Utrum aurum*, etc. Vide sup. I, 1, 10-12. N.

5. *Tu dudum, puere*, etc. Vulg. «Tu d. puer, c. i. u. i. s.», versu titubante : lectionem Bothianam recepi, quam partim præivere Camerarius et Lambinus addito *qui*, partim ipse Plautus comprobat, qui antiquo more sæpius *puere* scribit in casu vocandi; conf. Asin. II, 2, 2; Mostell. IV, 2, 34. Afran. Incendio: «O puere, puere». Quem parasitus alloquitur, videlicet servus fuit pedisequus Bacchidis, dum militi operam illa dabat. N.

6. *Quæ h. sunt ædeis*. Harum (sc. ædium) non Bacchidum; unam tantum novit sororem (vid. scen. sq. vs 6). Tu qui eam sequutus es, et novisti, ubi habitet, pulta ædes, quæ inter has sunt illius, pulsa fores. Conf. Asin. II, 3, 2. N.

7. *Recede*. Abigit puerum ab janua, quod fores levius pulsasset. LAMB. — *Dierecte*. Varie explicant hujus etymologiam dictionis, conveniunt fere de sensu. Festus citatur parum verisimiliter enarrans «antiquos dierectum dixisse per antiphrasim (scilic. diem rectum), volentes significare malum diem». Alii *dierectus* pro *diarectus*, deductum a græco διάῤῥηκτος, mutata una litera, ut fit in multis aliis, ex. gr. patena, πατάνη, remulcus, ῥυμουλκός, etc. etc. tum *dierectus* rem ostendit non alienam a supplicio, cui Plautus vocabulum effinxit lumbifragium. Alii afferunt veteres glossas quæ *derectarios* (scribe *dierectarios*) docent esse effractores

Comesse panem tres pedes latum potes,
Foreis pultare nescis! ecquis in ædibu'st?
Heus ecquis heic est? ecquis hoc aperit ostium?
Ecquis exit?

SCENA SECUNDA.

PISTOCLERUS, PARASITUS.

PIST. Quid istuc? quæ istæc est pulsatio?
Quæ te mala crux agitat? ad istunc qui modum
Alieno vires tuas extentes ostio?
Foreis pæne ecfregisti : quid nunc vis tibi?
PAR. Adulescens, salve. PIST. Salve : sed quem quæritas?
PAR. Bacchidem. PIST. Utram ergo? PAR. Nihil scio, nisi
Bacchidem.
Paucis me misit miles ad eam Cleomachus,
Vel ut ducentos Philippos reddat aureos,
Vel ut hinc in Elatiam hodie eat secum simul.
PIST. Non it : negato esse ituram : abi, et renuntia.
Alium illa amat, non illum : duc te ab ædibus.
PAR. Nimis iracunde. PIST. At scin' quam iracundus siem?
Næ tibi, hercle, haud longe est os ab infortunio,
Ita dentifrangibula hæc meis manibus gestiunt.

scil. forium vel arcularum, fures, græce διαῤῥήκτας· alii dierectum volunt esse erectum sub dio, suspensum in cruce. Quocumque etymon verbi referatur, appellatio erit contumeliosa, ejusdem generis cujus illæ « furcifer, verbero, crucicola, etc. » N.

9, 10, 11. *Ecquis.....ecquis.....ecquis.* Parasiti, et militaris quidem protervia. N.

3. *Extentes.* Alii frequentativum hoc esse verbi *extendere* existimant; alii compositum ex verbo *tentare*, quibus videtur favere Plaut. Most. III, 1, 65. N.

7. *Paucis*, pauca eloquutus. N.

9. *Elatiam.* Urbs maxima Phocidis. Est et alia Thessaliæ. Lamb.

11. *Duc te ab æd.* aufer te, abi. Conf. Cic. ep. fam. X, 32 : « duxit se a Gadibus ». Terent. Hecyr. IV, 1, 17, « se duxit foras ». Lamb.

10. *Negato.* Acidalius *negat*, melius. N.

14. *Dentifrangibula.* Jocose pu-

PAR. Quom ego hujus verba interpretor, mihi cautio est,
Ne nucifrangibula excussit ex malis meis.
Tuo ego istæc igitur dicam illi periculo.
PIST. Quid ais tu? PAR. Ego istuc illi dicam. PIST. Dic mihi,
Quis tu es? PAR. Illius sum integumentum corporis.
PIST. Nequam esse oportet, quoi tu integumentum inprobus es.
PAR. Subflatus ille huc veniet. PIST. Disruptum velim.
PAR. Num quid vis? PIST. Abeas celeriter: facto 'st opus.
PAR. Vale, dentifrangibule. PIST. Et tu, integumentum, vale. (parasitus abit.)
In eum nunc hæc revenit res locum, ut quid consili

gnos suos dentifrangibula appellat, quod dentes frangunt. LAMB. — *Gestiunt.* Cf. Amph. I, 1, 167. N.

15. *Mihi cautio*, cavendum est. Graphice hic depingitur parasiti persona, cui quum inprimis sit dentium usus, et horum caüsa parasitum agat, desinit confestim illi obloqui, qui dentifragium minatur. BOXHORN.

16. *Nucifrangibula.* Dentes, quibus nuces franguntur. Lusus Plautinus. LAMB. — *Excussit*, excusserit. Cf. Asin. V, 1, 12. N.

17. *Illi*, militi. N.

18. *Q. ais tu?* Cf. Asin. III, 1, 18. Hac interrogatione præparat alteram: « D. m. q. t. e. » — *Ego istuc i. d.* Dixerat se relaturum istæc militi, minatus Pistoclero periculum; sed, interpellante adolescente, territus, se mandata exsequuturum profitetur, suppressa comminatione. N.

19. *Integ. corporis.* Σωματοφύλαξ, seu δορυφόρος, custos et stipator corporis, satelles. LAMB. — Dictum vero scurriliter, ut decuit parasitum. N.

20. *Quoi tu integumentum inprobus es.* Jocus frigidus est, immo ne jocus quidem, ob unius vocis prætermissionem, quæ desiderata facetias poetæ lepidissimi corrumpit. Emendo igitur: « Nequam esse oportet scutum: integumentum improbum est ». Nam integumenta vocantur et tegmenta, operimenta scutorum et sagmata. Utraque sententia significatur, militem esse nequam dominum, qui utatur tali ministro. TURNEB. — Emendatio Turnebi et ad metrum facit, nisi vulgatam scribas, ut sæpe fit in talibus: *inprobu's.* N.

21. *Subflatus*, iratus. *Subflari* et *turgere* absolute pro irasci Plauto usurpantur. Conf. Casin. III, 3, 19, IV, 5, 17; Mostell. III, 3, 10. — *Disruptum velim.* Facete responsum. Ita inflatum velim, ut disrumpatur. Gall. *qu'il crève.* N.

22. *Numquid vis?* Formula discedentis. Conf. Amph. III, 3, 15, et Terent. Adelph. II, 3, 39. N.

23. *Dentifrangibule.* Alia declinatio, alius sensus, atque vs. 14. Ibi arma, quæ frangunt, hic fractor ipse. N.

Dem meo sodali super amica, nesciam,
Qui iratus renumeravit omne aurum patri,
Neque numus ullu'st, qui reddatur militi.
Sed huc concedam: ńam concrepuerunt foreis:
Mnesilochus, eccum, mœstus progeditur foras.

SCENA TERTIA.

MNESILOCHUS, PISTOCLERUS.

MNES. Petulans, protervo, iracundo animo, indomito, incogitato,
Sine modo et modestia sum, sine bono jure atque honore,
Incredibilis, inposque animi, inamabilis, inlepidus vivo,
Malevolente ingenio natus: postremo id mihi est, quod nolo
Ego esse aliis. Credibile hoc est: nequior nemo est, neque indignior,
Quoi dii benefaciant, neque quem quisquam homo aut amet, aut adeat.
Inimicos, quam amicos, æquiu' st me habere: malos, quam bonos,
Par magis me juvare: omnibus probris, quæ inprobis viris
Digna sunt, dignior nullu'st homo: qui patri reddidi

28. *Concrepuerunt foreis*. Cf. Aul. IV, 5, 5. N.

1. *Petulans*, etc. Hoc et seqq. vv. sibi ipse maledicit, quod ultro amicum injuria crediderit perfidum, et semet perdiderit. N.

2. *Sine bono jure atque honore*. Neque justum, neque honestum servans sc. erga amicum. N.

3. *Incredibilis*, indignus, cui quisquam credat. LAMB. et DOUZA.

4. *Ingenio natus*, sortitus a natura ingenium. Sic Ennius de se, « eo ingenio natus sum ». Alii scribunt *genio*, mutata sententia. — *Postremo id mihi est*, etc. Denique omnia mihi insunt vitia, quæ in aliis ægre fero. N.

5. *Credibile hoc est*, quod de me nunc dicam. Alii signum interrogandi adscribunt, quibus sententia est: Quis credat hoc, quod feci? Aliud sermoni Plautino magis familiare. N.

7. *Malos, quam bonos*, etc. Mihi auxilio esse malos magis quam bonos par est; quando bonos, qui me adjuvant, pro malis habeo. N.

Omne aurum amans, quod fuit præ manu : sumne ego homo miser!
Perdidi me, atque operam Chrysali.
PIST. Consolandus hic mihi est; ibo ad eum. Mnesiloche, quid fit? MNES. Perii!
PIST. Dii melius faciant. MNES. Perii! PIST. Non taces, insipiens? MNES. Taceam?
PIST. Sanus satis non es. MNES. Perii! multa mala mihi in pectore
Nunc acria atque acerba eveniunt : criminin' me habuisse fidem?
Immerito tibi iratus fui. PIST. Eia bonum habe animum.
MNES. Unde habeam? mortuus pluris preti 'st, quam ego sum. PIST. Militis
Parasitus modo venerat aurum petere : hinc eum ego meis
Dictis malis, his foribus atque hinc repuli, rejeci hominem.
MNES. Quid mihi id prodest? quid faciam? nihil habeo miser : ille quidem

10. *Reddidi... amans.* Eo major reddentis fuit stultitia. Namque amanti pecunia opus est. Lambin. vult *amens*. N.

12. *Quid fit?* Sermo adeuntium, similis huic : « quid agis? » i. q. quomodo se res habent? Cf. Ter. Adelph. II, 5, 2; V, 1, 6. N.

15. *Criminin' me habuisse fidem?* Frustra hic est argutus Pistorius. Nam *habere fidem crimini* pro « accusasse fidem alicujus » quis dixit? At pro « credere maledicto » quis non dicit? Crimine pulsatus erat Pistoclerus quasi amator Bacchidis, quam unam esse putabat Mnesilochus et sibi destinatam. Id quia credidit, reddidit patri omne aurum, et nunc dolet se, quia crimen falso credidit, esse conjectum in tantam molestiam. Neque aliter infra, IV, 4, 32 : « Bacchidem atque hunc suspicabar propter crimen, Chrysale, Me male consuluisse ». Id est, propter criminationem Lydi, qua is ambos onerarat. Non enim in eo, quod crimen commisisset, ut vult Pistorius. Ter. Hecyr. V, 2, 13 : « Nam si compererit crimini tua se falso uxor credidisse ». GRON.

17. *Mort. pl. pr.* homo nihili sum.

19. *His foribus atque hinc repuli.* Vulgatæ pro *hinc* dant *hac*, quod a Camerario receperunt, non proferentibus MSS. Bothius emendat : « his foribus rejeci atque repuli hominem ». N.

Hanc abducet, scio. PIST. Si mihi sit, non pollicear. MNES. Scio, dares.

Gnovi : sed nisi ames, non habeam tibi fidem tantam.

Nunc agitas sat tute tuarum rerum : egone ut opem mihi

Ferre putem posse inopem te? PIST. Tace modo : deus respiciet nos aliquis.

MNES. Nugæ. PIST. Mane. MNES. Quid est? PIST. Tuam copiam eccam Chrysalum video.

SCENA QUARTA.

CHRYSALUS, MNESILOCHUS, PISTOCLERUS.

CHRYS. Hunc hominem decet auro expendi, huic decet statuam statui ex auro.

Nam duplex hodie facinus feci, duplicibus spoliis sum adfectus.

21. *Scio*, certe opinor. N.

22. *Sed nisi ames*. Nunc autem quia amas alteram Bacchidem, facile credo, te nihil habere, quod mihi dare possis. LAMB.—Verbum *amare* quid ferat vide sc. seq. vs. 5, et Asin. argum. vs. 1. N.

23. *Nunc agitas sat tute tuarum rerum*. *Agitas sat*, i. q. « satagere rerum suarum » est, satis negotii habere ipsum, satis exercitum et sollicitum pro rebus suis esse. Sic Terent. Heautont. II, 1 : « Nam hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum satagit, attamen Habet bene ac pudice eductam ». Gellius, 1, 17 : « Irarumque et molestiarum muliebrium per diem perque noctem satagebat ». Apuleius lib. VIII : « Coloni multitudinem nostram latrones rati satis agentes rerum suarum, eximieque trepidi ». Noster denique, Merc. II, 1 : « In somnis egi satis et fui homo exercitus ». GRON. — *Tute*, i. q. tu. N.

24. *Deus respiciet*. Conf. Captiv. IV, 2, 54. N.

1. *Hunc hominem*, me. Cf. Epid. I, 2, 38. Huic homini (mihi) opus est, etc. Terent. Heautont. II, 2, 115 : « Tibi... verba, huic homini verbera », et Andr. II, 1, 10 : « Tu si hic (ego) sis ». Horat. Sat. I, 9, 47 : « hunc hominem (me) ». N. — *Auro expendi*, cum auro comparari : auro contra ponderari : de se gloriose hæc prædicat. LAMB. — *Statuam statui ex auro*. Nescio an Chrysali ambitio similem Mascarilli animo cupiditatem injecerit : *Après ce rare exploit, je veux que l'on s'apprête A me peindre en héros, un laurier sur la tête, Et qu'au bas du portrait on grave en lettres d'or :* Vivat Mascarillus fourbum imperator. N.

Herum majorem meum ut ego hodie lusi lepide! ut ludificatus est!
Callidum senem callidis dolis conpuli, et perpuli, mihi omnia ut crederet.
Nunc amanti hero, filio senis, quicum ego bibo, quicum edo et amo,
Regias copias aureasque obtuli, ut domo sumeret, neu foris quæreret.
Non mihi isti placent Parmenones, Syri, qui duas aut treis minas
Adferunt heris. Nequius nihil est, quam egens consili servos, nisi habet
Multipotens pectus; ubicunque usus siet, pectore expromat suo.
Nullus frugi esse potest homo, nisi qui et bene et male facere tenet:
Inprobis quom inprobus sit, harpaget; furibus furetur, quod queat:
Vorsipellem frugi convenit esse hominem, pectus quoi sapit.
Bonus sit bonis, malus sit malis: utcunque res sit, ita animum habeat.

3. *Majorem*, i. e. patrem. Conf. Asin. II, 2, 63. N.

5. *Quicum ego bibo*, etc. Asin. II, 2, 4. N.

6. *Regias*, i. e. hominum opulentissimorum. Veteribus nomen regis et privatis hominibus additur. Conf. Rud. IV, 2, 26; Juven. Sat. V, 14. — *Obtuli*, dedi, feci ut haberet. — *Domo sumeret*. Vide supra II, 3, 47. N.

7. *Parmenones*, *Syri*, nomina comicorum servorum, in palliatis, primas semper fraudibus nectendis partes agentium, ut sunt nostrates *Frontin*, *Lafleur*. Notandum est Parmenones, Syros Chrysalo contemni, quæ nomina in fabulis Plautinis vix reperiuntur. N.

8. *Nisi*, i. e. et qui non. N.

9. *Ubicunque usus siet*, etc. Ellipsis ita supplenda: Pectus multipotens, (ita ut) ubic. opus sit, expromat (dolum) suo pectore. N.

10. *Frugi*, utilis et probus, prudens. Vid. 12, 15. N.

11. *Harpaget*. Conf. Aulul. II, 2, 24. N.

13. *Utcunque res sit*. Animum sc. habeat Fortunæ aptum. Gron.

Sed lubet scire, quantum aurum herus sibi demsit, et quid suo reddidit patri.
Si frugi 'st, Herculem fecit ex patre: decumam partem ei
Dedit, sibi novem abstulit. Sed quem quæro, optume ecce obviam
Mihi est. Num qui numi exciderunt, here, tibi, quod sic terram
Obtuere? quid vos mœstos tam tristeisque esse conspicor?
Non placet, nec est temere etiam. Quin mihi respondetis?
MNES. Chrysale, obcidi. CHRYS. Fortassis tu auri demsisti parum.
MNES. Quî, malum, parum? imo vero nimio minus multo parum.
CHRYS. Quid igitur, stulte? quoniam obcasio ad eam rem fuit
Mea virtute parta, ut, quantum velles, tantum sumeres,
Sic hoc digitulis duobus sumebas primoribus?
An nesciebas, quam ejusmodi homini raro tempus se daret?
MNES. Erras. CHRYS. At quidem tute errasti, quom parum inmersti ampliter.

15. *Herculem fecit ex patre*. Herculi decimam bonorum consecrare locupletes quidem solent; propterea quod is dixerit moriturus, eos opulentos futuros, qui sibi decimam bonorum suorum partem consecrassent. Conf. Stich. I, 3, 8; Trucul. II, 7, 11; Plut. Quæst. Rom. c. 18. LAMB.

17. *Sic terram obtuere*. Mœstus defixit humi oculos adolescens; at servus joculariter suo more causam quærit tristioris habitus. N.

19. *Nec est t.* non sine causa est.

21. *Malum*, exclamatio dolentis quoque est, non solum minantis et irati. — *Nimio minus multo parum*, i. e. nimio multo minus quam parum; *nimio*, i. q. valde; et *quam* sæpe in oratione Plautina deficit, supplenda sensu. Conf. Amph. II, 2, 43. N.

24. *Digitulis sum. prim.* Hac oratione, et diminutivo inprimis, graphice significatur sumendi parcitas et verecundia. N.

25. *Ejusmodi homini*. Construi ita debet: « An nesciebas, quam raro ejusmodi tempus, scil. argenti sumendi, homini se daret? » DOUZA.

26. *Inmersti*, immersisti manus in aurum. BOXH.

MNES. Pol, tu quam nunc me adcuses magis, si magis rem gnoveris!

Obcidi! CHRYS. Animus jam istoc dicto plus præsagitur mali.

MNES. Perii! CHRYS. Quid ita? MNES. Quia patri omne cum ramento reddidi.

CHRYS. Reddidisti? MNES. Reddidi. CHRYS. Omnene? MNES. Obpido. CHRYS. Obcisi sumus!

Quî in mentem venit tibi istuc facinus facere tam malum?

MNES. Bacchidem atque hunc subspicabar propter crimen, Chrysale,

Me male consuluisse : ob eam rem omne aurum iratus reddidi

Meo patri. CHRYS. Quid, ubi reddebas aurum, dixisti patri?

MNES. Id aurum adcepisse extemplo ab hospite Archidemide. CHRYS. Hem

Istoc dicto dedisti hodie in cruciatum Chrysalum :

Nam ubi me adspiciet, ad carnuficem rapiet continuo senex.

MNES. Ego patrem exoravi. CHRYS. Nempe ergo hoc ut faceret, quod loquor?

MNES. Imo tibi ne noceat, neu quid ob eam rem subcenseat;

Atque ægre inpetravi. Nunc hoc tibi curandum 'st, Chrysale.

CHRYS. Quid vis curem? MNES. Ut ad senem etiam alteram facias viam :

Conpara, fabricare, finge quodlubet, conglutina,

Ut senem hodie doctum docte fallas, aurumque abferas.

CHRYS. Vix videtur fieri posse. MNES. Perge, ac facile hæc feceris.

29. *Cum ramento.* Ne ramento quidem retento, i. e. omnino. Cf. sup. III, 4, 15, 23. Eodem fere modo « omnem rem cum pulvisculo auferre » dixit Trucul. prol. 19. N.

31. *F. fac. tam malum?* Lepida furis indignatio. En pædagogum! N.

32. *Crimen.* Conf. sc. præced. ad vs. 15. N.

33. *Me* pro mihi. Conf. III, 6, 36. N.

42. *Conglutina*, consue dolos.

CHRYS. Quam, malum, facile? quem mendaci prehendit manifesto modo :
Quem si orem, ut mihi nihil credat, id non ausit credere.
MNES. Imo si audias, quæ dicta dixit me advorsum tibi.
CHRYS. Quid dixit? MNES. Si tu illum solem sibi solem esse dixeris,
Se illum lunam credere esse, et noctem, qui nunc est dies.
CHRYS. Emungam, hercle, hominem probe hodie : ne id nequidquam dixerit.
MNES. Nunc quid nos vis facere? CHRYS. Enim nihil, nisi ut ametis, inpero.
Cæterum, quantum lubet, me poscitote aurum, ego dabo.
Quid mihi refert Chrysalo esse nomen, nisi factis probo?
Sed nunc quantulum usu'st auri tibi, Mnesiloche? dic mihi.
MNES. Militi numis ducentis jam usus est pro Bacchide.
CHRYS. Ego dabo. MNES. Tum nobis opus est sumtu. CHRYS. Ah placide volo
Unumquidque agamus : hoc ubi egero, tum istuc agam.
De ducentis numis primum intendam balistam in senem.

45. *Malum.* Couf. Amphit. I, 1, 247. N. — *Mendacii prehendit.* Pro in mendacio. Sic infra, IV, 9, 26: « Doli prehensus ». A. Gell. II, 18: « Servos furti manifesti prensos ». Apul. IX : « Noxæ deprehensus ». GRONOV.*

47. *Imo, si audias*, etc. O callidum juvenem et ingenii humani intelligentissimum, qui Chrysalum sensit metu refugere simulantem, ut sibi supplicaretur, et, etiamsi vere timeat, ubi suas artes a sene contemni audierit, ultro aggressurum pericula : contemplare quid possit lacessita veteratoris gloria; quantaque confidentia ille omnem belli molem suscipiat solus, jubeatque suos requiescere. N. — *Me advorsum tibi*, id est, me præsente in te absentem. GRON. — Cf. sup. I, 2, 19. N.

50. *Emungam*, pecunia fraudabo. Tralatio usitatissima comicis. Cf. Epid. III, 4, 62. Terent. Phorm. IV, 4, 1. N.

54. *Usu'st*, opus est. Ordo : Quantulum auri est opus. N.

56. *Sumtu*, pecunia ad epulandum cum meretricibus insumenda. N.

58-61. *Intendam balistam*, etc. Faceta allegoria, cujus fere similem commentus est Crispinus in fabula nostrate, cui nomen est : *les Folies amoureuses*, act. I, sc. 7. N.

Ea balista si pervortam turrim et propugnacula,
Recta porta invadam extemplo in obpidum antiquom et vetus:
Si id capso, geritote amicis nostris aurum corbibus,
Si quoi animus sperat. PIST. Apud te est animus noster, Chrysale.
CHRYS. Nunc tu abi intro, Pistoclere, ad Bacchidem, atque ecfer cito....
PIST. Quid? CHRYS. Stilum, ceram, et tabellas, et linum. PIST. Jam faxo heic erunt. (egreditur)

61. *Capso*, cepero. — *Amicis nostris.* Sic vetustissimæ edd. fere omnes; melius quam vulgatæ *vostris.* Illud magis consentiens cum vs. 5, « quicum edo et amo », præsertim si, ut Taubmanno et aliis placet, *amicis* feminino genere accipiendum, i. e. ad amicas. Hic certe Chrysalus non intelligit duas Bacchides; conf. vs. 27. Sed vox *amicis* magis obvia et planiore interpretatione possit masculine accipi. N.

62. *Si quoi animus sperat.* Hujus loci alii aliam lectionem proponunt. Scioppius levi mutatione *sicut* pro *si cui.* Acidal. et edit. Bip. « si cui superat (abunde est) animus ». Gronov. « sed cui sp. anim. », i. e. sed iis tantum, quibus bona spes est. Both. « sic quia sperat anim. » Possimus quoque nostram conjecturam proferre: « sic mi sp. an. » At nil mutare potius videtur, atque interpretari: « si cui (vostrum) confidens est an. » Possit quoque esse: « ferte ad amicos nostros pecuniam corbibus, si quis est, qui cupiat ». Nam sperare, ut exspectare, idem sæpe valet quod optare. Hinc *sperata* dicitur conjux, scilicet optata. Conf. Amphit. II, 2, 44. N.

64. *Ceram.* Cera hic non est tabula ex cera et ligno compacta: sed ea potius cera, qua more non nimium ab hodierno abludente, tabellas obsignabant. Sequitur enim inferius: « Obsigna cito »: in quem usum et ceram poposcerat sibi. DOUZA. — *Tabellas.* Ante chartæ et membranarum usum, in dolatis ex ligno codicillis epistolarum colloquia scribebantur. Et ejusmodi tabulæ Homero etiam notæ. Fiebant illæ, inducta cera, e fago, abiete, buxo, tilia, sive philyra, acere, citro, ebore: usi tamen et charta: sed sive tabella, sive charta, fuit forma ejus paullo alia quam hodie: pagellæ enim erant, et species minuti libelli. Hinc Ciceronis illud lib. II, epist. 13: « Extrema pagella pupugit me tuo chirographo ». Nisi quod publicas literas ad S. P. Q. grandiore forma et transversa charta scribebant, scilicet quasi historias: hæ siquidem majore modulo scribebantur: carmina atque epistolæ, breviore. LIPS. — *Et linum.* Filum, quo obligabantur clausæ tabellæ, sub signo ceræ impresso. Vid. vs. 96. N.

MNES. Quid nunc es facturus? id mihi dice. Coctum 'st prandium.
CHRYS. Vos duo eritis, atque amica tua erit tecum tertia.
MNES. Sicut dicis. CHRYS. Pistoclero nulla amica est. MNES. Imo adest.
Alteram ille amat sororem, ego alteram, ambas Bacchides.
CHRYS. Quid tu loqueris? MNES. Hoc, ut futuri sumus. CHRYS. Ubi est biclinium.
Vobis stratum? MNES. Quid id exquiris? CHRYS. Res ita est : dici volo.
Nescis quid ego acturus sim, neque facinus quantum exordiar.
MNES. Cedo manum, ac subsequere propius me ad foreis; intro inspice.
CHRYS. Evax nimis bellus, atque ut esse maxume optabam, locus. (Pistoclerus redit.)
PIST. Quæ inperasti, inperatum bene bonis, factum inlico est.
CHRYS. Quid parasti? PIST. Quæ parari tu jussisti omnia.
CRYS. (ad Mnesilochum.) Cape stilum propere et tabellas tu has tibi. MNES. Quid postea?
CHRYS. Quod jubebo, scribito isteic : nam propterea te volo
Scribere, ut pater congnoscat literas, quando legat.
Scribe. MNES. Quid scribam? CHRYS. Salutem tuo patri verbis tuis.

65. *Coctum 'st prandium.* Timet ne Chrysalus in parandam machinam longum tempus insumat, et ipsos remoretur. N.

69. *Biclinium*, vox hybrida, ex latino *bis* et græco κλίνη. N.

74. *Quæ inperavisti.* Locus haud dubie corruptus. Varia et vana hactenus moliuntur correctores. Scribendum est : « Quod imperavisti, impetratum. Bene bonis factum illico est ». Sententia aperta : Quod imperasti ut ad te adferrem, impetratum est. Quod boni imperant, statim factum, statim impetratum est. BOXH. — Nil mutandum. Hic Plautus plurali singularem numerum subjicit *imperatum* pro imperata facta sunt, figura dicendi haud infrequenti, i. e. quod nobis imperasti, hoc egregie industriis nobis imperatum exsequuti sumus. N.

PIST. Quid si potius morbum et mortem scribat? id erit rectius.
MNES. Ne interturba : jam inperatum in cera inest. CHRYS. Dic quemadmodum?
MNES. « Mnesilochus salutem dicit suo patri ». CHRYS. Adscribe hoc cito :
« Chrysalus mihi usque quaque loquitur nec recte, pater,
« Quia tibi aurum reddidi, et quia non te defrudaverim ».
PIST. Mane, dum scribit. CHRYS. Celerem oportet esse amatoris manum.
PIST. Atque idem, hercle, est ad perdundum magis, quam ad scribendum citus.
MNES. Loquere; hoc scribtum 'st. CHRYS. « Nunc, pater mi, proin' tu ab eo ut caveas tibi,
« Sycophantias conponit, aurum ut abs te abferat :
« Et profecto se ablaturum dixit ». Plane adscribito.
MNES. Dic modo. CHRYS. « Atque id pollicetur se daturum aurum mihi,
« Quod dem scortis, quodque in lustris comedim, et congræcem, pater.
« Sed, pater, vide ne tibi hodie verba det; quæso, cave ».
MNES. Loquere porro. CHRYS. Adscribe dum. MNES. Etiam loquere, quid scribam, modo.

81. *Jam inperatum in cera.* Jam scriptum est, quod imperasti. GRONOV.

83. *Nec recte.* Cf. Asin. I, 3, 3. N.

85. *Mane*, exspecta, donec, quæ dictasti, scripserit. BOXHORN.

86. *Idem*, i. e. amans, qui perdere, profundere celerior, quam scribere. N.

89. *Plane adscribito.* Videlicet miratus adolescens, qualia sibi scribenda dictentur, hæsitat; sed Chrysalus, aperiri consilium non dignatus, eum jubet pergere certus animi. N.

91. *Congræcem.* Congræcare, pergræcari, verba palliatæ quidem parum convenientia, sed quæ Plautus amat usurpare, dum voluptariæ vitæ mollitiem ostendit. At contra barbarico, i. e. romano ritu vivere, is est apud eumdem frugalitatis honos. Conf. Cas. III, 6, 19. Hujusmodi ἁμάρτημα comicum, ut loquitur Donatus, spectatoribus non displicebat. N.

CHRYS. « Sed, pater, quod promisisti mihi, te quæso ut memineris,
« Ne illum verberes, verum apud te vinctum adservato domi ».
Cedo tu ceram ac linum actutum : age, obliga, obsigna cito.
MNES. Obsecro, quid istis ad istunc usu'st conscribtis modum?
Ut tibi ne quid credat, atque ut vinctum te adservet domi?
CHRYS. Quia mihi ita lubet. Potin' ut cures te, atque ne parcas mihi?
Mea fiducia opus conduxi, et meo periculo rem gero.
MNES. Æquom dicis. CHRYS. Cedo tabellas. MNES. Adcipe. CHRYS. Animum advortite.
Mnesiloche, et tu, Pistoclere, jam facite in biclinio
Cum amica sua uterque adcubitum eatis; ita negotium 'st.
Atque ibidem, ubi nunc sunt lecti strati, potetis cito.
PIST. Numquid aliud? CHRYS. Hoc; atque etiam ubi erit adcubitum semel,
Ne quoquam exsurgatis, donec a me erit signum datum.
PIST. O inperatorem probum! CHRYS. Jam bis bibisse oportuit.
MNES. Fugiamus. CHRYS. Vos vostrum curate opficium, ego ecficiam meum.

96. *Obliga*, scil. lino. Et rectissime Plautus ad literas faciundas res quatuor simul dinumeravit antea : « stylum, ceram, tabellas, et linum ». DOUZA.

99. *Potin'*, potisne est, fierine potest. Loquendi genus Plauto perquam familiare. *Potis* tunc omnis generis. Amphit. II, 1, 61. N. — *Potin' ut cures te.* Quasi dicat : Cura tu modo Genium tuum, et de me securus esto. GRON.

100. *Mea fiducia opus conduxi.* Allegoria est, a redemptoribus ducta, qui datis sponsoribus, et factis syngraphis suo periculo opus aliquod faciundum conduxerunt. — *Mea fiducia*, i. e. mea fide et meo periculo. *Fiducia* in Lexico Græco-Lat. est ὑποθήκη, pignus. LAMB.

105. *Hoc* volo. N.

107. *Jam bis bibisse oportuit.* Quid moramini? jam bis calices exsiccatos oportuerat. N.

SCENA QUINTA.

CHRYSALUS.

Insanum magnum molior negotium,
Metuoque, ut hodie possiem emolirier.
Sed nunc truculento mî atque sævo usus sene 'st.
Nam non conducit huic sycophantiæ
Senem tranquillum esse, ubi me adspexerit.
Vorsabo ego illum hodie, si vivo, probe.
Tam frictum ego illum reddam, quam frictum'st cicer :
Adambulabo ad ostium, ut, quando exeat,
Extemplo advenienti ei tabellas dem in manum.

SCENA SEXTA.

NICOBULUS, CHRYSALUS.

NIC. Nimio illæc res est magnæ dividiæ mihi,
Subterfugisse sic mihi hodie Chrysalum.
CHRYS. Salvos sum, iratus est senex : nunc est mihi

1. *Insanum magnum*. Veteres, quum aliquid vehementer extollerent, soliti tamquam exclamantes, orationi suæ vocem μανία inserere. Unde manarunt illæ locutiones, Μανικὸν ὅσον μέγα, et *Insanum magnum*. Casaub.—«Insanum, inquit Festus, pro valde magnum usus est Plautus». Et Varro de L. L. VI : «Idem vehementer quum vellet dicere, dixit insane, quod insani faciunt omnia vehementer». Conf. Mostell. III, 3, 5. Lamb.

2. *Metuo ut*, ne non.—*Moliri* et *emoliri* sic differunt, ut prius sit aggredi, posterius, perficere. N.

3. *Usus*, opus est. Mihi expedit, ut iratus sit Nicobulus. N.

6. *Vorsabo ego illum hodie*. Tractum ab opsoniis, dum in sartagine aut craticula friguntur. Cf. Asin. I, 3, 28. N. — *Si vivo*, etc. Locutio usitata, si quis minatur, vel promittit. Cf. sc. 9, vs. 112. Galli hujus similem formulam in sermone habent : *si Dieu me prête vie*. Conf. Ter. Andr. V, 2, 24; Aulul. III, 2, 11. N.

7. *Frictum 'st cicer*. Moris fuisse, ut cicer frigeretur, sic plebeium pabulum, docet Horat. Art. Poet. vs. 249 : «si quid fricti ciceris probat et nucis emptor». N.

1. *Est dividiæ*, tædio, dolori est. Cf. Mercat. III, 4, 34; Stich. I, 1, 19. N.

Adeundi ad hominem tempus. NIC. Quis loquitur prope?
Atque hic quidem, opinor, Chrysalu'st. CHRYS. Adcessero.
NIC. Bone serve, salve : quid fit? quam mox navigo
In Ephesum, ut aurum repetam ab Theotimo domum?
Taces? per omneis deos adjuro, ut ni meum
Gnatum tam amem, atque ei facta cupiam, quæ is velit,
Ut tua jam virgis latera lacerentur probe,
Ferratusque in pistrino ætatem conteras.
Omnia rescivi scelera ex Mnesilocho tua.
CHRYS. Men' criminatu'st? optume 'st; ego sum malus,
Ego sum sacer, scelestus : specta rem modo.
Ego [verum] verbum faciam. NIC. Etiam, carnufex,
Minitare? CHRYS. Gnosces tu illum actutum, quali' sit.
Nunc hasce tabellas ferre me jussit tibi.
Orabat, ut, quod isteic esset scribtum, ut fieret.

6. *Quid fit?* Formula ineundi colloquium, hoc loco ironice. Cf. sc. 3, vs. 12. N.

10. *Ut* hoc loco abundat; namque jam versu 8 positum est. At sæpe hoc modo eleganter iteratur. Vid. inf. vs. 18. N.

11. *Ferratusque*, etc. Conf. Asin. I, 1, 16-24. N.

14. *Specta rem modo.* Minantis est, i. q. igitur exspecta rem. Scilicet re, factis scelestus ero, quando nomine jam sum apud vos. Hac significatione in sermone Plautino sæpissime occurrit : « me specta modo ». N.

15. *Ego [verum] verbum faciam.* Vulgatæ : « Ego verbum faciam », imperfecto numero et sensu. Lambinus complere tentat : « Ego nec verbum faciam »; Douza : « Ego verbum non faciam », ea scilicet sententia : « ipsam rem considera; me verbis non defendam ». Sed hæc parum comminantia, nec ea ut senis eliciant exclamationem vs. 16 : « Minitare? » Bothius aut vere aut proxime vero divinavit, cujus tamen uncis inclusum additamentum apposuimus. N.

18. *Orabat*, præteritum pro præsente. *Orabat*, scilicet, dum scriberet. Nunc scripto orat. N. — *Ut fieret.* Gruterus *id fieret*, quum ambobus in MSS legeretur, *ut fieret* : et increpat editiones eodem versu bis eamdem particulam exprimentes. Itaque alii fecerunt : « esset scriptum, fieret ». Sed retinenda scriptura vetus integra : « Orabat, ut, quod illuc est scriptum, ut fieret » : neque inepte, sed antique repetitur particula : nec Plauto modo, ut hac ipsa scena, vs. 8, « ut ni meum Gnatum, etc. ut tua jam » : et hac fabula, I, 2, 9 : « Ut,

NIC. Cedo. CHRYS. Gnosce signum. NIC. Gnovi. Ubi ipse est? CHRYS. Nescio.
Nihil jam me oportet scire : oblitus sum omnia.
Scio me esse servom, nescio etiam id, quod scio.
(seorsum.)
Nunc ab transenna hic turdus lumbricum petit;
Pendebit hodie pulchre; ita intendi tenus.
NIC. Mane dum parumper, jam ad te exeo, Chrysale.
(egreditur.)
CHRYS. Ut verba mihi dat! ut nescio quam rem gerat!
Servos arcessit intus, qui me vinciant.
Bene navis agitatur, pulchre hæc confertur ratis.
Sed conticiscam : nam audio aperiri foreis.

SCENA SEPTIMA.

NICOBULUS, CHRYSALUS.

NIC. Constringe tu illi, Artamo, actutum manus.
CHRYS. Quid feci? NIC. Inpinge pugnum, si mutiverit.

ubi emeritum sibi sit, se ut revehat domum » : sed persæpe et Livio. Vide nostra ad lib. XXII, 11, et XXVIII, 9. Terent. Phorm. I, 3, 1 : « Adeon' rem redisse, ut qui mi consultum optume velit esse, Phædria, patrem ut extimescam, ubi in mentem ejus adventi venit? » Gronov.

19. *Cedo*, da mihi. N.

21. *Nescio etiam id, quod scio*: Proverbialis locutio, quando quis reticet clamque gerit, quod novit. Conf. Terent. Heautont. IV, 4, 26. Sic, dum se iratum simulat, dicere, ubi sit adolescens, recusat, non simpliciter quidem, sed ironice gloriatus, quod boni fidelisque servi officio fungatur, scil. quidquid agit herus, non prodentis. N.

22. *Transenna*. Tendiculæ genus est; (opinor, gall. *collets*).—*Lumbricum*, vermiculum, tamquam escam et illicem appositum. N.

23. *Intendi tenus*. Tenus est laqueus, quo aves suspensi capiuntur. Marcellus *laqueum* interpretatur, et dictum a tendicula dicit. Purum et putum græcum est, τὸ τένος, vel τέννος. Hinc tenues etiam virgulas et festucas *tenos* dixere, ut φιλύρια Græci. Salm.

27. *Confertur ratis*. Conferri dicitur agitata navis alteri navi, ut concurrant scil. ac mutuo impingant : qui quidem hic verus sensus est. Acidal.—*Navis* monosyllabon fit pronuntiando, *i* elabente, ut constet versus. N. —*Navis*, scil. Nicobuli; *hæc*, mea. N.

Quid hæ loquuntur literæ? CHRYS. Quid me rogas?
Ut ab illo adcepi, ad te obsignatas adtuli.
NIC. Eho tu, loquitatusne es gnato meo male
Per sermonem, quia mihi id aurum reddidit?
Et te dixisti id aurum ablaturum tamen
Per sycophantias? CHRYS. Egone istuc dixi? NIC. Ita.
CHRYS. Quis homo 'st, qui dicat me dixisse istuc? NIC. Tace.
Nullus homo dicit; hæ tabellæ te arguunt,
Quas tu adtulisti. Hem, hæ te vinciri jubent. CHRYS. Aha!
Bellerophontem jam tuus me fecit filius.
Egomet tabellas tetuli, ut vincirer?... sine!
NIC. Propterea hoc facio, ut suadeas gnato meo,
Ut pergræcetur tecum, tervenefice.
CHRYS. O stulte, stulte, nescis nunc vænire te:
Atque in eo ipso adstas lapide, ubi præco prædicat.
NIC. Responde: quis me vendit? CHRYS. Quem di diligunt,
Adulescens moritur, dum valet, sentit, sapit.

12. *Bellerophontem.* Proverbium: Βελλεροφόντης καθ' ἑαυτοῦ γράμματα, de eo, qui literas velut commendatitias præfert, quæ contra ipsum sunt scriptæ. Bellerophon, quum apud Prœtum, hospitem suum, falso accusatus esset a Stenobœa, ejus uxore, quasi ad stuprum ipsam pellexisset, literas ab illo jussus est ad Iobatam in perniciem suam scriptas, totius rei ignarus, perferre. Vide Homer. Iliad. VII. GRONOV.

13. *Sine*, comminatio. Cf. Asin. V, 2, 48; Aulul. III, 2, 11. Conficta in Mnesilochum ira. N.

15. *Pergræcetur.* Conf. sc. 4, vs. 91.—*Tervenefice.* Cf. Aul. I, 2, 8. N.

16. *Vænire te*, decipi, ludibrio haberi. Sic gallice dicitur *étre vendu à beaux deniers comptants*. N.

17. *In eo ipso adstas lapide.* Idem dicit aliis verbis: et adagium est in eum, qui præsens, videns audiensque tamen deluditur. *Lapis* autem locus eminens erat, et tamquam suggestus, unde præco prædicabat atque vendebat: et λίθον Aristoph. *suggestum* vocavit. Unde, *de lapide emptos* Cic. in Pison. 15 nominat, vilissimos, ut servos venales: et Columell. IV, 3, *de lapide noxium*, appellat servum de lapide emptum, non frugi bonæ, sed qui noxæ deditus sit, ideoque venditus. TURN.

18, 19. *Quem di diligunt*, *Adul. moritur.* Plautus hic Menandri versum æmulatus est: Ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος. Innuit Chrysalus, senem Nicobulum diis esse invisum, quod adolescens, dum

Hunc si ullus deus amaret, plus annis decem,
Plus jam viginti mortuum esse oportuit;
Terræ odium ambulat; jam nihil sapit,
Nec sentit; tanti 'st, quanti 'st fungus putidus.
NIC. Tun' terræ me odium esse autumas? abducite hunc
Intro, atque adstringite ad columnam fortiter.
Nunquam abferes hinc aurum. CHRYS. Atqui jam dabis.
NIC. Dabo? CHRYS. Atque orabis me quidem ultro, ut abferam,
Quom illum rescisces criminatorem meum
Quanto in periclo et quanta in pernicie siet;
Tum libertatem Chrysalo largibere:
Ego adeo nunquam adcipiam. NIC. Dic, scelerum caput,
Dic, quo in periclo est meus Mnesilochus filius.
CHRYS. Sequere hac me, faxo jam scies. NIC. Quo gentium?
CHRYS. Tres unos passus. NIC. Vel decem. CHRYS. Agedum tu, Artamo,

saperet et sentiret, mortuus non esset. HERALD. — Hæc generatim, non de Mnesilocho, ut multi opinantur, dicit Chrysalus. Emphatice queritur vicem Nicobuli, jam non conloquens cum illo, sed quasi secum reputans et dolore externatus. Magna vis gravitasque inest huic figuræ dicendi, qua præclare usus est Racinius in tragœdia nomine Britannici insignita, quum Agrippina subito sermonem a Nerone avertit per ejulationem : *je n'ai qu'un fils, O ciel*, etc. act. IV, sc. 2. Sed hoc tragœdiæ loco quanto gravior sententiæ ambitio, tanto ridicula magis et magis faceta Chrysali hypocrisis. N.

20. *Hunc*, Nicobulum. N.

22. *Terræ odium*, gravatur hunc terra, pondus iners, ἄχθος ἀρούρης. — *N. sapit, nec sentit*. Neque mente viget, neque videt quidquam. N.

23. *Tanti 'st, quanti 'st fungus*, id est, inutilis et stolidus est. Vide Adag. *Fungus putidus*. GRON. — Cf. II, 4, 49, et V, 1, 2. N.

24. *Autumas*, dicis. N.

25. *Ad columnam*, in carcere, ubi adstrictus vinclis erit. Frustra Lipsius censet ad flagellationem rapi his verbis juberi Chrysalum : namque senex dicit hac scena omnia facta se velle, quæ velit filius; et Chrysalus, dum adolescenti epistolam dictaret, cavit ab hoc periculo. Vid. sc. 4, vs. 95. N.

26. *Hinc*, a me. Sic Mostell. IV, 3, 31 : « adcepisse hinc (a me) ne neges ». N.

34. *Agedum tu, Artamo*, etc. Chrysalus jubet hæc ab alio fieri; quippe ipse vinclis constrictus, movere manus non potest. N.

Forem hanc pauxillum aperi, placide, ne crepa :
Sat est; adcede huc tu : viden' convivium?
NIC. Video exadvorsum Pistoclerum et Bacchidem.
CHRYS. Qui sunt in lecto illo altero? NIC. Interii miser!
CHRYS. Gnovistine hominem? NIC. Gnovi. CHRYS. Dic, sodes, mihi,
Bellan' videtur specie mulier? NIC. Admodum.
CHRYS. Quid? illam meretricemne esse censes? NIC. Quippini?
CHRYS. Frustra es. NIC. Quis igitur, obsecro, est? CHRYS. Inveneris.
Ex me quidem hodie nunquam fies certior.

SCENA OCTAVA*.

CLEOMACHUS, NICOBULUS, CHRYSALUS.

CLEOM. Meamne hic Mnesilochus, Nicobuli filius,
Per vim ut retineat mulierem? quæ hæc factio est?
NIC. Quis ille est? CHRYS. (seorsum.) Per tempus hic venit miles mihi.

41. *Quippini*, censeo. Ita. Gall. *oui*. N.

42. *Quis*, utriusque generis. Cf. Aulul. II, 1, 16. N. — *Inveneris.* « Tu per te invenias, si voles », vel « facito ut per te invenias, si possis ». LAMB.

* Hæc scena perlegi non potest, quin recurset legentis animo ridiculus senis illius Molierici terror, dum hinc tremenda crepat trucem militem simulans Sylvester servus, inde veterator Scapinus operam dare trepido seni videtur, subdolus pacis internuntius. Sed, in hoc lusu, palliata gallicæ fabulæ, vi comica, ni fallor, eo præstat, quod ex improviso, nedum ex compacto, Cleomachus nesciens nolens senem territat, more suo jactabundus, et Chrysalus utrumque simul fallit; lepidaque fit peripetia, a sævitie ad preces sene converso. N.

1, 2. *Meamne hic.....ut retineat*, etc. Figura dicendi ad iram et indignationem accommodata, cujus exempla crebro occurrunt. Subaudito « patiar fieri », vel simili quavis locutione : « fierine patiar, ut meam hic, etc. » — *Meam mulierem.* Verba militis omnia sunt ambigua, quasi ad fallendum senem composita; e re tamen et ingenio dicentis nata. — *Quæ hæc factio est?* Quæ est illa tam superbe agendi ratio? N.

CLEOM. Non me arbitratur militem, sed mulierem,
Qui me meosque non queam defendere.
Nam neque Bellona mihi unquam, neque Mars creduat,
Ni illum exanimalem faxo, si convenero,
Nive exheredem fecero vitæ suæ.
NIC. Chrysale, quis ille est, qui minitatur filio?
CHRYS. Vir hic est illius mulieris, quacum adcubat.
NIC. Quid, vir? CHRYS. Vir, inquam. NIC. Nubta est illan', obsecro?
CHRYS. Scies haud multo post. NIC. Oppido interii miser!
CHRYS. Quid? nunc scelestus tibi videtur Chrysalus?
Age nunc, vincito me, auscultato filio.
Dixin' tibi ego illum inventurum te, quali' sit?
NIC. Quid nunc ego faciam? CHRYS. Jube, sis, me exsolvi cito;
Nam nisi ego exsolvor, jam manifesto hominem obprimet.
CLEOM. Nihil est lucri, quod me hodie facere mavelim,
Quam illum cubantem cum illa obprimere, ambo ut necem.
CHRYS. Audin' quæ loquitur? quin tu me exsolvi jubes?
NIC. Exsolvite istum : perii, pertimui miser!
CLEOM. Tum illam, quæ corpus publicat volgo suum,
Faxo, se haud dicat nactam, quem derideat.
CHRYS. Pacisci cum illo paulula pecunia

4. *Sed mulierem.* Proverb. *muliere ignavior.* Et *mulier imperator.* Et Græci timidum in bello γυναικίαν appellant. Sic Mil. II, 6, etc. GRON.

7, 8. *Exanimalem.....exheredem vitæ.* Sesquipedalia verba et tumor sententiarum militem gloriosum produnt. N.

10. *Quacum adcubat* Mnesilochus. N.

11. *Quid, vir?* An illius est maritus? N.

15. *Illum inventurum te.* Amphibolia. Te comperturum, qualis ille sit. N.

17. *Manifesto hom. obprimet.* Deprehendet in ipsa mœchatione. Cui autem pœnæ fieret obnoxius, si quis a marito mœchus deprehensus esset, hilariter actu scenico exposuit Plaut. Mil. gl. V. N.

19. *Ambo*, simul, et uno quasi ictu. GRON.

23. *Faxo, se haud nactam*, etc. Cf. III, 4, 7. N.

24. *Pacisci* veniam pro nato. N.

Potes. NIC. Paciscere ergo, obsecro, quid tibi lubet;
Dum ne manifesto hominem obprimat, neve enicet.
CLEOM. Nunc nisi ducenti Philippi redduntur mihi,
Jam illorum ego animam amborum exsorbebo oppido.
NIC. Hem, illoc paciscere, si potes; perge, obsecro;
Paciscere quidvis. CHRYS. Ibo, et faciam sedulo.
(ad militem.) Quid clamas? CLEOM. Ubi herus tuus est? CHRYS.
Nusquam, nescio.
Vis tibi ducentos numos jam promittier,
Ut ne clamorem heic facias, neu convicium?
CLEOM. Nihil est, quod malim. CHRYS. Atque ut tibi mala multa ingeram?
CLEOM. Tuo arbitratu. CHRYS. Ut subblanditur carnufex!
Pater hic Mnesilochi 'st : sequere : is promittet tibi.
Tu aurum rogato : cæterum verbum sat est.
NIC. Quid fit? CHRYS. Ducentis Philippis rem pepigi. NIC. Vah, salus
Mea, servavisti me. Quam mox dico : dabo?

25. *Quid*, quiquid. N.

29. *Illoc*, illo pretio. N.

31. *Quid clamas?* Hæc et sequentia usque ad vs. 37 clam sene aguntur, cui dum Chrysalus videtur adolescentis vitam redimere ab irato conjuge, militi largitur pecuniam, ut ille adolescenti meretricem concedat, ipsoque adjutore ad circumducendum senem, neque tamen participe consilii, utitur. N.

34. *Atque ut tibi mala m. ingeram?* Pacto addit, ut sibi liceat etiam militem coram sene conviciari. Neque illud vafer vani ludibrii causa paciscitur. N.

35. *Ut subblanditur.* Ita ergo Acidalius Chrysalo hoc ipsi dat : quod miles dixerat, velut palpans, *tuo arbitratu*. Lambin. ironice dictum seni dabat, qui tam procul tamen aberat, ut nihil eorum quæ loquerentur audire potuerit. GRON.

37. *Rogato*. Incipe stipulari. Cf Pseudol. I, 1, 114. N. — *Cæterum verbum sat est.* Non hoc dicit, unum in rem totam verbum sufficere : sed *verbum* dixit pro *verborum :* ut Rud. III, 6, 28 : « hic verbum sat est » ; et Trucul. II, 8, 14 : « Sequere hac, verbum sat est ». Jam sensus est : De cætero, sive quod ad cætera attinet, verborum sat est. Quasi dicat : De aliis rebus nihil opus te ad senem meminisse : nummos saltem rogato. Metuebat enim ne fallacia appareret, si in sermonem alium descenderet. ACID.

39. *Quam mox dico : dabo?* Inter

CHRYS. Roga hunc tu (ad militem), tu (ad Nicobulum) promitte huic.
NIC. Promitto; roga.
CLEOM. Ducentos numos aureos Philippos probos
Dabin'? CHRYS. Dabuntur, inque : responde. NIC. Dabo.
CHRYS. Quid nunc, inpure, numquid debetur tibi?
Quid illi molestus? quid illum morte territas?
Et ego te et ille mactamus infortunio.
Si tibi est machæra, et nobis veruina 'st domi :
Qua quidem te faciam, si tu me inritaveris,
Confossiorem soricina nenia.
Jamdudum, hercle, equidem sentio, subspicio

contrahendum, alter rogabat quantum vellet, alter dicebat : dabo. Ergo seni longum videtur, donec illud verbum dixerit. N.

43. *Inpure.* Cf. Asin. II, 4, 66. — *Numquid debetur tibi?* Pactio facta est; jam nihil habes quod nos postules; ob quod tibi simus obnoxii. Pactione transacta, nunc demum, ut compositum est vs. 34, erumpit in clamorem et minas adversus militem, et turbas agit, quasi rem nolit infectam, atque fallaciæ suspicionem a se amoliri occupat. N.

44. *Quid illi molestus?* sc. Mnesilocho. Nam dixisset *huic*, si de Nicobulo. — *Illum territas*, minitaris illi mortem. Conf. Virgil. Æn. XI, 351 : « cælum territat armis ». N.

45. *Mactamus infortunio.* Conf. Amph. IV, 2, 14. N.

46. *Veruina.* Fulgent. de prisc. serm. 33 : « Veruina, jaculi genus longum, quod aliqui verutum nominant ». Et citat h. l. atque hunc Bassi in Sat. « Veruina confodiende, non te nauci facio ». Unde conjicio, ut veruina telum fuerit culinarium magis, quam bellicum, obelus scilicet, quem ridicule Chrysalus machæræ militis opponebat. N.

48. *Conf. soricina nenia.* Omnes fere docti soricinam næniam significare volunt cantionem mortualem soricum, i. e. stridorem quo se ipsi produnt, et neci dantur; itaque « confossiorem soricina nænia » idem valere quod « confossiorem sorice, quem homines, voce illius acciti, confodere solent ». Sic explicat Donatus hunc locum, quem laudat ad Terent. Eunuch. V, 6, 23 : « meo judicio... quasi sorex hodie perii ». Lambinus aliam interpretationem tentavit, non aspernandam quidem : nam quum vidisset apud Arnobium neniam esse « porrectionem intestini, per quam proluvies editur, succis perexsiccata vitalibus », existimavit Plauti sententiam h. l. esse : « te magis confossum reddam quam intestinum soricinum, quum sorex in muscipula deprehensus certa machinatione confoditur ». Si quis autem fragmenta Festi lacera in v. *nænia* legerit, facile inducetur animus, ut Lambini ingeniosam eruditionem a vero non deerrasse existimet. N.

Quæ te solicitet : eum esse cum illa muliere.
CLEOM. Imo est quoque. CHRYS. Ita me Jupiter, Juno, Ceres,
Minerva, Latona, Spes, Opis, Virtus, Venus,
Castor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules,
Submanus, Sol, Saturnus, dique omneis ament,
Ut ille cum illa neque cubat, neque ambulat,
Neque osculatur, neque illud, quod dici solet.
NIC. Ut jurat! servat me ille suis perjuriis.
CLEOM. Ubi nunc Mnesilochus ergo est? CHRYS. Rus misit pater.
Illa autem in arcem abivit ædem visere
Minervæ. Nunc aperta est : i, vise, estne ibi.
CLEOM. Abeo ad forum igitur. CHRYS. Vel, hercle, in malam crucem.
CLEOM. Hodie exigam aurum hoc? CHRYS. Exige, ac suspende te :
Ne subplicare censeas, nihili homo. (miles abit.)
Ille est amotus : sine me, per te, here, obsecro,
Deos inmortaleis, ire huc intro ad filium.
NIC. Quid eo introibis? CHRYS. Ut eum dictis plurimis

54. *Submanus.* Pluto, Jupiter infernus, deus Manium, cui, Plinio teste, Hist. Nat. II, 52, fulmina nocturna tribuebantur : dicati honores jam a Tatio rege; et templum belli Pyrrhici tempore redditum. Conf. Ovid. Fast. VI, 731. N.

56. *Neque illud, quod dici*, etc. Verbum turpe tacuit. LAMB.

57. *Ut jurat!* Miratur ille, quod servus tam audacter se pejeret, tantique hoc æstimat, quanti si grande malum idem liberandi adolescentis gratia ultro pertulisset. Vid. IV, 9, 119. N.

59. *Ædem visere Minervæ.* Ut in palliata, eaque Attica, dictum est : nam Athenis in Acropoli Minervæ ædes erat. TURN.

60. *Aperta est* domus Bacchidis. N.

63. *Ne subplicare*, ne crede nobis te timori esse.—*Nihili homo.* Festus : « qui nec hili quidem est »; et idem : « hilum putant esse quod grano fabæ adhæret ». Cf. Asin. II, 4, 66. N.

64. *Sine me, per te, here*, etc. Sermo implicatus, cujus hic est ordo : « Here, te per deos omnes immortales obsecro, sine me huc intro ire ad illum ». Antiquis hoc nihil usitatius. Conf. Ter. Andr. VI, 6 : « Per ego te deos oro, etc. » SCALIG.

Castigem, quom hæc sic facta ad hunc faciat modum.
NIC. Imo oro, ut facias, Chrysale, et te obsecro;
Cave parsis in eum dicere. CHRYS. Etiam me mones?
Satin' est, si plura ex me audiet hodie mala,
Quam audivit unquam Clinia ex Demetrio? (abit.)
NIC. Lippi illic oculi servos est simillumus:
Si non est, nolis esse, neque desideres;
Si est, abstinere, quin adtingas, non queas.
Nam ni illic hodie forte fortuna heic foret,
Miles Mnesilochum cum uxore obprimeret sua,
Atque obtruncaret mœchum manifestarium.
Nunc quasi ducentis Philippis emi filium,
Quos dare promisi militi: quos non dabo
Temere etiam, priusquam filium convenero.
Nunquam, edepol, quidquam temere credam Chrysalo.
Verum libet etiam mihi has perlegere denuo;
Æquom 'st tabellis consignatis credere. (egreditur)

SCENA NONA.

CHRYSALUS, NICOBULUS.

CHRYS. Atridæ duo fratres cluent fecisse facinus maxumum:

71. *Quam audivit unquam Clinia ex Demetrio.* Allusit sine dubio ad aliquam comœdiam illius temporis, in qua multa mala ingerebat Demetrius Cliniæ. Personæ sunt illius fabulæ tunc celebris in theatro romano. Nec aliud quærendum. SALM.

72. *Lippi illic oculi servos est simillumus.* Dicit servum malum oculi lippi esse simillimum. Si oculus tuus non est lippus sane nolis esse; sed si sit, vix possis abstinere quin semper illic manum habeas, et illum tangas, vel attingas. Nam sæpe pruriunt ejusmodi oculi. Aut etiam ut sordes detergeantur, quas lippitudo aggerit, manibus oculus est attingendus. Ita est de servo, qui quamvis sit malus, vix tamen abstinemus quin ejus opera utamur. SALMAS.

83. *Æquom 'st tabellis cons. cred.* Servo quidem ægre fidens senex, at filio credulus; hac ergo balistæ Chrysali patebit vetus oppidum. N.

1. *Atridæ*, etc. Hanc scenam, quæ belli Trojani enarrationem continet allegoricam, Plautinissimam Taubmannus pronuntiat. Cujus autem pars prior more discipli-

Quom Priami patriam Pergamum, divina mœnitum manu,
Armis, equis, exercitu, atque eximiis bellatoribus,
Millenum numero navium, decumo anno post, subegerunt.
Non Pelides termento fuit, præut ego herum expugnabo meum,
Sine classe, sineque exercitu, et tanto numero militum.
Cepi, expugnavi amanti herili filio aurum ab suo patre.
Nunc priusquam huc senex venit, libet lamentari, dum exeat:
O Troja! o patria! o Pergamum! o Priame! periisti, senex,
Qui miscre male mulcabere quadringentis Philippis aureis.

naque nostratis comœdiæ non judicanda. Multum quidem a solito dramaticæ poeseos progressu verique imitatione abest prolixa illa servuli eruditio et belli Trojani enarratio sigillatim cum machinamentis comicis collata. Sed hoc unum fuit ex illis canticis, gestum histrionicum desiderantibus, quorum lepore adeo Romani delectabantur. Huic sane hilaritas non defuit; neque doctrina, quamvis non suo loco, displicebat indoctis. — *Cluent*, dicuntur. N.

2. *Pergamum:* Troja regio est: Ilium, sive Ilios, civitas: Pergamos, sive Pergama, arces Trojanæ. Steph. — *Mœnitum*, antique pro munitum, i. q. ædificatum. N. — *Divina manu.* Neptuni et Apollinis, jussu Jovis. Lamb.

3. *Armis, equis*, etc. freti. N.

5. *Non Pelides*, etc. Videtur quid deesse inter hunc et priorem versum, quod supplet intelligentia, absolvendæ gratia comparationis; scilicet tale quid: « sed præ meo facinore illud quantulum est. Ipse autem Pelides, etc. » — *Termento*, i. e. detrimento: hanc lectionem Festus præbuit simul et interpretationem. Scilicet ut a *movere*, movimen, momentum, ita termentum a *tero*. Salmasius malit, quod veteres edd. dant, *tormento*, utpote magnificentius digniusque Æacida; sed vulgatis acquiesco, quæ magis ad sermonem heroico-comicum faciunt. N.

9. *O Troja! o patria!* etc. Videlicet ludo vertit seria et ridicule threnos imitatur vulgo in tragœdiis de gente Priami auditos, cujus modi fuit illa ejulatio Andromaches apud Ennium in fabula ejusdem nominis: « O pater, o patria, o Priami domus, etc. » Sed alium Ennio Plautus, credo, traducere voluit; nam fortasse, quum Bacchides in scenam prodiere, nondum Ennius Romam venerat. N.

10. *Mulcabere.* Mulcare est percutere, lædere, non idem ac multare. Ita « mulcare aliquem aliqua

Nam ego has tabellas obsignatas, consignatas, quas fero,
Non sunt tabellæ, sed equos, quem misere Achivi ligneum.
Epius est Pistoclerus; ab eo hæc sumpta. Mnesilochus Sinon est
Relictus; ellum, non in busto Achilli, sed in lecto adcubat;
Bacchidem habet secum. Ille olim habuit ignem, quî signum daret;
Hæc ipsum exurit. Ego sum Ulysses, quojus consilio hæc geruntur.
Tum quæ heic sunt scribtæ literæ, hoc in equo insunt milites
Armati atque animati probe: ita res subcessit, meliusque adhuc.
Atque hic equos non in arcem, verum in arcam faciet inpetum.
Excidium, exitium, exlecebra fiet hic equos hodie auro senis.

re» dicitur, ut «tangere pecunia, circumducere auro» locutiones Plauto usurpatas multis locis videmus. N.

11, 12. *Nam ego has tabellas*, etc. Ordo sit naturalis: «Hæ tabellæ, quas fero, non sunt tabellæ». Sed substantivum cum relativo *quas* in eumdem casum tractum est a verbo *fero*. Sic Virgil. Æneid. I, 573: «Urbem quam statuo vestra est». — *Obsignatas consignatas*. Pleonasmus ad augendam vim, i. e. præferentes signum et sub signo clausas. Sic fere gallice *scellées et cachetées*. N.

13. *Epius*. Ἐπειὸς nomen fabri, qui equum istum durateum fecit. Virg. Æn. II, 264: «et ipse doli fabricator Epeus». Vict. — *Ab eo hæc*, etc. Is hæc præbuit, quibus scriptio facta est. Lamb. — *Sinon est*, etc. Hic simulaverat se a Græcis fugientibus esse relictum: et in Achillis busto delituerat. Meurs.

15. *Ille*, priscus Sinon. — *Olim habuit ignem*. Sinon enim sublata face, Græcis a Tenedo redeuntibus noctu signum dabat. Lamb.

16. *Hæc ipsum exurit*. Quum Sinoni ignem præferenti Mnesilochum a Bacchide, igne suo, exustum vetus poeta compararet, nonne Italiæ novæ cavillationes magis, quam priscæ Romæ severitatem videtur affectasse? Hujus putidioris elegantiæ non unum apud Sarsinatem occurrit exemplum. Vid. Merc. III, 4, 3. N.

18. *Meliusque adhuc*. Res mihi bene, ut Græcis, ad hoc tempus, immo melius successit. Camerar. pro illis verbis legit *meliuscule*, forsan lepidius. N.

20. *Exlecebra*. Vis quædam eliciendi. Festus ait exlecebras argentarias

Nostro seni huic stolido, ei profecto nomen facio ego Ilio.
Miles Menelau'st, ego Agamemnon, idem Ulysses Laertius,
Mnesilochus est Alexander, qui erit exitium rei patriæ suæ:
Is Helenam abduxit, quoja causa nunc facio obsidium Ilio.
Nam illeic audivi Ulyssem, ut ego sum, fuisse et audacem et malum.
Dolis ego deprensus sum; ille mendicans pene inventus interiit,
Dum sibi exquirit fata Iliorum: adsimiliter mihi hodie obtigit.
Vinctus sum, sed dolis me exemi; item se ille servavit dolis.
Ilio tria fuisse audivi fata, quæ illi forent exitio:
Signum ex arce si perisset; alterum etiam est Troili mors;
Tertium, quom portæ Scææ limen superum scinderetur.

esse dictas meretrices, ab eliciendo argento. Lamb.

22. *Miles Menelau'st.* Nam ut Menelaus Helenam, quam rapuerat Paris, repetebat, ita hic miles Cleomachus Bacchidem suam repetit. Gron. — *Agamemnon*, imperio; nam summus imperator Chrysalus, sc. 4, vv. 74, 107. *Ulysses*, ingenio. N.

24. *Is Helenam abduxit.* Mnesilochus Bacchidem. Gron. — *Quoja causa*, cujus causa. N.

25. *Eidem* Lambinus interpretatur *ibidem*, nulla auctoritate. Credo mendum esse, et rescribendum cum Bothio: « Nam illi itidem », *illi* i. q. illic, ibi. — *Malum*, versutum. Eo sensu sæpissime *malus* apud Plautum. Conf. Mostell. V, 1, 23, 58; Mil. III, 3, 7, et passim. N.

26. *Dolis*, inter peragendos dolos. — *Ille mendicans*, etc. Hæc narrat Homer. Odyss. IV, 244-55; commemorat Eurip. Hecub. 239. N.

27. *Sibi* redundans, ut sæpe *mihi*, *tibi* apud auctores tum metricæ tum prosæ orationis. Varro Γεροντιδιδ. « Noctu cultro coquinari se trajecit; nondum enim *mihi* inventi erant cultelli, etc. » Ter. Adelph. III, 5, 30: « ille bonus vir *nobis* psaltriam... paravit, quicum vivat ». N.

29. *Ilio tria fuisse audivi fata.* *Fata*, sive oracula Trojanorum, dicuntur fuisse tria: vita Troili, Priami omnium natu minimi filii; conservatio Palladii, quod in Minervæ templum cælo delapsum credebant Trojani; et ut sepulcrum Laomedontis, quod erat in porta Scæa, servaretur integrum. Secundum alios plura fuerunt. Hæc autem fata omnia vicerunt Græci. Nam Achilles Troilum secum congressum interfecit: Palladium vero ab Ulysse et Diomede ablatum est: porta vero Scæa diruta fuit ab ipsis Trojanis, ut equus ille fatalis introduceretur. Gron.

Paria item tria eis tribus sunt fata nostro huic Ilio:
Nam dudum primo, ut dixeram nostro seni mendacium
Et de hospite, et de auro, et de lembo, ibi signum ex arce jam abstuli.
Jam duo restabant fata tum, nec magis id ceperam oppidum.
Post ubi tabellas ad senem detuli, ibi obcidi Troilum.
Quom censuit Mnesilochum cum uxore esse dudum militis,
Ibi vix me exsolvi; atque id periclum adsimulo, Ulyssem ut prædicant
Cognitum ab Helena, esse proditum Hecubæ : sed ut olim ille se
Blanditiis exemit, et persuasit, se ut amitteret;
Item ego dolis me illo expuli periculo, et decepi senem.
Postea cum magnifico milite, urbeis verbis qui inermus capit,
Conflixi, atque hominem repuli : dein pugnam conserui seni;
Ego eum adeo uno mendacio devici, uno ictu extempulo
Cepi spolia : is nunc ducentos numos Philippos militi,
Quos dare se promisit, dabit.
Nunc alteris etiam ducentis usu'st, qui dispensentur,
Ilio capto, ut sit mulsum, quî triumphent milites.

33. *Dudum*, jam, modo. — *Ut dixeram*, etc. Primo (fato), quum dixi mendacium de hospite, etc. (cf. II, 3, 16 sqq.), tum Palladium abstuli. N.

38. *Ulyssem ut prædicant*, etc. Expone orationem : periclum assimilo illi, quod prædicant Ulyssem obiisse, quum ab Helena cognitus fuit, etc. N.

40. *Blanditiis*. Cf. Euripid. l. c. —*Amitteret*. Donat. ad Ter. Phorm. I, 2, 91 : « Hoc quod nos dicimus *dimitte*, antiqui etiam dicebant *amitte* ». Quod Plautus plurimis locis comprobat. Sup. III, 2, 11; Asin. III, 3, 21. N.

42. *Milite*, Cleomacho. Conf. sc. præced. — *Urbeis verbis qui inermus capit*. Nimis urbane dictum : quod genus hominum (Mil. IV, 2, 64) *urbicapos* nominat, verbis strenuos, manu inertes. Urbes capit, qui urbium ἁλώσεις narrat. Casaub.

47. *Usu'st*, opus est. Conf. IV, 5, 3. N.

48. *Mulsum, quî tr. mil.* Vinum melle mixtum dari solitum militi-

Sed Priamus hic multo illi præstat : non quinquaginta modo,
Quadringentos filios habet ; atque equidem omneis lectos, sine probro :
Eos ego hodie omneis contruncabo duobus solis ictibus.
Nunc, Priamo nostro si est quis emtor, coemtionalem senem
Vendam ego, venalem quem habeo, extemplo ubi oppidum expugnavero.
Sed Priamum adstantem eccum ante portam video : adibo, atque adloquar.
NIC. Cujanam vox prope me sonat? CHRYS. O Nicobule! NIC. Quid fit? quid?
Quod te misi, ecquid egisti? CHRYS. Rogas? congredere. NIC. Congredior.
CHRYS. Optumus sum orator : ad lacrumas coegi hominem castigando,
Maleque dictis, quæ quidem quivi conminisci. NIC. Quid aït? CHRYS. Verbum

bus in triumpho constat vel ex T. Livio. L. — *Quf.* Cf. II, 3, 101.

50. *Quadringentos filios*, scilicet Philippeos aureos, quorum ducenti jam capti sunt, ducenti mox capientur.—*Lectos, sine probro.* Douza censet lectos sine probro esse legitimo satu partuque editos, contorta significatione vocis *lectos*. Oratio rectior videtur, si, distinctione admissa, « lectos, sine probro » interpreteris, « eximios, neque adulterinos ». Sic latinitas vim non patitur, neque perit ambiguitatis festivitas. N.

52. *Priamo nostro*, Nicobulo. — *Coemtionalem senem.* Senex coemptionalis est mancipium veteranum et attritum, quod per se emptorem non invenit, et adjiciatur oportet, alii mancipio et rei vendibili, quod quæve non addicatur, nisi cum tali accessione. Conf. Cic. ad Div. VII, 29. GRON. — Et lusus fit ambiguitate verborum *vendere, emi.* Vid. vs. seq. N.

53. *Vendam ego, venalem quem habeo.* Moris erat apud antiquos, ut, urbe capta, victi sub corona venirent; quem ad morem nunc alludit oppidi expugnator; simulque in verborum « vendere, venalem habere », translata significatione, qua consonant verbis « fallere, decipere » (cf. sc. 7, vv. 16-18), cavillatur. Forsan et joco triplici alludit ad servilem histrionis statum. N.

55, 56. *Quid? Quod te misi, ecq. eg.* Dic mihi : rem, ob quam te misi, num egisti? N.

Nullum fecit; lacrumans tacitus auscultabat, quæ ego loquebar:
Tacitus conscribsit tabellas; obsignatas mihi has dedit,
Tibi me jussit dare: sed metuo, ne idem cantent, quod priores.
Gnosce signum; estne ejus? NIC. Gnovi: lubet perlegere has. CHRYS. Perlege.
(aversus ad spectantes.)
Nunc superum limen scinditur, nunc adest exitium Ilio.
Turbat equos lepide ligneus. NIC. Chrysale, ades, dum ego has perlego.
CHRYS. Quid me tibi adesse opus est? NIC. Volo, ut, quod jubeo, facias,
Ut scias, quæ heic scribta sient. CHRYS. Nihil moror, neque scire volo.
NIC. Tamen ades. CHRYS. Quid opus est? NIC. Taceas; quod jubeo, id facias. CHRYS. Adero.
NIC. Euge literas minutas! CHRYS. Qui quidem videat parum:

60. *Tacitus conscribsit tabellas*, etc. Vide facetissimi furis ingenium, quam lepido sermone fallacias exsequatur, in eodem rursus argumento nova commentus (conf. sc. 7), tum ad circumducendum senem callidus indignationis simulator, tum ad exhilarandos spectatorum animos felicissimus jocorum artifex. N.

61. *Ne idem cantent, quod priores*, scil. conficta in me crimina, et mandatum, ut in vincula conjiciar. N.

63. *Superum limen* portæ Scææ. Cf. vs. 31. N.

64. *Turbat*, i. q. turbas agit. Cf. supra I, 1, 74, et Mostell. III, 1, 15; Menæch. III, 2, 21. — *Equos ligneus*. Cf. v. 12. N.

65. *Jubeo*. Vulg. *jubebo*, minus sententiæ et metro convenienter. Conf. 67, 70. Volo te facere, quod jubeo, nempe scire, quæ h. s. s. N.

68. *Euge literas minutas!* Nimis argute, ni fallor, Meursius comminiscitur, ad hujus loci interpretationem, olim, in epistolis, si læta essent scribenda, usos fuisse genere literarum contractiore; itaque Nicobulum, quasi quid tale vidisset, exclamare exsultantem: « Euge! min. lit. » Sed enim facilius rectiusque erit interpretari *Euge* ironice per antiphrasin, quia senex minutas nimis literas vix possit discernere. Immo non semper est lætantis hoc *euge*. Cf. V, 1, 19. Amph. IV, 1, 10. N. — *Qui quidem videat parum*. Jocus est ex ambiguo. Nam

Verum, qui satis videat, grandeis satis sunt. NIC. Animum advortito igitur.
CHRYS. Nolo, inquam. NIC. At volo, inquam. CHRYS. Quid opu'st? NIC. At enim id, quod te jubeo, facias.
CHRYS. Justum est, tuus tibi servos tuo arbitratu serviat.
NIC. Hoc age, sis, jam nunc. CHRYS. Ubi lubet, recita; aurium operam tibi dico.
NIC. Ceræ quidem haud parsit, neque stilo; sed quidquid est, perlegere certum 'st.
« Pater ducentos Philippos quæso, Chrysalo
« Da, si esse salvom vis me, aut vitalem tibi. »
CHRYS. Malum quidem, hercle, magnum tibi dico. NIC. Quid est?
CHRYS. Non prius salutem scribsit? NIC. Nusquam sentio.
CHRYS. Non dabis, si sapies; verum si das maxume,
Næ ille alium gerulum quærat, si sapiet, sibi:
Nam ego non laturus sum, si jubeas maxume.
Sat sic suspectus sum, quom careo noxia.

homini, qui parum sapiat, has literas ait esse minutas; sapienti, satis grandes. LAMB.

72. *Hoc age, sis;* attentus sis, quæso. Cf. Asin. prol. 1. N.

73. *Ceræ quidem haud parsit*, significat grandem et longam Mnesilochi epistolam. N.

76. *Malum quidem*, etc. Lamb. et alii eum sequuti non laudatum, subtiliter hunc versum enarrant, tamquam Chrysalus prima parte orationis, usque ad *magnum* videatur indignationem expromere adversus literarum scriptorem, dein aversus ad spectatores, submissa voce, subjiciat per correctionem « tibi dico, precor (hoc malum) tibi, scilicet o Nicobule, non adolescenti ». Sed promptior sensus est: « Tibi dico, affirmo, Nicobule, magnum malum esse jam admissum ». Sic quoque, in severitate Chrysoli mox præter exspectatum nugatoria salis est satis. N.

77. *Non prius*, etc. Omisit solitam præfationem dandæ salutis. Conf. Captiv. II, 3, 29. O virum profecto optimum, neque adolescenti indulgentem, qui tam ægre patitur neglectum verecundiæ morem, vel in re levissima. — *Nusquam sentio*, i. e. non video. Sed quum fatetur se nusquam sentire salutem scriptam sibi, nonne aliud quoque, quam quod ipse intelligit, dicere videtur, quod exhilaret spectantes? Namque affert illi, aut illius nummis hæc epistola exitium, neque jam ulla salus adest. N.

NIC. Ausculta porro, dum hoc, quod scribtum 'st, perlego.
CHRYS. Inde a principio jam inpudens epistola 'st.
NIC. « Pudet prodire me ad te in conspectum, pater.
« Tantum flagitium te scire audivi meum,
« Quod cum peregrini cubui uxore militis. »
Pol, haud derides : nam ducentis aureis
Philippis redemi vitam ex flagitio tuam.
CHRYS. Nihil est illorum, quin ego illi dixerim.
NIC. « Stulte fecisse fateor : sed quæso, pater,
« Ne me in stultitia, si deliqui, deseras.
« Ego animo cupido atque oculis indomitis fui :
« Persuasum 'st facere, quojus nunc me facti pudet. »
Prius te cavisse ergo, quam pudere, æquom fuit.
CHRYS. Eadem istæc verba dudum illi dixi omnia.
NIC. « Quæso, ut sat habeas id, pater, quod Chrysalus
« Me objurgavit plurimis verbis malis,
« Et me meliorem fecit præceptis suis,
« Ut te ei habere gratiam æquom sit bonam. »
CHRYS. Estne istuc isteic scribtum? NIC. Hem, specta, tum scies.
CHRYS. Ut qui deliquit, subplex est ultro omnibus!
NIC. « Nunc si me fas est obsecrare abs te, pater,
« Da mihi ducentos numos Philippos, te obsecro ».
CHRYS. Ne unum quidem, hercle, si sapis. NIC. Sine perlegam :

87. *Pol, haud derides.* Vere quidem te incusas, Mnesiloche. N.

88. *Flagitio*, infamia. N.

89. *Nihil est illorum*, etc. Qui se truculentum adversus Mnesilochum gerebat, nunc obviam it querelis Nicobuli; nempe timet ne nimium senex querendo irascatur. N.

93. *Persuasum 'st.* Libido pellexit. N.

93. *Prius te cavisse*, etc. O lepidam objurgationem, in quam dolor irritus erumpit, antequam Philippi ducenti tradantur. Sic fere alius pater itidem elusus exclamat in similibus rerum angustiis : *Que diable allait-il faire dans cette maudite galère !* « Cavisse oportuit », Amph. III, 2, 63. N.

101. *Subplex est*, submisse se gerit erga omnes, gratiam sibi conciliare nititur. N.

« Ego jusjurandum verbis conceptis dedi,
« Daturum id me hodie mulieri ante vesperum,
« Priusquam a me abiret : nunc, pater, ne pejerem,
« Cura, atque abduce me hinc ab hac, quantum pote'st,
« Quam propter tantum damni feci et flagiti.
« Cave tibi ducenti numi dividiæ fuant.
« Sexcenta tanta reddam, si vivo, tibi.
« Vale, atque hæc cura ». Quid nunc censes, Chrysale?
CHRYS. Nihil ego tibi hodie consili quidquam dabo,
Neque ego haud conmittam, ut, si quid peccatum siet,
Fecisse dicas de mea sententia.
Verum, ut ego opinor, si ego in istoc siem loco,
Dem potius aurum, quam illum conrumpi sinam.
Duæ conditiones sunt; utram tu adcipias, vide:
Vel ut aurum perdas, vel ut amator pejeret.

108. *Quant. pote'st.* Cf. II, 3, 114.

110. *Dividiæ fuant.* Sint molestiæ, tædio. Cave ne nimium graveris dare ducentos Philippos. — *Si vivo.* Cf. sup. sc. 5, vs. 6. N.

111. *Sexcenta tanta reddam*, triplo plura reddam. LAMB.

113. *Nihil ego tibi*, etc. Vide qua circuitione sycophanta propositum ad finem perveniat. Haud absimili arte, in tragœdia cui Britannicus nomen dedit, Narcissus, postquam audiit placatum Neronem cum fratre in gratiam redire velle : *Je me garderai bien de vous en détourner, Seigneur; mais il s'est vu tantôt emprisonner*, etc. N.

114. *Neque ego haud.* Duæ negationes magis hic negant, more Græcorum. Ita Epid. V, 1, 57 : « Neque ille haud objiciet mihi, etc. » L.

117. *Conrumpi*, pessumdari. N.

119. *Vel ut amator pejeret.* Quid ergo? Senex, ne amantis perjurium fiat, ducentos Philippos aureos feret perdere. Tantamne facilitatem illi, immo stoliditatem esse credas? hæc dicet, quisquis hanc scenam ad nostros mores, magis quam ad Latios eosque veteres exiget. Jusjurandum datum esse conceptis verbis, non meretrici, sed matronæ, senex credit. Jure autem jurando disciplinam romanam inprimis stabilitam fuisse quis ignorat? Audi Cic. « Qui igitur jusjurandum violat, is fidem violat, quam in Capitolio vicinam Jovis Optimi Maximi (ut in Catonis oratione est) majores nostri esse voluerunt.....quod rediit (Regulus), nobis nunc mirabile videtur : illis quidem temporibus aliter facere non potuit. Itaque ista laus non est hominis, sed temporum. Nullum enim vinculum ad adstringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt ». De Offic. III, 29, 31. Ea fuit jurisjurandi sanctitas apud veteres Romanos, ut populus judicaverit, jurejurando

Ego neque te jubeo, neque veto, neque suadeo.
NIC. Miseret me illius. CHRYS. Tuus est, non mirum facis.
Si plus perdundum sit, perisse suaviu'st,
Quam illud flagitium volgo dispalescere.
NIC. Næ ille, edepol, Ephesi multo mavellem foret,
Dum salvos esset, quam revenisset domum.
Quin ergo istuc, quod perdundum'st, properem perdere?
Binos ducentos Philippos jam intus ecferam,
Et militi quos dudum promisi miser,
Et istos : mane isteic, jam exeo ad te Chrysale.
(abit.)
CHRYS. Fit vasta Troja, scindunt proceres Pergamum.
Scivi ego jamdudum fore me exitium Pergamo.
Edepol, qui me esse dicat cruciatu malo

vel per vim expresso, tribunum, qui promisisset invitus, tamen esse obligatum, et eum ab actione adversus Manlium, quem omnes oderant, desistere jusserit. Jusjurandum tamquam numen quoddam colebant atque verebantur, et violare horrebant, quodcumque pactum hac fide sanxissent; namque jusjurandum, non ipsam rem, æstimabant. Ergo non vanum hoc loco poetæ commentum profertur; at contra comœdia, testis temporum, lux veritatis. Spectatores tum senserunt Chrysalum jurisjurandi necessitatem æque probabiliter ementitum, atque nos, in compare scena Molиericæ comœdiæ, judicamus opportune excogitatam a Scapino piraticæ manus fabulam (act. II, sc. 11). Seni romano religio juratæ fidei tam inecluctabilis, quam seni Neapolitano vis prædonum, debuit videri. N.

121. *Miseret me illius.* Quo probabilior fieret senis deceptio, eum poeta finxit nati amantissimum. Cf. II, 3, 10, 12, 112; IV, 6, 9. N.

123. *Dispalescere*, palam fieri. L.

124. *Næ ille, edepol, Ephesi*, etc. Qui rem factam infectam optat, et ejulatu inani moratur amittere pecuniam, ille gemitibus Gerontis in comœdia Molieri modo laudata, credo, præivit. N.

125. *Dum salvos esset.* Inter dolorem nummarium eminet tamen patria caritas, causa credulitatis. N.

126. *Quin ergo*, etc. Tandem sedit menti sententia : « ergo properandum ut, etc. » N.

127. *Binos ducentos*, bis ducentos. — *Intus ecferam*. Conf. Amphit. II, 2, 138. N.

128. *Quos dudum promisi*, scen. præc. vs. 40-42. N.

130. *Fit vasta Troja, scindunt proceres*, etc. Troja vastatur : Græciæ principes, qui in equo erant, Trojam exscindunt. Intelligit literas in tabella cerata scriptas. Conf. sc. 9, vs. 16. LAMB.

Dignum, næ ego cum illo pignus haud ausim dare;
Tantas turbelas facio: sed crepuit foris,
Ecfertur præda ex Troja: taceam nunc jam.
(redit Nicobulus.)
NIC. Cape hoc tibi aurum, Chrysale; i, fer filio.
Ego ad forum autem hinc ibo, ut solvam militem.
CHRYS. Non equidem adcipiam; proin tu quæras, qui ferat.
Nolo ego mihi credi. NIC. Cape vero; odiose facis.
CHRYS. Non equidem capiam. NIC. At quæso. CHRYS. Dico, ut res se habet.
NIC. Morare. CHRYS. Nolo, inquam, aurum concredi mihi.
Vel da aliquem, qui me servet. NIC. Ohe, odiose facis.
CHRYS. Cedo, si necesse 'st. NIC. Cura hoc: jam ego huc revenero. (abit.)
CHRYS. Curatum 'st, esse te senem miserrumum.
Hoc est incepta ecficere pulchre, veluti mihi
Evenit, ut ovans præda onustus cederem.
Salute nostra, atque urbe capta per dolum,
Domum reduco integrum omnem exercitum.

133. *Pignus dare*, pignore dato certare infitiando. N.

134. *Tantas turbelas facio.* « Turbelas dixisse antiquos, inquit Festus, quas nunc turbas appellamus, testis est Plautus in Pseudolo » (I, 1, 108). LAMB.

136. *Tibi*, redundans. Cf. 27. N.

141. *Morare*, moras objicis importune. N.

142. *Servet.* Custodem, qui observet quid agam. — *Odiose.* Conf. Asin. II, 4, 40. N.

143. *Cedo*, da. N.

144. *Curatum 'st, esse te senem miserrumum*, etc. Priora verba sene loquitur audiente; posteriora aversus ad spectatores. TAUBM. — *Curatum 'st.* Formula magnæ festinationis, p. *curabo.* Cf. Amp. III, 3, 14. N.

145. *Hoc est*, etc. In sequentibus usque ad finem allegoriam a re militari sumptam Plautus continuat, quo genere similitudinis utpote moribus spectatorum consentaneo sæpe usus est, immo sic lepide abusus, ut e solemnium verborum gravitate et magnificentia cum frivolis rebus discrepante ridiculum exsisteret. N.

146. *Cederem.* Edd. *incederem*, haud patiente metro, nisi tamen velis scribere antique « onustu' incederem », elisa ultima verbi *onustu'*. Sed pervulgatum est *cedere* pro *incedere.* Conf. Aulul. III, 5, 52. N.

147. *Salute nostra*, salvis nostris. Sic in Rudente, IV, 2, 5, « salute horiæ », pro salva horia. N.

Sed, spectatores, vos nunc ne miremini,
Quod non triumpho; pervolgatum 'st, nihil moror.
Verumtamen adcipientur mulso milites.
Nunc hanc prædam omnem jam ad quæstorem deferam.

SCENA DECIMA.

PHILOXENUS.

Quam magis in pectore meo foveo, quas meus filius turbas turbet,
Quam se ad vitam, et quos ad mores præcipitem inscitus capessat,
Magis curæ 'st, magisque adformido, ne is pereat, neu conrumpatur.
Scio, ego fui illa ætate, et feci illa omnia, sed more modesto.
Neque placitant mores, quibus video volgo gnatis esse parenteis.
, habui scortum; potavi, edi, donavi: et enim id raro.

150. *Pervolgatum 'st.* Plautus, quum hæc scriberet, utrum in mente habuerit, ut crebras victorias populo romano gratularetur, an ut vulgatos triumphi honores ludendo vituperaret, dijudicare non possim; quum se modo solertem blandiendi, modo censuræ exercendæ audacem gesserit. Tamen laus sub specie aspernandi fuerit elegantior. N.

151. *Milites*, scilicet Chrysali exercitus, duo juvenes cum meretricibus, et ipse imperator Chrysalus, excipientur opiparo convivio. Vide sup. vs. 48. N.

152. *Ad quæstorem deferam.* Nam præda ex hostibus facta ad quæstores urbanos deferebatur, quibus cura ærarii mandata erat. Conf. Captiv. prol. 34. N.

1-3. *Quam magis ... Magis curæ 'st.* Quanto magis voluto animo... tanto magis anxius sum...—*Turbas turbet.* Tritissima locutio, cujus similes : « vitam vivere, facinus facere, etc. » — *Inscitus*, stultus. — *Conrumpatur*, perdatur. Conf. scen. 9, vs. 117. N.

5. *Neque placitant mores*, etc. Nempe contente et arcte patres filios habebant. Cf. Asin. I, 1, 63. N.

6. *Duxi, habui.* « Ducere scortum » eodem quo *uxorem* sensu dictum. Cf. Mostell. I, 1, 35. — *Habui.* Sic Terent. And. I, 1, 58, « quis heri Chrysidem habuit », i. q. μιχθῆναι φιλότητι. — *Et enim*, sed enim. N.

Ego dare me ludum meo gnato institui; ut animo obsequium
Sumere possit, æquom esse puto: sed nimis nolo desidiæ
Ei dare ludum. Nunc Mnesilochum, quod mandavi, viso,
Ecquid eum ad virtutem aut ad frugem opera sua conpulerit;
Sicut eum, si convenit, scio fecisse: eo est ingenio natus.

7. *Dare me ludum institui.* Decrevi filio a me dandam ludendi licentiam. — *Ut animo obsequium*, etc. Æquum censeo, ut possit obsequi animo, genio indulgere. Vid. sup. III, 3, 12. N.

9. *Mnesilochum viso.* Nunc conveniam Mnesilochum, rogaturus an rem, quam illi mandavi, fecerit. Cf. III, 3, 90. N.

10. *Ecquid,* i. q. num. Cf. sup. 9, 57; Aulul. II, 3, 3; IV, 4, 8. N.

11. *Si convenit*, si illum adiit. — *Scio*, puto. Sic *certo scio* apud Plautum et Terentium sæpissime. Conf. Aulul. IV, 10, 12. N.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

NICOBULUS, PHILOXENUS.

NIC. QUICUMQUE ubique sunt, qui fuere, quique futuri sunt posthac
Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones,
Solus ego omneis longe antideo stultitia, et moribus indoctis.
Perii! pudet. Hoccine me ætatis ludum bis factum esse indigne?
Magis quam id reputo, tam magis uror, quæ meus filius turbavit.
Perditus sum, atque etiam eradicatus sum: omnibus exemplis crucior.
Omnia me mala consectantur, omnibus exitiis interii:
Chrysalus me hodie laceravit, Chrysalus me miserum spoliavit;
Is me scelus usque adtondit dolis doctis indoctum, ut lubitum 'st;
Ita miles memorat meretricem esse, quam ille uxorem esse aiebat.

3. *Antideo*, antique, anteeo, supero; item *antidhac* p. antehac. N.
4. *Hoccine ætatis*, hac ætate. N.
5. *Magis quam*, ἀναστροφή. Quanto magis. — *Quæ turbavit.* Conf. IV, 9, 64; 10, 1. N.
6. *Omnibus exemplis*, omnimodo. Vide sup. III, 4, 6; Asin. II, 3, 9. N.
9. *Scelus*, scelestus. Vide sc. sq. 57; Amph. II, 1, 7. N.
10. *Ita*, etc. Nam miles dixit, etc. *Ita* causalis conjunctio. Cf. Captiv. III, 5, 16. Si quæsieris, cur veterator Chrysalus non sategerit, quominus cum milite senex congrederetur, vel senem miles rem edoceret, non habeo quid respondeam. N.

Omniaque, ut quidquid actum 'st, memoravit: eam sibi hunc annum conductam;
Reliquom id auri factum, quod ego ei stultissumus homo promisissem.
Hoc, hoc est, quod peracescit, hoc est demum quod percrucior,
Me hoc ætatis ludificari: imo, edepol, sic ludos factum
Cano capite, atque alba barba! miserum me auro esse emunctum!
Perii! hoc servom meum non nauci facere esse ausum! atque ego, si alibi
Plus perdiderim, minus ægre habeam, minusque id mihi damno ducam.
PHIL. Certo heic prope me mihi nescio quis loqui visu'st: sed quem video,
Hic quidem pater Mnesilochi. NIC. Euge, socium ærumnæ et mei mali video.
Philoxene, salve. PHIL. Et tu: unde agis? NIC. Unde homo miser atque infortunatus.
PHIL. At, pol, ego ibi sum, esse ubi miserum hominem decet atque infortunatum.
NIC. Igitur pari fortuna, ætate ut sumus, utimur. PHIL. Sic est: sed, tu,

12. *Reliquom id auri factum*, hoc aurum ab illa deberi residuum e pactione. Conf. I, 1, 12; IV, 4, 55. N.

13. *Peracescit*, peracerbum et molestum est. LAMB.

14. *Ludos factum*. « Aliquem ludos facere » vulgo dicebatur. Conf. Aul. II, 2, 75. N.

16. *Hoc servom*, etc. Servum non nauci (nequam, improbum) ausum esse hoc facere. Conf. Trucul. II, 7, 50, « amas hominem non nauci », i. e. nihili. N.

20. *Unde agis* te? i. e. unde venis, quid tibi est? Formula compellandi. Sic herum obvium servus in Cistell. V, 1, 3: « Here, unde is? » Locutio ejusdem generis atque illa: « Ubi est? », i. q. « quomodo habet? » Vid. sup. II, 2, 11. N.

21. *Ibi sum, ubi*, eo loco sum, quo infortunatus herus. I. e. miserrimus ego sum. N.

Quid tibi est? NIC. Pol, mihi par idem'st, quod tibi. PHIL. Numquidnam ad filium
Hæc ægritudo adtinet? NIC. Admodum. PHIL. Idem mihi morbus in pectore'st.
NIC. At mihi Chrysalus, optumus homo,
Perdidit filium, me, atque rem omnem
Meam. PHIL. Quid tibi ex filio nam, obsecro, ægre'st? NIC. Scies id: periit
Cum tuo; atque ambo æque amicas habent. PHIL. Quî scis? NIC. Vidi. PHIL. Hei mihi, disperii!
NIC. Quid dubitamus pultare, atque huc evocare ambos foras?
PHIL. Haud moror. NIC. Heus, Bacchis, jube, sis, actutum aperiri foreis,
Nisi mavoltis foreis et posteis comminui securibus.

SCENA SECUNDA.

BACCHIDES DUÆ SORORES, NICOBULUS, PHILOXENUS.

BACCH. I. Quis sonitu ac tumultu tanto, nomine nominat
Me, atque pultat ædeis? NIC. Ego atque hic. BACCH. I. Quid hoc est
Negoti? nam, amabo, quis has huc oveis adegit?
NIC. Oveis nos vocant pessumæ. BACCH. II. Pastor harum

27. *Quid t. e. f. nam*, quidnam. N.

28. *Atque*, scilicet N.

4. *Oveis*. Senes duos docti existimant, oves appellari, propter fatuitatem et stultitiam; esse enim hoc animal stolidissimum; etiam a Græcis stolidos πρόβατα vocari. Sed huic sententiæ nomen pecudum, quam ovium, foret aptius. Meretrices vero senibus non stoliditatem opprobrant, sed blanda procacitate se confidere significant fore, ut illi faciles se præbeant illicibus. Memineris, ut allegorias a re militari sumptas virorum sermonibus admiscere, ita meretricibus attribuere locutiones ad procurationem pecuariam pertinentes, Plautinum esse morem. Conf. Asin. III, 1, 36. N.

Dormit, quom hæ eunt sic a pecu palitanteis.
BACCH. I. At, pol, nitent, haud sordidæ videntur ambæ.
BACCH. II. Adtonsæ hæ quidem ambæ usque sunt. PHIL. Ut
videntur
Deridere nos! NIC. Sine suo usque arbitratu.
BA. I. Rerin' ter in anno tu has tonsitari? BA. II. Pol, hodie
Altera jam bis detonsa certo 'st. BACCH. I. Vetulæ
Sunt thymiamæ. BACCH. II. At bonas fuisse credo.
BACCH. I. Viden' limulis, obsecro, ut intuentur?
BACCH. II. Ecastor, sine omni arbitror malitia esse.
PHIL. Merito hoc nobis fit, qui quidem huc venerimus.
BACCH. I. Cogantur quidem intro. BACCH. II. Haud scio,
quid eo opus sit,
Quæ nec lactem, nec lanam ullam habent: sic sine adstent.

5. *A pecu palitanteis*. A grege errantes. Pecus maxime oves significant, ut hoc quum dicimus « pecus », neque addimus quidquam, oves accipiendæ sint. PALMER.

7. *Adtonsæ*. Duplex sensus est verbi *tondere*. Positive cultus pecorum, translate fraudatio. Sc. I, v. 9.

8. *Sine suo usque a*. Æquo animo hoc feras. Sine eas nobis illudere, quantum libebit. N.

10, 11. *Altera jam bis detonsa certo 'st*. Scilicet Nicobulus, quem egregie Chrysalus bis totondit auro. N. — *Vetulæ Sunt thymiamæ*. *Oves vetulæ*, *Thymiamæ* (ita enim scribendum ex veteribus libris), sunt oves *thymi amantes*. Thymo oves delectari certum est, et sapidissimas carnes habere, quæ eo vescantur. Senes Attici ea herba etiam libenter utebantur. Unde apud Aristophanem in Pluto, ita servum senex alloquitur: Ὦ πολλὰ δὴ τῷ δεσπότῃ ταυτὸν νόμον φαγόντες. Qui eodem thymo vescimini cum meo hero. Vetus Scholiastes: Οἱ τὴν Ἀττικὴν οἰκοῦντες πένητες, ἐπεὶ μὴ εἶχον τὰς ἐκ τῶν σπερμάτων ῥίζας, ἀνεπιτήδειος γὰρ ὁ τόπος ἦν εἰς γεωργίαν κατάξηρος ὤν, ἤσθιον θύμους. Thymiamæ igitur oves vetulæ Plauto appellantur seneciones illi Attici, quia thymum amabant, quo etiam oves delectantur. *Thymiamus* compositio non a Latinis illius ævi de eo qui thymum amat. Sic pultiphagus Plauto et alia. SALM.

12. *Limulis*. Limulus oculus est obliquus, transversus. Terent. Eun. III, 5: « Limulis adspicere », in lasciviæ notis fuit, et per ludum objici solitum. Limi oculi proprie amatorum sunt. Quint. II, 3: « quadam voluptate suffusi, aut limi, et, ut sic dicam, Venerei ». PALMER.

15. *Cogantur quidem*, etc. Loquitur ut de ovibus. Virgil. « Tityre, coge pecus ». GRON. — *Quid eo op. quæ*, etc. ellipsis: *eo*, i. e. cogi eas, quæ, etc. N.

16. *Quæ nec lactem*. Lac non ha-

Exoluere, quanti fuere; omnis fructus
Jam illis decidit: non vides, ut palanteis
Solæ libere grassentur? quin ætate credo esse mutas:
Ne balant quidem, quom a pecu cætero absunt. Stultæ atque haud malæ videntur.
BACCH. I. Revortamur intro, soror. NIC. Inlico ambæ manete: hæ oveis volunt vos.
BACCH. I. Prodigium hoc quidem 'st; humana nos voce adpellant oveis.
PHIL. Hæ oveis vobis malam rem magnam, quam debent, dabunt.
BACCH. I. Si quam debes, te condono, tibi habe, nunquam abs te petam.
Sed quid est, quapropter nobis vos malum minitamini?
PHIL. Quia nostros agnos conclusos isteic esse aiunt duos.
NIC. Et, præter eos agnos, meus est isteic clam mordax canis:
Qui nisi nobis producuntur jam, atque emittuntur foras,
Arietes truces nos erimus, jam in vos incursabimus.
BA. I. Soror, est, quod te volo secreto. Eho, amabo. NIC. Quo illæ abeunt? BA. I. Senem illum
Tibi dedo ulteriorem, lepide ut lenitum reddas: ego ad hunc

bent, quia sunt vetulæ, nec lanam, quia sunt probe attonsæ. Hæc *lactis, is*, et hoc *lacte* Veteres dixerunt. Apuleius affectator ille παλαιολογίας bis *lactem* usurpavit. LAMB.

17. *Quanti fuere* pretii. Si quid olim valoris illis fuit, nunc senectute confectæ sunt. N.

19. *Grassentur. Grassari*, proprie est incedere. TAUBM.

21. *Volunt vos*, sc. colloqui vobiscum. Locutio celebratissima: « velle aliquem », p. colloquium alicujus requirere. Inf. 30. N.

24. *Te condono*, tibi remitto illud. Sic Terent. Phorm. V, 7, 57: « Argentum condonamus te ». Afranius: « Id aurum me condonat ». N.

27. *Clam mordax*. Compositum nomen more græco, scil. qui subdole et per fallacias mordet. Canis ille est Chrysalus. N.

30. *Secreto*. Χωρὶς, seorsim ab his senibus. — *Eho, amabo*. Vulgatæ dant hæc verba alteri Bacchidi male; nam prius est evocantis, posterius precantis: « Ades, quæso ». Quî igitur soror sic respondeat accienti? N.

31. *Ulteriorem*, remotiorem Phi-

Iratum adgrediar; possumus nos hos intro inlicere huc. BACCH. II. Meum
Pensum ego lepide adcurabo, quamquam odiosum 'st mortem amplexari.
BACCH. I. Facito ut facias. BACCH. II. Taceas : tu tuum facito; ego, quod dixi, haud mutabo.
NIC. Quid illæc illeic in consilio duæ secreto consultant?
PHIL. Quid ais tu, homo? NIC. Quid me vis? PHIL. Pudet dicere me tibi quiddam.
NIC. Quid est, quod pudeat? PHIL. St! amico homini tibi quid volo credere. Certum 'st,
Nihili sum. NIC. Istuc jampridem scio: sed, quid nihili sis, memora.
PHIL. Tactus sum vehementer visco; cor stimulo foditur. NIC. Pol, tibi
Multo æquius est coxendicem.
Sed quid istuc est? etsi jam ego ipse, quid sit, prope scire puto me;
Verum audire etiam ex te studeo. PHIL. Viden' hanc? NIC. Video. PHIL. Haud mala est mulier.
NIC. Pol, vero ista mala, et tu nihili. PHIL. Quid multa? ego amo. NIC. An amas? PHIL. Necas.
NIC. Tu homo putide, amator istac fieri ætate audes? PHIL. Quî non?
NIC. Quia flagitium 'st. PHIL. Quid opu'st verbis? meo filio non sum iratus.

loxenum. Priscian. lib. III et VI hic legit, *veteriorem*. TAUBM.

33. *Mortem amplexari*. Senem exsanguem atque Acheruntieum, i. e. mortuo quam vivo similiorem. L.

36. *Quid ais tu, homo?* Compellativa locutio: dic ergo. Conf. Aul. IV, 9, 7. N.

38. *Nihili sum*, virtus omnis evanuit; corruptum jam me sentio. N.

40. *Æquius est coxendicem*. Debet tibi coxendix potius, ut equo aut asino segnius eunti, stimulo fodi, quam cor amore. LAMB.

42, 43. *Haud mala... mala*. Luditur in ancipiti voce, quæ primo deformem, dein improbam notat. L.— *An amas?* objurgat, non dubitat. N.

43. *Necas*, enicas odiosa insectatione. N.

Neque te tuo 'st æquom esse iratum : si amant, sapienter faciunt.
BACCH. I. (ad sororem.) Sequere hac. NIC. Eunt; eccas tandem! probri perlecebræ et persuastrices,
Quid nunc? etiam redditis nobis filios et servom? an ego
Experior tecum vim majorem. PHIL. Abin' hinc?
Non homo tu quidem es, qui istoc pacto tam lepidam inlepide adpelles.
BACCH. I. (ad Nicobulum.) Senex optume, quantum 'st in terra, sine hoc exorare abs te,
Ut istuc delictum desistas tanto opere ire obpugnatum.
NIC. Nisi abeas, quamquam tu bella es, malum tibi magnum dabo jam. BACCH. I. Patiar.
Non metuo, ne quid mihi doleat, quod ferias. NIC. Ut blandiloqua est!
Hei mihi metuo. BACCH. II. Hic magis tranquillu'st.
BACCH. I. I, i hac mecum intro, atque ibi, si quid vis, filium concastigato.
NIC. Abin'a me, scelus? BACCH. I. Sine, mea pietas, exorem. NIC. Exores tu me?

47. *Eunt*, veniunt. Casin. II, 2, 37. Sed Bothius censet verbum *eunt* glossam esse sequentium « eccas tandem » irreptitiam, et metrum turbantem. N. — *Persuastrices*. Fortunatianus Rhetor. III : « Δυσπρόφορον est, si quis dicat, persuastrices, præstigiatrices, atque inductrices ». GRON.

49. *Experior tecum vim majorem*, i. e. summam violentiam, cui resisti non possit. Scil. non te in jus rapiam, sed per vim vincam, et quod mihi denegas, extorquebo. Conf. Cic. pro Planc. 42. N.

51. *Quantum est in terra* hominum bonorum. Sic Terent. Heaut. IV, 7, 6 : « Ut te quidem omnes dii deæque, quantum 'st, etc. » L. — *Exorare*. Nonnulli corrigunt *exorari*. Sed *exorare*, subaud. *me*, magis Plautinum. N.

52. *Istuc delictum* adolescentium et Chrysali, quod incusas. N.

54. *Non metuo, ne quid mihi*, etc. Vere meretricium responsum, subblandulum simul et libidine pruriens. N.

55. *Hic*, sc. Philoxenus. LAMB.

57. *Mea pietas*. Quam senex *scelus*, i. e. scelestam, vocavit, illa illum *suam pietatem* adpellat, et dulciloquio non desinit mulcere truculentum vaferrima. N.

BACCH. II. Ego quidem ab hoc certe exorabo. PHIL. Imo ego te oro, ut me intro abducas.
BACCH. II. Lepidum te! PHIL. At scin', quo pacto me ad te intro abducas? BACCH. II. Mecum ut sis.
PHIL. Omnia, quæ cupio, conmemoras. NIC. Vidi ego nequam
Homines, verum te neminem deteriorem. PHIL. Ita sum.
BACCH. I. I, i hac mecum intro, ubi tibi sit lepide victibus, vino atque unguentis.
NIC. Satis, satis jam vostri 'st convivi : me nihil pœnitet, ut sim adceptus.
Quadringentis Philippis filius me et Chrysalus circumduxerunt,
Quem quidem ego ut non excruciem,
Alterum tantum auri non meream.
BACCH. I. Quid tandem, si dimidium auri redditur? isne tu hac mecum
Intro, atque ut eis delicta ignoscas? PHIL. Faciet.
NIC. Minume; nolo... nihil moror... sine sic... malo illos ulcisci ambo.

63. *Me nil pœnitet ut s. a.* Locutio *me pœnitet* hoc loco et multis similibus (cf. Mil. gl. III, 1, 144; Pœnul. I, 2, 70; Terent. Heaut. I, 1, 20; Eunuch. V, 6, 12; Ind. latinit. Cic. Ern.) significat « mihi non satis videtur, parum existimo, non sum contentus ». — *Adceptus*, convivale verbum, i. q. gallice *traité;* et illi, sicut gallicæ voci, sensus duplex inest, nempe ut idem quoque sonet quod « tractatus, habitus ». Senex autem ironice dicit sibi esse satis quomodo jam sit acceptus; quod explicat seqq. namque hic apparatus quadringentis Philippis illi constat. N.

65, 66. *Quem quidem...non meream.* « Quem ut non cruciatu afficiam, si quis me exorare tentet, ea lege, ut, quantum mihi ablatum est, tantum auri lucrifaciam, nolim ». Simile aliquod loquendi genus vid. Asin. V, 2, 34-36. N.

67. *Isne*, præsens pro futuro: « veniesne? » *Ire* i. q. venire. Conf. vs. 47, 56, 62, 85, 88. N.

68. *Atque ut*, etc. Etiamque ita venies, ut e. d. i. N.

69. *Minume : n. n. m.* Nolo hanc pactionem. Nil moror, parum curo pecuniam oblatam. — *Sine sic*, ut est, rem se habere. Casin. III, 6, 22 : « Scio. Sic sine habere ». N.

PHIL. Etiam tu, homo nihili, quod dii dant boni, cave culpa tua amissis.
Dimidium auri datur, adcipias, potesque, et scortum adcumbas.
NIC. Egon', ubi filius conrumpatur meus, ibi potem? PHIL. Potandum 'st.
NIC. Age, jam id, utut est, etsi est dedecorum, patiar; facere inducam
Animum... Egon', quom hæc cum illo adcumbet, inspectem? BACCH. I. Imo equidem, pol, tecum
Adcumbam, te amabo, et te amplexabor. NIC. Caput prurit: perii!
Vix negito. BACCH. I. Non tibi venit in mentem, amabo: « si, dum vivas,
Tibi bene facias, jam, pol, id quidem esse haud perlonginquom;
Neque, si hoc hodie amiseris, post in morte id eventurum esse unquam? »
NIC. Quid ago? PHIL. Quid agas, rogitas etiam? NIC. Lubet, et metuo. BACCH. I. Quid metuis?

70. *Boni*, bonæ rei. — *Amissis*, amiseris. GRON.

71. *Potesque et s. a.* Men. III, 2, 11: « Prandi, potavi, scortum adcubui ». Casus accusandi cum verbo *adcumbere* adjungitur, vi præpositionis trahente. *Accumbere* absolute pertinet ad convivia. N.

72. *Egon', ubi filius*, etc. Conf. sup. IV, 8, 2; Asin. V, 2, 12, 82. N.

73. *Facere inducam*. Eo adducam animum, ut hoc faciam. N.

74. *Egon', quom*, etc. Ultima emorientis pudoris reclamatio. N.

75. *Caput prurit.* Vel significat se libidine prurire, vel potius, ad libidinem pellectum esse non sine magno et capitali periculo; namque pessumibit, si se irretiri lenocinio patitur. L. — Pruritus pro omine fuit apud Veteres; et Plautus hanc superstitionem haud semel in comicos usus transtulit. Sic pruriunt Sosiæ dentes Amphitr. I, 1, 139; Sceledro dorsus, Mil. II, 4, 44. N.

76. *Vix negito.* Frequentativum optime appositum conanti plurima frustra. — *Non tibi v. i. m. a.* Dic mihi, quæso, nonne illud menti tuæ occurrit, etc. Dein sententiam enarrat, dignum Epicurea doctrina effatum, cujus similia Lucret. III, 927, et Horat. passim versibus cecinerunt. — *Id quidem*, id ipsum. N.

78. *Amiseris*, siveris præterire. N.

79. *Quid ago?* Dubitantis et con-

NIC. Ne obnoxius filio sim, et servo. BACCH. I. Mel meum, amabo, istæc fiunt?
Tuus est: unde illum censes sumere, nisi quod tute illi dederis?
Hanc veniam illis sine te exorem. NIC. Ut terebrat! satin', obfirmatum
Quod mihi erat, id me exorat? tua sum opera et propter te inprobior.
BACCH. I. Nusquam me a te avelles: satin' ego istuc habeo obfirmatum?
NIC. Quod semel dixi, haud mutabo. BACCH. I. It dies, ite intro adcubitum.
Filii vos exspectant intus. NIC. Quam quidem actutum emoriamur.

sultantis est sermo: « quid agere me oportet? »—*Lubet, et metuo.* Verres apud Cic. « Itaque æstuabat dubitatione: versabat se in utramque partem, non solum mente, verum etiam corpore: ut omnes, qui aderant, intelligere possent in animo ejus metum cum cupiditate pugnare ». LAMB.

80. *Istæc fiunt?* Vulgatis abest signum interrogandi. Et Lambinus intelligit: Istæc sunt humana, usitata: quo sensu Terent. Heautont. « vulgo id faciunt ». Sed vox *istæc*, non idem quod *hæc*, *illæc*, sonat. Quum Nicobulus dixerit timere se, ne filio et servo obnoxius fiat, si conscios sui flagitii eos habuerit; Bacchis respondet: « Eane, quæ autumas, (istæc) fiunt, i. e. fient? » Sicut vs. 67, *isne* pro ibisne. Particula interrogativa *ne*, *an*, potuit deesse, ut sup. 76, præsertim quum verbum *amabo* rogantis esse soleat. Hanc interpretationem sequentia comprobant. N.

81. *Tuus est*, in tua potestate, filius. — *Tute*, tu. N.

82. *Ut terebrat!* quo pacto mihi animum blandis suis dictis fodicat! N. — *Satin'*, siccine. Hæc formula nonnumquam admirationi vel indignationi inservit. Conf. Mil. gl. II, 4, 40; Mostell. I, 1, 73. *Satin'* h. l. ad verbum *exorat* refertur. N.

84. *Nusquam me a te avelles: satin'*, etc. Sententia bifariam divisa, sic recolligitur: numquam me a te divellere poteris, antequam satis affirmata mihi erit promissio veniæ, quam a te expressi. Scilicet hoc dicens, senem amplexu tenet. N.

86. *Quam quidem actutum emoriamur.* Jocatur suo more. Quum enim Bacchis diceret, exspectant vos filii; subjicit argutans senex: id exspectant quidem illi, quam mox emoriamur: non adventum nostrum, sed mortem desiderant: ut liberius possint vivere. Amatoribus enim paterna mors in votis. Talis

BACCH. I. Vesper hic est, sequimini. PHIL. Ducite nos quo lubet, tamquam quidem addictos.

BACCH. I. (aversa ad spectatores.) Lepide ipsi hi sunt capti, suis qui filiis fecere insidias : (ad senes.) ite.

GREX.

Hi senes, nisi fuissent nihili jam inde ab adulescentia,
Non hodie hoc tantum flagitium facerent canis capitibus :
Neque adeo hæc faceremus, ni antehac vidissemus fieri;
Ut apud lenones rivaleis filiis fierent patres.
Spectatores vos valere volumus, et clare adplaudere.

Philolaches Mostell. I, 3 : « Utinam meus nunc mortuus pater ad me nuntiaretur, etc. » ACID. — Illud quidem, quod Acidalius interpretatur, Plauti verba significant; sed aliud quoque ferunt. Namque *mori*, *perire* vulgo synonyma locutioni *pessumdari*. N.

87. *Vesper hic est.* Δειχτικῶς, vespera et hora cœnæ appetit. TAUBM. — *Tamquam quidem addictos. Addicti* fuerunt, qui quum non essent solvendo, creditoribus addicebantur : nec servitute liberabantur, nisi debitis quocumque modo persolutis. Senec. de Benef. lib. III, cap. 8 : « Pecuniam pro addicto dependit ». Hinc illud Festi lucem capit « *addicere, damnare est* ». REV.

1. *Hi senes*, etc. Nescio an Plautus illa e græco barbare verterit. Animus inclinat, ut credam illum ex ingenio suo grave fabulæ ἐπιμύθιον exprompsisse, quo, quidquid licentius jocosa Musa comœdiæ ultimo actu protulisset, ad verum finem revocaretur, admonitione spectantum mentes eo fortius penetrante, quod præter exspectatum eveniret, mutato seriis ludo. Quam, in re simili, non simile genus dicendi sit nostro poetæ, quamvis mens eadem, si judicare velis, Asinariæ epilogum leges. N.

3. *Faceremus*, in theatrum produceremus.

M. ACCII PLAUTI
SARSINATIS UMBRI
CAPTIVI.

DRAMATIS PERSONAE.

ERGASILUS [1], parasitus olim Philopolemi.
HEGIO, senex.
LORARIUS Hegionis.
PHILOCRATES, juvenis Eleus, bello captus.
TYNDARUS, Philocratis nunc servus, tamen ingenuus; filius Hegionis natu minor, primo nomine Pægnium (vid. V, 3, 7).
ARISTOPHONTES [2], juvenis Eleus, amicus Philocratis, bello quoque captus.
PUER Hegionis.
PHILOPOLEMUS, filius major Hegionis.
STALAGMUS, servus Hegionis, olim fugitivus.

1. *Ergasilus*, ab ἐργασία derivatum, quippe non otiosus quæstus parasitorum, multisque curis exercitus. N.

2. *Aristophontes*, i. e. qui optimos occidit; nam per illum dolus Tyndari noscitur, et ipse Tyndarus plectitur supplicio. N.

RES AGITUR IN ÆTOLIA.

ARGUMENTUM

(UT QUIBUSDAM VIDETUR)

PRISCIANI.

*C*APTU'ST in pugna Hegionis filius.
*A*lium quadrimum fugiens servos vendidit.
*P*ater captivos conmercatus Alios,
*T*antum studens, uti natum recuperet.
*E*t in ibus emit olim amissum filium.
*I*s suo cum domino veste vorsa ac nomine,
*V*t amittatur fecit; ipsus plectitur.

1. *Filius* natu major, Philopolemus. N.

2. *Alium quadrimum*, i. e. alterum Hegionis filium, priore nomine Pægnium, qui postea dictus est Tyndarus. *Alius* pro alter Plauto usitatum. TAUBM. — *Servos.* Stalagmus. — *Vendidit*, Theodoromedi, Eleo, patri Philocratis.

3. *Alios*, id est, Elios, ab urbe Elide. GRON. — *Alius*, non *Elius*, i. e. Eleus, scribitur auctore Plauto, prol. 9, 24, qui doricam dialectum in hoc nomine usurpavit. Prima quidem producitur, ut fert natura etymi Ἠλεῖος, Ἀλεῖος; quod autem secundam Plautus corripuerit, licentia usus est, qua multi Latinorum in græcis nominibus transferendis, ex. grat. *chorea*, *eugenius*, *Edonis*, *Cyclopeus*, etc. N.

4. *Natum*, Philopolemum : nam de altero nulla spes erat, qui quo ablatus a fugitivo fuisset, nesciebat pater. TAUBM.

5. *Et.* Acrosticha nomen dant sic : *Capteivei*, prisca quidem orthographia, quam repræsentare tota hac editione placuisset, nisi fuisset metus, ne lectorem offenderet, omissam vero alibi in hujus duntaxat comœdiæ titulo servare non æquum duximus. — *Ibus*, pro *iis*. — *Emit* inscius. — *Olim amissum*. Cf. vs. 2. N.

6. *Is*, Tyndarus, qui servit Philocrati. TAUBM.

7. *Amittatur*, dimittatur Philocrates. Cf. Bacch. IV, 9, 40.

Et is reduxit captum et fugitivom simul,
Indicio quojus alium agnoscit filium.

8. *Et is reduxit.* Philocrates Pseudotyndarus reduxit et Philopolemum (*captum bello*), et Stalagmum (*fugitivum*), qui olim Philocratis patri vendiderat Tyndarum. Lamb.

9. *Alium*, Tyndarum eumdemque Pægnium, quem putabat servum. Taubm. — *Agnoscit* Hegio. N.

ALIUD ARGUMENTUM
CAMERARII.

Fabulæ huic nomen Captivi duo (1). Inter Plautinas omnes hæc et argumento et expositione optima est et elegantissima. Ipse etiam poeta hanc commendat (in epilogo) ut pudice scriptam. Multæque bonæ sententiæ in hac insunt, et eximiæ fidei exemplum servi erga herilem filium. Quum enim bellum esset inter Ætolos et Elienses, capitur Philopolemus Ætolus, Hegionis filius, itemque Eliensis Philocrates. Hunc Hegio una cum servo Tyndaro emit, quod speraret, posse aliqua permutatione captivorum recuperare se filium suum. Sed inter dominum et servum convenit, ut servus se dominum esse simularet. Ita dimissus æstimatus Philocrates ut servus, rediit in patriam. Fraude detecta per alterum captivum Aristophontem, vehementissime irascitur Hegio, et Tyndarum compeditum in lapidicinas conjicit. Hic autem erat filius senis ipsius, olim furto surreptus ætate puerili a servo fugitivo. Interea revertitur Philocrates, et adducit filium Hegionis Philopolemum, et servum etiam illum fugitivum et furem. Itaque agnitus Tyndarus in libertatem et familiam suam restituitur.

(1) Camerarius huic fabulæ titulum esse *Captivi duo*, alteram autem nomine *Captivi* perditam existimavit, auctore nullo, et argumento, quod Prisciano tribuitur, at certe vetus est, inficiante. N.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

CAPTIVI.

PROLOGUS*.

Hos quos videtis stare heic captivos duos,
Illei qui adstant, hi stant ambo, non sedent.
Vos vos mi testeis estis me verum loqui.
Senex qui heic habitat, Hegio est hujus pater.
Sed is quo pacto serviat suo sibi patri,
Id ego heic apud vos proloquar, si operam datis.
Seni huic fuerunt filii nati duo,
Alterum quadrimum puerum servos surpuit,
Eumque hinc profugiens vendidit in Alide

* *Prologus*. Cf. Asin. prol. N.

1. *Hos quos*, etc. De hac fig. attractionis vid. Amph. IV, 1, 1. N.

2. *Illei*, pro illic. — *Hi stant ambo*. Scurrilitas est, cujus similia ludionibus circumforaneis nostratibus vulgo suppetunt. Quali autem corona hi stipantur, talis maxima pars tum in cavea spectantium. Igitur illa Plautus populo dabat, quem jam inde ab initio fabulæ hilaritate faciebat attentum. Ejusmodi ludificationis exempla videas in Curcul. IV, 4, 1; Stich. I, 2, 63. N.

4. *Hujus*, Tyndari.

5. *Suo sib.* Item infr. 46, 50. Cf. Amph. I, 1, 113. N.

8. *Surpuit*, subripuit. Et Horat. « quæ me surpuerat mihi ». Od. IV, 13, vs. 20. N.

9. *Alide*, dorice, pro Elide. Cf. Argument. v. 3. Elis regio, pars Peloponnesi ad septemtrionem, quam mare Ionium, Achaia, Arcadia, Messenia cingebant. Hujus regionis præcipuum oppidum Elis eodem nomine fuit, de quo nunc Plautus. Cum nominibus urbium præpositionem junctam videre est passim. Cf. Bacchid. II, 1, 2. N.

Hujusce patri; jam hoc tenetis? optumum 'st.
Negat, hercle, ille ultimus: adcedito.
Si non, ubi sedeas, locus est, est, ubi ambules,
Quando histrionem cogis mendicarier.
Ego me tua causa, ne erres, non rupturus sum;
Vos, qui potestis ope vostra censerier,
Adcipite reliquom; alieno uti nihil moror.
Fugitivos ille, ut dixeram ante, hujus patri,
Domo quem profugiens dominum abstulerat, vendidit.
Hic postquam hunc emit, dedit eum huic gnato suo

10. *Hujusce*, Philocratis. N.

11. *Negat*, etc. Hic senarius mancus est, quem restituere tentant alii aliter. Cl. Bosscha: « negat, mehercule, ille ultimus. Discedito » auctore Bentleio, vel ut ipse mavult, « descendito »; nam, qui ultimus erat in cavea, idem quoque supremus. Et potuit fieri, ut « accedito » glossema τοῦ descendito e margine in textum irreperet. Sed Bentleiana lectio melius ad sequent. versum facit, nisi a vulgata longius recederet. Bothius, pro solita audacia, nec non ingeniosa quidem: « negat, hercle, se ille in ultimis. Abscedito ». Suspicer incuria scribarum hinc elapsum esse *vero*, et genuinum fuisse versum: « negat, hercle vero, illic ultimus. Abscedito », i. e. abi. Faceta est apostrophe et vere Plautina ad quemdam de ultima cavea prologo obstrepentem; neque deerant in tanta multitudine pota et exlege, qui tumultuarentur. N.

12. *Si non, ubi*, etc. Simile ludicræ procacitatis exemplum in vetere theatro nostrate reperitur, quod profert Marmontel. *Rudim. Litt.* cap. de *Prologo*. N.

13. *Mendicarier.* Histrio, cui obstrepitur, vocem plerumque obtundit clamando: ravi autem contracta, exsibilatur; atque ita arte histrionica deserta cogitur mendicare. Nonius Marcellus: *mendicarier*, pro *mendicare*. Lamb.

14. *Tua causa.* Ego ea de causa ut tu, qui in extrema cavea stas. Fabulæ argumentum intelligas, me rupturus non sum. Pistor.

15. *Vos qui potestis*, etc. Eum fingit, quem modo compellavit, unum esse a tunicato popello, turba capite censorum, igitur aspernandum; et se tantum iis, qui bona sua in censum deferunt, optimo jure civibus placere velle. Hæc in civitate romana. Alia apud Athenienses. N.

16. *Adcipite reliquom; alieno*, etc. Ludit in ambigua significatione verbi « reliquom », quod vulgo significat reliquam debiti partem, et nunc id quod restat ex argumento. Parem lusum videas in Cistell. I, 3, 40. Gron.

18. *Dominum.* Domini sui Hegionis filium, et ita dominum sive herum minorem. Lamb.

19. *Hic*, Theodoromedes, Philo-

Peculiarem, quia quasi una ætas erat.
Hic nunc domi servit suo patri, nec scit pater.
Enimvero di nos, quasi pilas, homines habent.
Rationem habetis, quomodo unum amiserit.
Postquam belligerant Ætoli cum Aliis,
Ut fit in bello, capitur alter filius.
Medicus Menarchus emit ibidem in Alide.
Cœpit captivos conmercari hic Alios,
Si quem reperire posset, quo mutet suum
Illum captivom : hunc suum esse nescit, qui domi 'st.

cratis pater. Lamb.— Hunc Tyndarum, *huic* Philocrati. N.

20. *Peculiarem* proprium, in ejus peculio, nam ut servo, sic et filio, peculium contingebat. De peculiari cf. Asin. III, 1, 37; Aul. III, 4, 7. Lamb.

21. *Hic nunc*, Tyndarus.—*Servit*, inscius inscio patri. N.

22. *Di nos*, *quasi pilas*. Versant nos, et ut ipsis commodum est, male habent. « Pilæ et effigies viriles et muliebres ex lana Compitalibus suspendebantur in compitis, quod hanc diem festum esse deorum inferorum, quos vocant Lares, putarent; quibus tot pilæ, quot capita servorum, tot effigies, quot essent liberi, ponebantur; ut vivis parcerent, et essent his pilis et simulacris contenti, etc. » Festus. Atque hoc illud esse arbitror, quod etiamnum in superstitibus romanæ antiquitatis monumentis lares penatesque cum *pilis* depicti spectantur; quas in manibus gestantes versent quo pacto lubet : eoque haud dubie a callentissimo poeta allusum. Douza. — *Di nos*, *quasi p. h. h.* Sic Græci θεῶν παίγνια ἄνθρωποι. Voltarius, Plautum certe non imitatus, idem dixit : *Les pauvres humains sont des balles de paume avec lesquelles la fortune joue.* Epist. ann. 1754, quinto kal. febr. Ex improviso hæc seria ludo intermiscentur; ea est fabulæ totius indoles. Vid. inf. 51. N.

23. *Quomodo unum amis.* filium olim Hegio. N.

24. *Postquam belligerant*, etc. Deest particula discretiva, *nunc*, *vero*, incipiente altera parte narrationis de Philopolemo. N.

26. *Emit*, emptum habet Philopolemum. — *Ibidem*, i. e. in eodem loco, quem modo indicavit, vs. 24. N.

27. *Hic*, Hegio, qui his in ædibus habitat. Illa et alia ejusmodi actu prologi fiebant perspicua. N.

28. *Quo mutet.* Vulgatæ « cum quo », quam licet Gronovius lectionem tueatur, recipiendam docti non censuerunt, neque hoc versu neque I, 1, 33, utpote metrum turbantem. Facile crediderim « cum » glossema. Cf. I, 2, 68. N.

29. *Hunc suum esse nescit.* Id, quod jam monuit vs. 21, nunc iterum narrantem noli Plautum loquacitatis arguere. Argumento perplexo, tumultuante consessu, multa repe-

Et quoniam heri inde audivit, de summo loco
Summoque genere captum esse equitem Alium,
Nihil pretio parsit, filio dum parceret;
Reconciliare ut facilius posset domum,
Emit hosce de præda ambos de Quæstoribus.
Hice autem inter sese hunc confinxerunt dolum,
Quo pacto hic servos suum herum hinc amittat domum:
Itaque inter se conmutant vestem et nomina.
Illic vocatur Philocrates, hic Tyndarus.
Hujus illic, hic illius hodie fert imaginem.
Et hic hodie expediet hanc docte fallaciam,
Et suum herum faciet libertatis conpotem.
Eodemque pacto fratrem servabit suum,
Reducemque faciet liberum in patriam ad patrem,
Inprudens: itidem ut sæpe jam in multis locis
Plus insciens quis fecit, quam prudens boni.
Sed inscientes sua sibi fallacia
Ita conpararunt et confinxerunt dolum:
Itaque hi conmenti de sua sententia,

tenda erant, ut memoriter noscerentur. N.

30. *Inde*, ex Elide. Lamb.

32. *Parceret.* Bene consuleret filio, quem, quo plures et nobiliores habebit captivos ex Elide, facilius per commutationem recuperabit. Lamb.

33. *Reconciliare*, redimere illum et domum reducere. Vid. I, 2, 65; III, 4, 44; Pseud. I, 2, 1; Trin. IV, 2, 14. N.

34. *De Quæstoribus*. Conf. Bacch. IV, 9, 152. Obliviscitur palliatam agi, meminit togatos spectare. N.

36. *Amittat*, faciat ut liber dimittatur. N.

37. *Commutant vestem.* Pallium herilis erat vestis, tunicula, servilis. N.

40. *Expediet.* Explicabit, ad exitum perducet. Lamb. — De hujusmodi præmonitione, qua hoc versu et seq. spectatores ab initio docentur catastrophen, vid. quæ ad Amph. I, 2, adnotavimus. N.

45. *Plus insc. quis*, etc. Cf. Terent. Hecyr. penult. vers. « Equidem plus hodie boni Feci imprudens, quam sciens ante hunc diem unquam ». N.

46. *Sua sibi.* Cf. v. 5. N.

48. *De sua sententia.* Nullis aliis in consilium adhibitis. Sic loquuntur boni scriptores: « de consilii sententia: de amicorum sententia ».

Ut in servitute hic ad suum maneat patrem:
Ita nunc ignorans suo sibi servit patri.
Homunculi quanti sunt, quom recogito!
Hæc res agetur nobis, vobis fabula.
Sed etiam 'st, paucis vos quod monitos voluerim.
Profecto expediet, fabulæ huic operam dare.
Non pertractate facta est, neque item ut cæteræ;
Neque spurcidici insunt versus inmemorabileis;
Heic neque perjurus leno est, nec meretrix mala,
Neque miles gloriosus. Ne vereamini,
Quia bellum Ætolis esse dixi cum Aliis.
Foris illeic extra scenam fient prælia.
Nam hoc pæne iniquom'st, comico choragio

49. *Hic*, Tyndarus qui nunc vocatur, olim fuit Pægnium, et fert speciem et nomen Philocratis. N.

51. *Quanti*, i. e. *quantuli.* — *Recogito.* Sane quidam scripti, *rem cogito:* sed non omnium princeps Camerarianus. *Recogito*, sic, ut Colum. lib. I: «Quæ quum animadverterem, sæpe mecum retractans recogitansque». Utitur et Cicero. Gron.

52. *Hæc res agetur n. v. f.* Vera hæc actio nobis erit, vobis tantum ficta species. Longe a nostratis atque etiam a Terentianæ comœdiæ more differt hæc histrionici ludi explicatio, qua præmonere spectatores, ne fallantur imagine, poeta ipse studet. Sed enim non hæc mera simplicitas; non sine artificis consilio ab arte descitum. Apud rudes adhuc dramaticæ rei homines, qui nondum intra certos modos finesque comœdiam consistere poscerent, quum Plautus undecumque risum captaret, eo quoque delectatum iri spectatores, si machinamentum comicum identidem nudaret præter opinatum, atque sub persona ipsum actorem monstraret ridicule laborantem, haud frustra judicavit. Hujusmodi commenta sæpe protulit Amphit. prol. et III, 1; Pœnul. prol. et III, 2, 20. N.

53. *Sed etiam 'st. Etiam*, insuper, præterea. Boxhorn.

55. *Pertractate*, vulgato more, ut res quæ pertrectari solent. Falluntur qui vocabulum venereum hoc esse existimant. N.

56. *Versus inmemorab.* Memoratu indigni, infandi. Cistell. II, 1. L.

57, 58. *Perjurus leno*, *meretrix mala, miles gloriosus.* Celebratissimæ in palliatis personæ. Namque amatoriis argumentis, et iis quidem ad meretriculas pertinentibus, fabulæ constabant fere omnes. Idem fatetur Terent. Eunuch. prol. 36-39; Heaut. prol. 37-39. Et circa easdem res versari Ovidius, dum laudat Menandrum, ipse commemorat, Amor. I, 15, 17. N.

61. *Comico choragio*, i. e. comico instrumento et apparatu. Festus.

Conari de subito nos agere tragœdiam.
Proin, si quis pugnam exspectat, liteis contrahat;
Valentiorem nactus adversarium
Si erit, ego faciam ut pugnam inspectet non bonam,
Adeo ut spectare postea omneis oderit.
Abeo. Valete, judices justissumi,
Domi duellique duellatores optumi.

« Tragœdiæ enim aguntur choragio tragico; comœdiæ, comico ». Lamb.

65. *Ego faciam ut*, hæc abundant, ut sæpe in Plautino sermone « faxo, faciam »: i. e. inspectabit. Vid. inf. V, 4, 13; Amph. I, 3, 13; Asin. I, 2, 5; III, 3, 136; IV, 1, 4; Casin. I, 2, 3; Trinum. I, 2, 184. N.

67. *Judices* histrionum, quibus palma deferatur. Cf. Amph. prol. 16, 65-77. Errant qui credunt justitiam Quiritium in rebus civilibus hoc loco laudari: namque theatrale hoc arbitrium ad populum spectabat, judicia penes senatum duntaxat (quantulam populi partem) ante Gracchanam legem fuerunt. N.

68. *Domi duellique*. Multi hæc ita separant, ut orator Romanos domi justissimos judices, militiæ fortissimos bellatores fateatur. Alii, quibus libentius assentimur, unam et indivisam servant locutionem, qua vulgo quasi adverbialiter Latini utebantur, significantes omni tempore et loco. Sic Leonida ad conservum Libanum: « Quæ domi duellique male fecisti ». Asin. III, 2, 13. Aut si expressius enarranda hæc locutio est, « domi » erit intra Romæ agrum et mœnia, « belli » foris. Quo sensu non raro apud auctores opponuntur inter se. Sensus igitur: « Bellatores optimi, vel arcendis a patria hostibus, vel transferendo in alias gentes bello ». Plautus autem docuit hanc fabulam, vel dum sæviret, vel postquam profligatum fuit secundum bellum Punicum, quod etiam illius animo obversabatur, quum Amphitruonem scriberet, II, 2, 19, 20. N.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

CAPTIVI.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

ERGASILUS *.

Juventus nomen indidit scorto mihi,
Eo quia invocatus soleo esse in convivio.
Scio absurde dictum hoc derisores dicere,

* *Ergasilus.* En tibi fabulam aperit persona, quæ explicando argumento et rei ad finem promovendæ aut parum aut nihil inserviet, sed delectandis spectatoribus non parum profecerit. Facetissimi illi locutores quam prolixe versus leves effutirent, dum ridicule, Romani rationem non reposcebant; ejusmodi cantica, quæ ad rem non pertinent, sed ad commendationem poetæ magnopere tum valebant, passim apud nostrum in fronte fabularum, gratiosæ loco præfationis, reperire est, Menæch. I, 1; Pers. I, 2; Stich. I, 3. Mori obsequutus est ipse Terentius semel, fabula inter illius opera felicissima, Eunucho II, 2. N.

1. *Nomen indidit scorto mihi.* Ille lusus in ambiguo sensu τοῦ *invocatus* versatur, quod significat modo « non vocatus », modo « vocatus voto ». Ea est sententia: Scortum invocatur talos jacientibus in vino (ut Asinaria, V, 2, 55, et Curculione, II, 3, 77). At ego sicubi cœnæ nidor nares percussit, adsum invocatus, i. e. non vocatus (cf. Ter. Eunuch. V, 8, 29). Hinc mihi facetus aliquis invocari (non vocari) solito nomen imposuit scorto. Gron.

3. *Derisores*, scurras convivales, parasitos, idoneos cujusque dicti ridiculi judices; sed nunc vel invident illi, vel metuunt sibi quoque cognomen. N.

At ego aio recte; nam in convivio sibi
Amator, talos quom jacit, scortum invocat.
Estne invocatum, an non? est planissume.
Verum, hercle, vero nos parasiti planius,
Quos nunquam quisquam neque vocat, neque invocat;
Quasi mures semper edimus alienum cibum.
Ubi res prolatæ sunt, quom rus homines eunt,
Simul prolatæ res sunt nostris dentibus.
Quasi, quom caletur, cochleæ in obculto latent,
Suo sibi succo vivont, ros si non cadit:
Item parasiti rebus prolatis latent
In obculto, miseri victitant succo suo,
Dum ruri rurant homines, quos liguriant.
Prolatis rebus parasiti venatici
Sumus: quando res redierunt, molossici

7. *Verum, hercle, vero.* Vulgatæ *verum hercle verum.* Illud magis Plautinum. Cf. Curc. III, 1, 5. Est valde affirmantis. — *Planius* invocati sumus; mutato verbi sensu. N.

9. *Quasi mures semper*, etc. Ratio sententiæ poscit ut suppleas ibi « qui vero ». N.

10. *Ubi res prolatæ sunt*, ubi rerum forensium et judicialium intermissio et in aliud tempus prolatio facta est, vel propter ferias, vel ut liceat agriculturæ operam dare, quod præsertim moris esse apud religiosos et rusticos illos viros necesse fuit. Cf. Cic. ad Att. VII, 12; pro Muræn. 13. Auctor carm. ad Pisonem: « si quando judice fesso, Turbida prolatis tacuerunt jurgia rebus » vs. 73. N.

12. *Quasi*, quemadmodum. N.

13. *Suo sibi.* Cf. prol. 5.

16. *Rurant. Rurare*, interpretantur *rusticari*: ego, opus ruri facere, rus colere: ut *arare*, arvum colere: hinc, « Rurationis dii », apud Apuleium, qui operi rustico faciundo præsunt. J. Gul. — *Quos liguriant.* Aptissima hominibus dictio, quippe qui edant, immo devorent, cuicumque adhæreant. Fit in oratione hac ellipsis, quæ ita suppletur: « dum rurant homines (neque adsunt) quos liguriant (parasiti) ». N.

17. *Venatici*, graciles, macri, ad cibum quærendum expediti. Taub.

18. *Quando res redierunt.* Quemadmodum feriis « res prolatæ »; ita iis exactis, *rediisse*, dicebantur. Gron. — *Molossici.* Hæc vox, et illæ « odiosici, inconmodistici », lepide confictæ duplici risus eliciendi causa, quippe per similiter desinentia acuitur jocus continuatæ similitudinis. Sensus est: Qui modo, absentibus patronis, jejuni et exiles, ut venatici, at postquam redierunt, instauratis mensis, perpasti et præpingues tanquam molossi, parasiti vivimus, gens quidem

Odiosicique et multum inconmodistici.
Et hic quidem, hercle, nisi qui colaphos perpeti
Potis parasitus, frangique aulas in caput,
Vel extra portam trigeminam ad saccum ilicet.

odiosa et importuna, ut quæ adsit semper invocata et inter cœnantes se intrudat. N.

20. *Et hic quidem, hercle*, etc. Non ridicularius tantum, sed periculosus identidem fuit parasitorum quæstus. Nam inter convivia, juvenes quibus, cibi causa, derisores imi lecti aderant, quum ipsi jam vino incalescerent, non satis habebant, si dicteriis oblectarentur; sed inter se quasi certabant, quis vehementius miserorum patientiam tentaret; inde colaphos impingere, ollas et ceteram mensariam supellectilem in caput jacere. Itaque parasiti Plautini uno oculo sæpe carent (Curc. III, 1, 24-28; IV, 2, 19; Men. I, 2, 46). Hoc est iis quasi insigne scurrilis militiæ, hæc vulnera adverso ventre excepta. Ergo mirare quanta magnanimitate Ergasilus (hoc loco et III, 1, 11), atque alii ejusdem ordinis (Pers. I, 2) professionem artis suæ jactitent, seque esuriones laconas, fortissimos plagipatidas, duros capitones extollant. Nempe istam viam ingressis virtute opus fuit; neque inter Plautinos jocos minime lepidum jocandi genus exstitit eorum gloriatio. Qua nunc Ergasilus eos, qui contumelias ictusque perferre non possunt, aspernatur, eadem fere sententia, sed luculentioribus verbis, utpote de parasitis altioris loci, atque tragico actu, a Racinio prolata est : *Quiconque ne sait pas dévorer un affront... Loin de l'aspect des rois qu'il s'écarte, qu'il fuie. Il est des contretemps qu'il faut qu'un sage essuie. Souvent avec prudence un affront dévoré, Aux honneurs les plus hauts a servi de degré.* (*Esther*, act. III, 1.) Scilicet hi quoque aulici plagipatidæ; eædem artes, dissimilis tantum habitus vivendi et præmiorum modus. N.

21. *Frangique aulas in caput.* Per hellenismum, hæc oratio subjuncta vicem obtinet substantivi et construitur cum verbo *perpeti*, ut « colaphos »; i. e. « nec perpeti potest colaphos et τὸ aulas frangi in caput ». *Aulas* p. ollas; cf. Aulul. ad argum. Camer. N.

22. *Vel extra portam*, etc. Vulgatæ : « Vel ire e. p. t. a. s. licet », inconcinno metro. *Ire* glossema irreptitium non sine ratione suspicantur τοῦ *ilicet*, usitatissimæ Plauto locutionis, qua quis dimittitur, quasi « ire licet ». *Portam trigeminam*, quæ ab Horatiis et Curiatiis, ut nonnulli credunt, non cunctis adsentientibus, dicta est; eadem quoque Ostiensis, quod per eam Ostiam ibant, vocabatur. Trigeminam portam nominant Liv. IV, 16; Plin. Hist. XXXIV, 5. — *Ad saccum*, ad mendicimonium. Saccum seu peram gestabant pauperes. Hic per metonymiam instrumentum pro arte. Noli audire Longolium, qui censet *sacculum* ibi ponendum et hunc fuisse locum quo mendicantes convenirent. Sensus est : « qui non potis est parasitus hæc ferre, eum jubeo, etiam sacco mendicantium sumpto, ire extra portam tri-

Quod mihi ne eveniat, nonnullum periculum'st.
Nam postquam meus rex est potitus hostium,
Ita nunc belligerant Ætoli cum Aliis;
Nam Ætolia hæc est: illeic captu'st in Alide
Philopolemus, hujus Hegionis filius
Senis, qui heic habitat: quæ ædeis lamentariæ
Mihi sunt, quas quotiescumque conspicio, fleo.
Nunc hic obcepit quæstum hunc fili gratia
Inhonestum, maxume alienum ingenio suo.
Homines captivos conmercatur, si queat
Aliquem invenire, suum quî mutet filium.
Nunc ad eum pergam: sed aperitur ostium,
Unde saturitate sæpe ego exii ebrius.

SCENA SECUNDA.

HEGIO, LORARIUS*, ERGASILUS.

HEG. Advorte animum, sis, tu: istos captivos duos,

geminam ad quæstum hunc faciendum ». N.

24. *Meus rex.* Sic parasiti vocabant escarios dominos suos. Asin. V, 2, 69; Menæch. V, 5, 4; Stich. III, 2, 2; Trinum. III, 2, 96; Colum. R. R. lib. I, præf. Sen. de Ira, III, 43; Juven. Sat. V, 14. — *Potitus hostium.* Potiri antique patiendi vim quoque habuit, idemque fuit, ac « venire in potestatem ». Figura agendi tum usurpabatur « potire, potio »; cf. Amph. I, 1, 23. N.

25. *Ita nunc belligerant*, etc. Hæc et seqq. usque ad « habitat » in parenthesi includenda, ut præcedentia « nam postquam, etc. » cum reliquis « quæ ædeis lam. etc. » cohæreant. *Ita* signum explicandæ rei, et fere idem valet quod « scilicet, quia ». Cic. p. Dejot. 7: « Dii te perdant fugitive; ita non modo nequam, sed... fatuus es ». Eo modo *ita* causalis profertur. N.

26. *Nam Ætolia hæc est.* Retractat protasin, quod vitio tum non fuit poetæ. Vid. sup. ad prol. 29. N.

30. *Hic*, Hegio. — *Quæstum h.* mercaturam venalium captivorum. N.

33. *Quî.* Vulgatæ *quicum.* Vid. prol. 28. N.

* *Lorarius.* Exactor servilium suppliciorum et ergastuli custos, qui cæteros loris castigat. Gellius de Bruttianis lictoribus agens, X, 3: « Hi, inquit, sequebantur magistratus, tamquam in scenicis fabulis qui dicebantur lorarii, et, quos erant jussi, vinciebant aut verberabant ». N.

1. *Tu*, Lorarie. — *Istos capt. duos.* In quartum casum hæc verba a

Here quos emi de præda, de quæstoribus,
His indito catenas singularias;
Istas majores, quibus sunt vincti, demito:
Sinito ambulare, si foris, si intus volent;
Sed uti adserventur magna diligentia.
Liber captivos avis feræ consimilis est:
Semel fugiendi si data 'st obcasio,
Satis est; nunquam postilla possis prendere.
LOR. Omneis profecto liberi lubentius
Sumus, quam servimus. HEG. Non videre ita tu quidem.
LOR. Si non est, quod dem, mene vis dem ipse in pedes?
HEG. Si dederis, erit extemplo mihi, quod dem tibi.
LOR. Avis me feræ consimilem faciam, ut prædicas.
HEG. Ita, ut dicis: nam si faxis, te in caveam dabo.

proxime sequentibus « quos emi » trahuntur, licet pertineant ad locutionem « indito catenas ». Eadem figura dicendi in Mostell. I, 3, 93, « Mulier, quæ se suamque ætatem spernit, speculo ei usus est ». Cf. prol. 1.

2. *Here*, vetus p. heri. Vid. Fest. — *De quæstoribus*. Cf. Prol. 34. N.

3. *Catenas singularias*. Turnebus interpretatur singularias, unius quamque libræ; quia balistæ centenariæ sunt, quæ saxa centum pondo jaciunt. Lambinus, auctore Nonio, qui *singularia* dici a Turpilio pro *singulari* refert, singulares accipit hic pro « simplices, leviores », idque ex eo, quod sequitur: « istas majores, etc. » confirmat. Ad aliam vero explicationem Gellius viam aperit, qui narrat XVII, 9, reperiri in epistolis Cæsaris literas singularias sine coagmentis syllabarum: ergo, ni fallor, catenis illis majoribus ambo captivi una vincti erant; singulariis vinculis jam non conjungentur, non ambo duplicem catenam gerent, at singularem quisque suam. N.

6. *Sed uti*, i. e. sed ita ut. LAMB.

9. *Postilla*, postea. N.

11. *Non videre ita tu*, etc. Non videris malle liber esse, quam servire, nam istuc si velles, frugi fores, et contraheres peculium, unde æs pro capite liberando daretur. LAMB.

12. *Mene vis d. i. i. p.* Dare se in pedes i. q. fugere; cf. Bacch. III, 1, 7. N.

13. *Si dederis*, scilicet te in pedes. TAUBM. — *Dem tibi*, scilicet magnum malum. Est autem mirus lepos in verbo *dare*, toties iterato. LAMB.

15. *Ita, ut dicis*. Ironice adsentitur servo dicenti se avi fore similem. Sed nos pœnitet videre Hegionem dignitati suæ parum adeo consulentem, ut nunc cum servo suo, mox cum parasito certet scurrari. Quod peccatum sit a Plauto contra decorum personarum, dum

Sed satis verborum 'st : cura, quæ jussi, atque abi.
ERG. Quod ego quidem nimis quam cupio, ut inpetret;
Nam ni illum recipit, nihil est, quo me recipiam.
Nulla juventutis est spes : sese omneis amant.
Ille demum antiquis est adulescens moribus;
Quojus nunquam voltum tranquillavi gratiis.
Condigne est pater ejus moratus moribus.
HEG. Ego ibo ad fratrem, ad alios captivos meos;
Visam ne nocte hac quidpiam turbaverint.
Inde me continuo recipiam rursum domum.
ERG. Ægre 'st mi, hunc facere quæstum carcerarium,
Propter sui gnati miseriam, miserum senem.
Sed si ullo pacto ille huc conciliari potest,
Vel carnuficinam hunc facere possum perpeti.
HEG. Quis heic loquitur? ERG. Ego, qui tuo mœrore maceror,
Macesco, consenesco, et tabesco miser.

ridiculo nimis indulgeret, jam reprehendimus Aulul. II, 1, et adhuc in aliis reprehendemus. Rud. IV, 1 et 4; Stich. I, 2; Trinum. I, 2. N.

17. *Quod ego.* Referendum ad illa superiora, ubi dixit, Hegionem homines captivos commercari, si forte queat aliquem invenire, quo filium suum permutet, « Quod ego quidem », inquit, etc. L. — Etiam in scenam præcedentem post vers. 33 hos quinque 17-22 transtulerunt editor Bipont. Bothius, Lindemann. Sed intercipi canticum Ergasili diverbio Hegionis cum Lorario, atque, dum ii colloquerentur, parasitus ex altera parte proscenii stare et gesticulari, quasi eadem secum reputans, denique interruptum repetere nunc demum sermonem potuit. — *Nimis quam*, pro « nimis », id est, valde; vid. inf. V, 2, 21; Mostell. IV, 2, 74. N.

19. *Sese omneis amant.* Parci sunt ac tenaces, non benigni. Cf. III, 1, 5. N.

21. *Quojus*, etc. Id est, numquam dictis lepidis exhilaravi illum absque præmio aut mercede.—*Gratiis*, id est, gratis. CAMER.

23. *Ad fratrem, ad alios c.* Ad fratrem, apud quem alii captivi attinentur. N.

24. *Ne* valet an, utrum, per anastrophen ante *nocte* positum. Cf. Aul. prol. 39. — *Turbaverint.* Cf. Bacch. I, 1, 74; IV, 9, 64. N.

26. *Quæstum carc.* Quæstum ex captivis in carcerem conjectis. LAMB.

28. *Huc conciliari.* « Conciliare aliquo », est facere ut aliquo venias. Sic *reconciliare* est reducem facere, supra prolog. 33, et infra I, 2, 65, et III, 4, 44. GRONOV. *

Ossa atque pellis sum miser a macritudine.
Neque unquam quidquam me juvat, quod edo domi:
Foris aliquantillum etiam quod gusto, id beat.
HEG. Ergasile, salve. ERG. Di te bene ament, Hegio.
HEG. Ne fle. ERG. Egon' illum non fleam? egon' non defleam
Talem adulescentem? HEG. Semper sensi filio
Meo te esse amicum, et illum intellexi tibi.
ERG. Tum denique homines nostra intelligimus bona,
Quom, quæ in potestate habuimus, ea amisimus.
Ego, postquam gnatus tuus potitu'st hostium,
Expertus quanti fuerit : nunc desidero.
HEG. Alienus quom ejus inconmodum tam ægre feras,
Quid me patrem par facere 'st, quoi ille 'st unicus?
ERG. Alienus ego? alienus ille? ah, Hegio!
Nunquam istuc dixis, neque animum induxis tuum.
Tibi ille unicu'st, mihi etiam unico magis unicus.
HEG. Laudo, malum quom amici tuum ducis malum.
Nunc habe bonum animum. ERG. Eheu! huic illud dolet,

32. *Ossa atque pellis sum*. Cf. Aul. III, 6, 28. Vulgatæ « misera macritudine » falso. N.

33. *Me juvat*. Mihi prodest : μὲ ὀνήσιν : hinc cibus ὄνειαρ appellatur a Græcis, eo quod juvet. LAMB.

36. *Fleam...defleam*. Augescit eundo sententia. N.

41. *Potitu'st*. Cf. I, 1, 24. N.

42. *Expertus* sum. Ita subaudito, ut sæpe fit, verbo auxiliari, præteritum hoc accipies, non participium, rectius quam si, omissa distinctione; scribas : « expertus quanti fuerit, nunc desidero ». N.

44. *Unicus*, id est, unice dilectus. Græci ἀγαπητὸν dicunt. Sic « unicum amicum » Romani dicunt, quem plus amant cæteris. TAUBM. — Cf. Bacch. III, 3, 3.

46. *Dixis...induxis*. Cf. Bacch. IV, 2, 16. N.

47. *Unico magis unicus*. Hyperbole ridicularii hominis. N.

49. *Huic illud dolet*, etc. Hæc et seq. versum vulgatæ Hegioni attribuunt parum convenienter Plauti ingenio, qui in diverbiis ita digerere scurrilia dicteria amat, ut unus confabulantium ludum ambiguis dictis præparet, alter in illis cavillando perficiat. Τὸ *huic* editores fefellit, quos præteriit pronomen *hic* vicem primæ personæ eleganter obtinere; conf. inf. vs. 63; Bacch. IV, 4, 1. Qui hæc dant Hegioni,

Quia nunc remissus est edendi exercitus.
HEG. Nullumne interea nactus, qui posset tibi,
Remissum quem dixti, inperare exercitum?
ERG. Quid credis? fugitant omneis hanc provinciam,
Quoi obtigerat, postquam captu'st Philopolemus tuus.
HEG. Non, pol, mirandum 'st, fugitare hanc provinciam.

necesse ut mutent in vs. 52 *dixti* quod MSS præbent, et fingant vel *dixi*, vel *duxti*. Parasitus, hortante sene ut bonum habeat animum, fatetur sibi dolere, quod, etc. N.

50. *Remissus est edendi exercitus*. Videtur illa ætate nomen « exercitus » non solum copias militum, sed exercitationem, laborem significasse. Sic Rud. II, 1, 7 : « pro exercitu gymnastico et palæstrico hoc habemus ». Ergo gnavus ille vir Ergasilus queritur, quod sibi remissus sit (interruptus) exercitus (exercitium) manducandi. Sed, si omittas verbum « edendi », est in ambiguitate vocis « exercitus » ludificatio, quam senex parum decore quidem arripiet oblatam, et in seqq. vv. ultra modum extendet. N.

52. *Remissum q. d. i. e.* Quoties ad bellum gerendum auxiliis opus fuit, senatus sociis populi rom. exercitum imperabat, dein, bello confecto, remittebat. Illuc senex detorquet sensum verborum : « remissus exercitus ». Fateor Gronovio placere, ut ea verba « imperare, remittere exercitum » fuerint solennia in agendis maximis populi romani comitiis; quam quidem sententiam doctissimus doctissimi Varronis tuetur auctoritate (de Ling. Lat. V, in fin.). Sed enim ipse Varro l. c. convocandi formulam referens, docet Quirites tum accitos esse, non milites. Et in Plautino sermone, v. 57, milites nominantur, et quidem sociales 57, 59, i. e. imperati a senatu; unde apparet hunc lusum non ad rem comitialem pertinere, sed ad militarem. Nam etsi hæc verba « imp. exerc. » comitiis habendis usurpata fuerint, non inde consequitur, ut alias, præsertim in bellicis rebus, non haberent locum. N.

53. *Quid credis?* I. e. credisne sc. istud fieri? « quid, ecquid, quidnam » idem valent quod « an, ne »; cf. Bacch. I, 2, 53; II, 2, 28. — *Hanc provinciam*. Allegoria continuatur. N.

54. *Quoi obtigerat*. Lambinus, cui Palmerius et Taubmannus adstipulantur, retulit hæc ad præcedentia, « omneis, etc. » sic traducta a plurali ad singularem numerum oratione : « provinciam fugitant omnes, quisque suo loco, cui obtig. » vel « omnes, ut cuique obtigerat ». Alii referunt « Quoi » ad Philopolemum, scilicet « postquam captu'st Ph. quoi obt. » planiore quidem, et meliore, opinor, explicatione. Nam cui vicario obtingere debuisset hæc provincia, nisi Hegioni? Præterea plus quam perfectum « obtigerat » innuere videtur hæc ad Philopolemum pertinere. Sic aliter oportuit dici : « fugitant provinciam, quibus *obtigit*, ex quo captu'st Phil. » N.

Multis et multigeneribus opus est tibi
Militibus. Primumdum opus est Pistoriensibus;
Eorum sunt genera aliquot Pistoriensium;
Opus Paniceis, opus Placentinis quoque.
Opus Turdetanis, opus est Ficedulensibus.
Jam maritumi omneis milites opus sunt tibi.
ERG. Ut sæpe summa ingenia in obculto latent!
Hic qualis inperator nunc privatus est!
HEG. Habe modo bonum animum : nam illum confido domum
In his diebus me reconciliassere.
Nam eccum heic captivom adulescentem Alium,
Prognatum genere summo, et summis divitiis:
Hoc illum me mutare confido fore.
ERG. Ita di deæque faxint. HEG. Sed num quo foras
Vocatus es ad cœnam? ERG. Nusquam, quod sciam.
Sed quid tu id quæris? HEG. Quia mi 'st natalis dies;
Propterea te vocarier ad cœnam volo.
ERG. Facete dictum. HEG. Sed si pauxillum potes

56—61. *Multis et multig.* etc. His versibus prolatat jocularem amphiboliam, et nomina populorum ad escarios artifices intellectu transfert ridicule. — *Pistoriensibus*. Pistorium, oppidum Etruriæ. — *Paniceis*. Pana, urbs Samnitium. — *Placentinis*. Placentia, colonia deducta in Boiorum tellurem proxime Insubriam. — *Turdetanis*. Turdetania, Hispaniæ regio, infensissima Saguntinis, dein bello domita. — *Ficedulensibus*. Ficedulæ, vicus romanus. At iisdem nominibus vocati Ergasilo aderunt qui pistorium opus conficiunt, quorum genera sunt panifici et placentarum conditores; aderunt turdorum et ficedularum venditores. Aderunt quoque piscatores, maritima militia. N.

63. *Privatus*, sine imperio. N.

65. *Reconciliassere*. Reducem facturum. Est autem infinit. modi antiqui, futuri temporis. Sic Amph. *expugnassere*, Aul. *inpetrassere*. L.

66. *Eccum*. Vid. Amph. prol. 120.

68. *Mutare confido fore*. Notabilis locutio p. confido fore ut mutem. Hic vicem obtinet substantivi infinitus; scil. confido fore τὸ me mutare, etc. N.

70. *Vocatus es*. Vulgatis *es* non datur; quæ vox hic, ut aliis sæpe locis, producitur, et versum concinnat. N.

73. *Facete*, pulchre, jucunde. — *Sed si pauxill*. Ut *pauxillum* cum verbis «potes contentus esse» componi

Contentus esse. ERG. Næ perpauxillum modo:
Nam istoc me assiduo victu delecto domi.
HEG. Age, sis, rogo. ERG. Emtum, nisi qui meliorem adferet,
Quæ mi atque amicis placeat conditio magis.
Quasi fundum vendam, meis me addicam legibus.
HEG. Profundum vendis tu quidem, haud fundum mihi.

queat, alii comminiscuntur *esse* pro edere usurpatum, alii mutant *pauxillo*. Omnia frustra. Sed, ut casus, quos multa verba trahunt, inversos apud Plaut. passim videmus, quippe qui ablativum jungat cum « decet », et accusativum cum « dignus », et alia hujusmodi, potuit, credo, dicere « contentus pauxillum », quod requirit versu sequente « perpauxillum ». N.

74. *Næ perpauxillum modo.* Immo, hercle, inquit, vel perpauxillum (contentus esse possum). Sunt qui scribant: « Ne p. m. », i. e. pauxillum satis erit, dummodo ne sit perpauxillum. N.

76. *Age, sis, rogo*, etc. Age, sis, ergo, inquit Hegio, quum possis pauxillo contentus esse, ego te rogo ut venias. Perperam vulgo editur, *roga*. Quæ subjiciuntur, parasito dari debent, non Hegioni. Respondet parasitus: *emptum*. Hoc est, res empta tibi est; ego tibi sum addictus, nisi quis meliorem conditionem adferat, quæ mihi atque amicis placeat magis. Hæc erat formula fundorum in diem addictorum: « Ille fundus centum esto tibi emptus, nisi quis intra kalendas januarias meliorem conditionem attulerit, vel fecerit », ut habetur leg. 1, D. de in diem addictione. Parasitus ergo se, tamquam fundum, vendit, sub hac conditione, ut, si lautioris cœnæ spes ei non appareat, mancipatus sit Hegioni. SALMASIUS. — *Age, sis, rogo*. Subscribo libens Salmasio. Hegio ait: « Age, sis, rogo ». Quod accipiendum, quasi esset: « Age, sis, veni, rogo ». Plerumque enim ista formula, « age sis », cum alius verbi imperativo ponitur, quod hic intelligitur. Parasitus captat argutiam in verbo *rogo*, quasi rogasset, ut solebant in auctionibus. (Cf. Epid. act. III, sc. 4, « Estne mihi empta hæc? ») Et quia penes senem tristem minus laute se futurum esse prospiciebat, quam apud hilaros et escæ maximæ juvenes, ob nescio quam spem aliam ambigue promittit, « nisi qui meliorem adferet, Quæ mihi atque amicis placeat conditio magis ». Sic in l. 41, D. de R. V. « Si quis hac lege emerit, ut si alius meliorem conditionem attulerit, recedatur ab auctione ». « Atque amicis », ait, quia solebant et de re familiari amicos in consilium adhibere. « Meis legibus », i. e. ponam ipse leges addictionis meæ, ut Asinaria, act. I, sc. 3: « Habeo, unde istuc tibi, quod poscis, dem; sed in leges meas Dabo ». Persa, I, 2: « atque etiam mea lege adscribitor ». GRONOV.

79. *Profundum*, abyssum. N.

Sed si venturus, tempori. ERG. Hem, vel jam otium 'st.
HEG. I modo, venare leporem; nunc herem tenes.
Nam meus scruposam victus conmetat viam.
ERG. Nunquam istoc vinces me, Hegio, ne postules;
Cum calceatis dentibus veniam tamen.
HEG. Asper meus victus sane 'st. ERG. Senteisne esitas?
HEG. Terrestris cœna 'st. ERG. Sus terrestris bestia 'st.
HEG. Multis oleribus. ERG. Curato ægrotos domi.
Numquid vis? HEG. Venias tempori. ERG. Memorem mones.
HEG. Ibo intro, atque intus subducam ratiunculam,
Quantillum argenti mihi apud trapezitam siet.
Ad fratrem; quo ire dixeram, mox ivero.

80. *Sed si venturus*. Si venturus cœnatum es, veni tempestive et mature. TURN. — *Hem*, i. e. en; vox præbentis vel objicientis aliquid. Cf. II, 3, 13; Amph. II, 2, 146; Asin. V, 1, 13. N.

81. *Venare leporem; n. herem ten.* Instar proverbii ad eos, qui conditionem parum commodam nacti, meliorem quærere jubentur : aut etiam, qui optimum se invenisse rati in multo vilius inciderunt; eoque ulterius vestigandum monentur. GRON.

82. *Nam meus s. v. c. v.* Vulgatæ « commeat »; sed MSS dant « commetat » veram lectionem; hoc frequentativum usurpant comici; vid. Nonium h. v. Plauti autem sententia est : « meus victus est asper », quam ut enunciaret, circuitu verborum usus est ridiculario; qui et parasiti ridicularia electat. N.

83. *Vinces*, deterrebis. — *Ne postules*, ne tenta. Cf. Amph. I, 1, 205.

84. *Calceatis dentibus*. Hoc vult parasitus : « Quamvis dicis victum tuum asperum et scruposum esse, non deterrebis tamen, quin veniam, et quidem cum *dentibus calceatis*, id est, ita munitis, ut viam illam scruposam facile conficere possint ». Metaphora ducta a viatoribus, qui per saxa et scrupos ituri calceis se diligentius muniunt : quum in locis planis, nudis sæpe pedibus incedant. PIST.

86. *Terrestris cœna*. Quæ nihil nisi terra natum habet : quam Horatius egregie « cœnam sine sanguine » dixit, imitatione græca. Diphilus : δεῖπνον, ἀλλ' οὐδ' αἷμα ἔχειν. Sed largius interpretatur parasitus. PET. VICT.

87. *Multis oleribus* constabit cœna. — *Curato*, etc. His oleribus curandi ægroti, si quos domi habeas; ego cœnandum aliud postulo magis opiparum. N.

88. *Numquid vis?* Cf. Amph. III, 3, 15; Aul. II, 1, 53. N.

89. *Subducam ratiunculam*. « Subducere rationem », est subductis calculis putare rationem, ut appareat, quid nobis debeatur, quid nos aliis. — *Ratiunculam* hic et vs. seq. *Quantillum* dixit convenienter. Sic Terent. Phorm. I, 1, 22 « erat ei de

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

LORARIUS, PHILOCRATES*, TYNDARUS.

(ALII ADSUNT SERVI HEGIONIS.)

LOR. Si di inmortales id voluere, vos hanc ærumnam exsequi,
Decet id pati animo æquo : si id facietis, levior labos erit.
Domi fuistis, credo, liberi;
Nunc servitus si evenit, ei vos morigerari mos bonu'st,
Eamque herili inperio ingeniis vostris lenem reddere.
Indigna digna habenda sunt, herus quæ facit. PHIL. Oh oh oh!

ratiuncula Jampridem apud me reliquum pauxillum nummorum ». L.

* *Philocrates*, *Tyndarus*. Quæritur captivi duo; quos actor prologus monstravit, in proscenio manserint, an egressi cum illo nunc demum rursus prodeant. Facilius credam permansisse, quia jam tum pars erant spectaculi, vel quum facetias Ergasilus funderet; namque hos aut alios similes ostendebat, hunc versum pronuntiando : « Nunc hic obcœpit quæstum *hunc*, etc. » neque inter primum actum et secundum vacuam fieri scenam oportuisse dicat aliquis. Sic enim magistri novi jussere. Sed veteribus poetis fabula actibus distincta nusquam fuit. N.

2. *Si id facietis*, *levior labos erit*. Sic Horat. Od. I, 24 : « levius fit patientia, Quidquid, etc. » Ovidius, Trist. III, 3, 57 : « Quam potes, extenua forti mala corde ferendo ». Virgil. Æneid. V, 710 : « superanda omnis fortuna ferendo est ». N.

4. *Morigerari*. Animum accommodare obsequenter. N.

5. *Eamque herili inperio*, etc. Varie tentarunt docti viri locum emendare, ut mihi videtur, non mendosum. Sententia est : Æquum est facere vestris ingeniis (obsequentibus), ut servitus fiat lenis imperio heri. Ut ingenia erunt vestra in serviendo, ita ingenium erit herile in imperitando. Similiter fere Alexander apud Quint. Curtium, VIII, 8, 8 : « Regum ducumque clementia, non in ipsorum modo, sed etiam in illorum, qui parent, ingeniis sita est; obsequio mitigantur imperia, etc. » N.

LOR. Ejulatione haud opu'st; oculis multam miseriam additis.
In re mala animo si bono utare, adjuvat.
PHIL. At nos pudet, quia cum catenis sumus. LOR. At pigeat postea
Nostrum herum, si vos eximat vinculis,
Aut solutos sinat, quos argento emerit.
PHIL. Quid a nobis metuit? scimus nos
Nostrum opficium quod est, si solutos sinat.
LOR. At fugam fingitis : sentio, quam rem agitis.
PHIL. Nos fugiamus? quo fugiamus? LOR. In patriam. PHIL. Apage, haud nos id deceat
Fugitivos imitari. LOR. Imo, edepol, si erit obcasio, haud dehortor.
PHIL. Unum exorare vos sinite nos. LOR. Quidnam id est? PHIL. Ut sine his arbitris
Atque vobis, nobis detis locum loquendi.
LOR. Fiat; abscedite hinc : (ad conservos) nos concedamus huc : sed brevem orationem incipesse.

7. *Oculis multam miseriam additis.* Hæc est conjectura Camerarii. Prius edebatur : « multa oculis multa miseria editis». Optimus codex et Langianus « multa oculis multa miraclitis ». Ex hac scriptura conjiciendum. Nam quod alii scripti : « mira dicis, mira cudis, mira cuditis » : fecerunt pro captu quisque suo librarii. Vide an fuerit : « Ejulatione haud opus est : multam oculis modo irrogatis ». Habes *irrogare multam* apud Ciceronem, Livium, Nostrum in hac ipsa fabula. *Multo* autem pro *modo*, et vicissim in vett. codd. sæpe animadvertimus. GRON.

8. *In re mala*, etc. Huic γνώμη concinunt illa : « Bonus animus in mala re dimidium est mali », Pseud. I, 5, 37, et « animus æquos optumum 'st ærumnæ condimentum », Rud. II, 3, 71. LAMB.

13. *Nostrum opficium*, etc. Philocrates dicebat se fide attentum iri, si vinclis exsolveretur. At Lorarius non ita intelligit servile officium vers. seq. non ita servus retorridus Asin. II, 2, 113. N. — *Quod est. Est*, pro *sit*, more Plautino. L.

14. *Fingitis. Fugam fingere*, pro moliri et struere fugam dictum, antiqua ratione dicendi. Lucil. « Sed fuga fingitur, timido vadit pede percitus ». J. GUL.

17. *Sine his arbitris*, scilic. servis aliis, qui adsunt. LAMB. — *Unum exorare*, etc. Vos precamur, ut unum a vobis impetremus. N.

19. *Incipesse.* Veteres dicebant « incipio, incipesso », sicut « lacio,

PHIL. Hem, istuc mihi certum erat : (ad Tyndarum) concede huc. LOR. Abite ab istis. TYND. Obnoxii ambo
Vobis sumus propter hanc rem; quom, quæ volumus nos,
Copia 'st, ea facitis nos conpotes.
PHIL. (ad Tyndarum.) Secede huc nunc jam, si videtur, procul;
Ne arbitri dicta nostra arbitrari queant,
Neve permanet palam hæc nostra fallacia.
Nam doli non doli sunt, nisi astu colas,
Sed malum maxumum, si id palam provenit.
Nam si herus mihi es tu, atque ego me tuum esse servom adsimulo,
Tamen viso opu'st, cauto'st opus, ut hoc sobrie, sineque arbitris,
Adcurate hoc agatur, docte et diligenter.
Tanta incepta res est : haud somniculose hoc
Agendum 'st. TYND. Ero, ut me voles esse. PHIL. Spero.
TYND. Nam tu nunc vides pro tuo caro capite,
Carum obferre meum caput vilitati.

lacesso; facio, facesso; capio, capesso ». MEURS.

21. *Quom*, *quæ*, etc. Nihil hic difficultatis. Legitur ferme in omnibus : « quum, quæ volumus, copia est », id est, quum eorum quæ volumus copia est, facultas est, « et ejus copiæ facitis nos compotes ». SALM. —Imo omnes scripti : « ea facitis nos », sine τῷ *et*, sine τῷ *ejus*. Scribendum igitur : « quum, quam voluimus nos Copiam, ea facitis nos compotes ». Juxta latine « compos aliquo ac compos alicujus » dicitur. Attius : « magnis compotem et multis malis ». GRONOV. — Post illa : « quom, q. v. n. C. », hæc « ea (i. e. copia) fac. nos conpotes » olent glossam, quam grammatista aliquis adjecerit, et dein librarii per incuriam in textum inferserint. N.

23. *Secede huc*, etc. Incipit colloquium duorum captivorum secreto haberi. N.

24. *Arbitrari*, audire. Cf. Aulul. IV, 1, 21. N.

25. *Permanet palam*, detegatur. N.

26. *Nisi astu colas*. Nisi callide tractentur. GRON.

27. *Sed malum*, etc. Sed (doli) sunt mal. max. N.

29. *Sobrie*. Νηφαλέως, prudenter, considerate. LAMB.

34. *Caput*, vitam ac salutem meam. *Carum caput*, Græcorum more, φίλη κεφαλή, vel τιμία κεφαλή. DOUZA.— *Offerre vilitati*, pro vili habere, et objicere periculo. N.

PHIL. Scio. TYND. At scire memento, quando id, quod voles, habebis.
Nam fere maxuma pars morem hunc homines habent: quod sibi volunt,
Dum id inpetrant, boni sunt; sed, id ubi jam penes sese habent,
Ex bonis pessumi et fraudulentissumi
Fiunt. Nunc, ut te mihi volo, esse autumo.
Quod tibi suadeam, suadeam meo patri.
PHIL. Pol, ego te, si audeam, meum patrem nominem;
Nam secundum patrem tu es pater proxumus.
TYND. Audio. PHIL. Et propterea sæpius te, ut memineris, moneo;
Non ego herus tibi, sed servos sum: nunc obsecro te hoc unum,
Quoniam nobis di inmortales animum obstenderunt suum,
Ut qui herum me tibi fuisse, atque esse nunc conservom velint;
Quod antehac pro jure inperitabam meo, nunc te oro per precem,
Per fortunam incertam, et per mei te erga bonitatem patris,

37. *Inpetr.* impetrare conantur. N.

39. *Nunc, ut te,* etc. Non tibi hæc dicta sint: nam te, qualem volo, esse prædico. N.

40. *Quod tibi suadeam*, etc. Bothius corrigit: « Quod tibi suadeo », contra Plauti sententiam, qui voluit hæc verecundius ideoque quasi dubitative, figura potentiali, proponi, immo non affirmari: « quod possim tibi suadere, si quid tibi suadeam, ὅτι ἄν σοι ἔπεισα ». N.

41. *Si audeam.* In hac locutione, ut in illa, *sodes*, « audere » idem valet quod « velle ». Ergo sententiam explico: « at ego libenter possim te nominare patrem ». Qui interpretantur: « si audeam », si per pietatem erga parentem meum liceat, mihi falli videntur. Neque potest esse « si audeam coram illis », nam clandestino confabulantur. Ludit paronomasia « suadeam, si audeam ». *Patrem.* Appellatio est honorifica. Cf. Casin. III, 6, 15: « mi pater, mi patrone ». N.

43, 44. *Memineris, moneo; Non ego*, etc. I. e. memineris me non herum esse, etc. Sæpe fit apud Nostrum, ut, sublata inter primariam propositionem et subditam junctione, ex una in duas orationes dirimi videatur sententia. N.

46. *Ut qui*, i. q. *ut* simpliciter. Cf. Asin. III, 1, 2; Bacch. II, 3, 49. N.

47. *Per precem*, precario, oppo-

Perque conservitium conmune, quod hostica evenit manu,
Ne me secus honore honestes, quam ego te, quom servibas mihi,
Atque ut, qui fueris, et qui nunc sis, meminisse ut memineris.
TYND. Scio quidem me te esse nunc, et te esse me. PHIL. Hem, istuc si potes
Memoriter meminisse, inest spes nobis in hac astutia.

SCENA SECUNDA*.

HEGIO, PHILOCRATES, TYNDARUS.

HEG. Jam ego revortor intro, si ex his, quæ volo, exquæsivero.
Ubi sunt isti, quos ante ædeis jussi huc produci foras?
PHIL. Edepol, tibi ne quæstioni essemus, cautum intellego;

situm τῷ *pro jure*, neque pars obtestationis *per fort.* etc. N.

50. *Ne me secus honore honestes*, etc. Ne me honorificentius appelles nunc, quam olim ego te, quum servus esses meus. Cf. vs. 43, 44. N.

51. *Qui fueris*, etc. I. e. servus, ut me nunc talem habeas. — *Qui nunc sis*, i. e. herus meus. N.

53. *Memoriter meminisse.* Sic Afranius, « memoriter memini ». Asin. act. III, 2. Taubm.

* Delectabile profecto Romanis visum est hujus scenæ artificium; perpetuis simulati servi, simulati domini amphiboliis intricatum, et credulitate frustrati senis hilare. Noli tamen productam longius ludificationem repetitasque facetias tristiore supercilio damnare; memineris aliud esse nunc legentis, aliud fuisse tunc spectantium in cavea judicium; quippe si tu moras omnes ægre feras ad eventum festinans, illos præcipue juvabat lepida loquacitas, attentos partibus, de toto securos. Sed quoscunque Plautus arbitros habuerit, etiamsi qua recisa velint, tamen vere comicum ingenium et actu et sermonibus emicare in hac scena, ut in plerisque ejusdem fabulæ, fatebuntur. Et decorum personæ, quam sibi quisque affinxit, solertissime servant, Pseudo-Tyndarus verniliter jocando, Pseudo-Philocrates eloquendo graviter. N.

1. *Jam*, mox. — *Revortor intro.* Hæc dicit alicui de domo revocanti. —*Si*, postquam. N.

3. *Ne quæstioni essemus.* Hoc est, ne opus esset nos quærere. Lamb.

Ita vinclis custodiisque circummœniti sumus.
HEG. Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, quom etiam cavet.
Etiam quom cavisse ratu'st, sæpe is cautor captus est.
An vero non justa causa'st, ut vos servem sedulo,
Quos tam grandi sim mercatus præsenti pecunia?
PHIL. Neque, pol, tibi nos, quia nos servas, æquom'st vitio vortere,
Neque te nobis, si abeamus hinc, si fuat obcasio.
HEG. Ut vos heic, itidem illeic apud vos meus servatur filius.
PHIL. Captus est? HEG. Ita. PHIL. Non igitur nos soli ignavi fuvimus.
HEG. Secede huc; nam sunt ex te quæ solo scitari volo,
Quarum rerum te falsiloquom mi esse nolo. PHIL. Non ero,
Quod sciam; si quid nescivi, id nescium tradam tibi.
TYND. Nunc senex est in tonstrina; nuncjam cultros adtinet.

5. *Qui cavet, ne decip.* etc. Hujusmodi lusus in repetitione verborum exempla haud raro apud Plautum occurrunt. Cf. IV, 4, 7; Pseudol. IV, 1, 30; Trin. III, 2, 43, et quæ ad Amph. prol. 38 adnotavimus. Etiam nostrates, et præclari quidem hoc joco non abstinuerunt, quorum hæc citavit Ill. LEMERCIER doctissimis lectionibus liter. de comœd. « *J'ai vu venir leurs gens. — Ces gens ont-ils des gens? — Leurs gens sont des sergents;* et ridiculas ancillulæ procacis præstigias in flexionibus variis verbi *interloquer*, apud REGNARD, Hærede testamentario, III, 8. N.

9. *Servas*, custoditos habes. N.

12. *Ignavi fuvimus.* Calliditatem artificis ethopœi animadverte. Nam licet Philocrates tanta cura servilem personam adsimulet, tamen non potest quin hoc loco animus liberalis erumpat, et fere prodat semetipse. — *Fuvimus.* Antique. Ennius, Annal. « Nos sumu' Romani, qui fuvimus ante Rudini ». N.

15. *Id nescium*, id ignoratum et incognitum dicam tibi. *Nescius* significat, et eum qui nescit, et quod nescitur. LAMB. — Sic Tacit. « nescia tributa » dixit, Ann. I, 57, et « ignara » p. ignota ibid. II, 13, et passim. — *Quod sciam*, in eo, quod scire possum. N.

16. *Adtinet*, admotos tenet, scil. Philocrates. LAMB. — *In tonstrina.* Allegoria ex proverbiali locutione desumpta, et faceta commentatione amplificata. Vulgo dicebatur tondere aliquem is, qui eum decipiebat. Cf. Bacch. II, 3, 8. N.

Ne id quidem involucre injicere voluit, vestem ut ne inquinet.
Sed utrum, strictimne adtonsurum dicam esse, an per pectinem,
Nescio: verum si frugi 'st, usque admutilabit probe.
HEG. Quid tu, servosne esse, an liber mavelis? memora mihi.
PHIL. Proxumum quod sit bono, quodque a malo longissume,
Id volo: quamquam non multum fuit molesta servitus;
Nec mi secus erat, quam si essem familiaris filius.
TYND. Eugepæ! Thalem talento non emam Milesium.
Nam ad sapientiam hujus nimius nugator fuit.
Ut facete orationem ad servitutem contulit!

17. *Involucre*, leg. *involucrum*, quod interpretor linteum illud, quo tonsores solent humeros tondendorum involvere, ne vestis capilli tonsi lapsu inquinetur: ὠμόλινον vocat Plutarchus. Significat Philocratem sine ulla accurata cura, et sine ullo pudore aut metu Hegionem decepturum. TURNEB. — *Id*, propter id, ideo... Perperam edit. Bipont. mutavit *is*. Sic Terent. Eunuch. V, 7, 4, « nunc *id* prodeo, ut conveniam Parmenonem ». Cf. Amph. III, 2, 28. BOSSCHA.

18. *Strictim*. *Strictim tondere*, est tondere ad cutem, ἐν χρῷ κείρειν. — *Per pectinem*; est paulo longius a cute, interposito pectine, tondere. Sic Græcis duo tondendi genera sunt, σκάφιον et κῆπος: illud strictim, hoc secus. TURNEB. — *Admutilabit*, detonsum faciet. Cf. Mil. gl. III, 1, 173; Pers. V, 2, 48. N.

21. *Prox. quod sit bono*. Quinque scripti codices offerunt *bonum*. Quo inducor, ut suspicer: « Proxime quod sit bonum, quodque a malo longissume ». GRON. — In Leid. B MSS, qui est quinque istorum antiquissimus, diserte est *bono* quod fugisse videtur Gronov. nec vulgaris lectio indiget mutatione. BOSSCHA.

24. *Thalem*. Thalem præ hoc contemnam, et eum talento mihi addictum emere nolim; quia Philocrates scilicet multo est sapientior. LAMB. — Conf. Bacch. I, 2, 14. — *Talento*. Et hac voce subest jocus. Quis enim tanto pretio emat mancipium qualecumque? immo servulus haud pecuniosus? N.

25. *Ad sapientiam*. *Ad* comparationem etiam notat: ut hic, et apud Cic. de Orat. II, 6, « nihil ad Persium ». Terent. Eunuch. « At nihil ad nostram hanc ». L.—*Nimius*, magnus. *Nugator*, qui nugas dictis vel factis agit. Hoc loco *nim. nug.* est valde ineptus, nihili orator. N.

26. *Facete*, commode, solerter. Donat. ad Eun. III, 1, 37, « facetus est, qui verbis facit, quod vult ». N.

HEG. Quo de genere natu'st illic Philocrates? PHIL. Polyplusio,
Quod genus illeic est unum pollens atque honoratissumum.
HEG. Quid ipsus hic, quo honore est illeic? PHIL. Summo, atque ab summis viris.
HEG. Tum igitur ei quom in Aliis tanta gratia'st, ut prædicas,
Quid divitiæ, suntne opimæ? PHIL. Unde excoquat sebum senex.
HEG. Quid, pater vivitne? PHIL. Vivom, quom inde abiimus, liquimus.
Nunc, vivat, nec ne, id Orcum scire oportet scilicet.
TYND. Salva res est; philosophatur quoque jam, non mendax modo 'st.

27. *Illic Philocrates?* Sic eum appellat nesciens esse Tyndarum. L. — *Polyplusio*. Nomen gentile confictum ad rem, πολὺς πλούσιος. N.

29. *Ab summis viris* reddito. Quippe summus honos honorari ab summis. N.

30. *Aliis*. Cf. Argum. vs. 3. N.

31. *Unde excoquat sebum*. Scurrilis cavillatio ad vocem *opimæ*. Ita, inquit, opimæ, pingues, sunt illi divitiæ, ut inde sebum excoquat ejus pater. Alii putant significari magnas divitias pecuarias, quia ex adipe ruminantium sevum fit. Illi parum sapiunt Plautinum ingenium. N.

33. *Orcum*, τὸν Ἅιδην Plutonem. Conf. Mostell. II, 2, 68; Pœnul. I, 2, 131. N.

34. *Salva res est; philosophatur.* Eadem exclamatione Pseudolus sycophantæ cuidam illudit morum præcepta effutienti. Pseudol. IV, 2, 18. Hoc verbo taxabatur sermonum de rebus divinis vel de officiis hominum magniloquentia. Sed philosophiam non summo honore tunc habitam apud Romanos illa Tyndari oratio ostendit, quæ philosophum plus quam mendacem esse innuit. Eam autem fuisse Romanorum opinionem facile tibi persuadeas, si memineris, quæ Noster in philosophos scommata jecerit Curcul. II, 3, 9, seqq. et quibuscum studiis Terentius junxerit eorum disciplinas: « aut equos Alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos », And. I, 1, 29. Quos deridebant comici, senatus decretis prohibuit (vid. Gell. XV, 11; Suet. de cl. rhet. 1): immo libros vetustissimos in fodiendo agro repertos, quia philosophiæ scripta essent, aboleri jussit (Plin. Hist. XIII, 13). Igitur quisquis argutias comminisci aut etiam astuta consilia fingere videbatur, hunc eum philosophari dicebant. Conf. Merc. I, 2, 36. Quid autem mirum, quum ipsi etiam Græci eodem sensu verbum

HEG. Quod erat ei nomen? PHIL. Thesaurochrysonico-
chrysides.
HEG. Videlicet propter divitias inditum id nomen quasi est.
PHIL. Imo, edepol, propter avaritiam ipsius, atque audaciam.
Nam ille quidem Theodoromedes fuit germano nomine.
HEG. Quid tu ais? tenaxne pater est ejus? PHIL. Imo, edepol, pertenax.
Quin etiam ut magi' gnoscas: Genio suo ubi quando sacruficat,
Ad rem divinam quibus opus est Samiis vasis utitur,

φιλοσοφεῖν usurparent. Menand. Fragment. φιλοσοφεῖ δὲ τοῦθ', ὅπως καταπράξεται τὸν γάμον. N.

35. *Thesaurochrysonicochrysides.* Lusit, more veteris comœdiæ, in mirifica nominis compositione. Est autem hujus significatio, *thesauri*, et *auri*, et *victoriæ*. CAMER.—Frustra sunt, qui in hoc nomine argutantur, et volunt Thesaurocrupsonychochrysides, i. e. qui thesauros abscondit ungulis; vel Thesaurochrysonicocrœsides, Crœsi facta mentione. Nihil enim esset, inquiunt, iteratum in uno nomine auri nomen. Sed hoc de avaro ditissimo non displicet. Immo ipsa coacervatione *thesauri* cum geminato auro ridiculum exsistit. Vide hujusmodi lusus audaciores in Persa, IV, 6, 20. N.

37. *Audaciam.* Conjiciebat Acidalius «tenaciam», habita ratione v. 39, «tenax-ne», etc. Turnebus interpretatur, «aviditatem audacter invadentem alienum»; et Cl. BOSSCHA laudat Festum deducentem nomen audaciæ ab avide agendo. Quod etumon qualecumque habeatur, nil tamen vulgatis mutandum existimem; præsertim, quum audacia cum τῷ νικᾷν hujus nominis consentiat. N.

38. *Nam ille quidem Theod.* etc. Bothius suspicatur hunc versum mala manu additum censetque delendum; quia Hegio infra alterum tantummodo nomen commemorat, doceturque tanquam rem novam Philocrati Theodoromedem fuisse patrem. N.

39. *Pertenax*, id est, valde tenax, avarissimus. LAMB. — *Quid tu ais?* dic, quæso. Conf. Aul. IV, 9, 7. N.

40. *Genio.* Romani Genium coluere quisque suum, sub cujus tutela vivebat, quem piabat floribus, vino, lacte, præcipue natalibus festis. Is præsidere uniuscujusque fortunæ et consiliis credebatur. Unde Racinius in Britannico, decentissime Neronem induxit dicentem: «*Mon génie étonné tremble devant le sien*». — *Ubi quando*, siquando. N.

41. *Samiis vasis*, id est, testaceis et fictilibus. Celebrata terra *Samia* ad figulina, omnium auctorum testimoniis: nihili autem ad aurum et argentum quibus in sacrificiis utebantur ditiores. LONGOL. — Nulla præter fictilia Romani diu vasa in

Ne ipse Genius subripiat : proinde, aliis ut credat, vide.
HEG. Sequere hac me igitur : eadem ego ex hoc, quæ volo, exquæsivero.
Philocrates, hic fecit, hominem frugi ut facere oportuit.
Nam ego ex hoc, quo genere gnatus sis, scio; hic fassu'st mihi :
Hæc tu eadem si confiteri vis, tua re feceris :
Quæ tamen scito scire me ex hoc. TYND. Fecit opficium hic suum,
Quom tibi est confessus verum; quamquam volui sedulo
Meam nobilitatem obcultare, et genus, et divitias meas,
Hegio : nunc, quando patriam et libertatem perdidi,
Non ego istunc me potius, quam te metuere, æquom censeo.
Vis hostilis cum istoc fecit meas opes æquabileis.
Memini, quom dicto haud audebat, facto nunc lædat licet.
Sed viden'? fortuna humana fingit artatque, ut lubet :
Me, qui liber fueram, servom fecit, e summo infumum.
Qui inperare insueram, nunc alterius inperio obsequor.
Et quidem si proinde, ut ipse fui inperator familiæ,

usu habuerunt. Dein cum cæteris urbium devictarum spoliis pretiosiora metalla Romam invecta sunt. Anno etiam U. C. 477, Fabricius censor Rufinum consularem notavit, quia decem pondo argenti habuit. At post secundum bellum Punicum, Plauti ætate, jam Cato cives incusabat, quod nimis multi antefixa fictilia deorum Romanorum riderent. Tit. Liv. XXXIV, 4. Igitur hoc demum tempore specimen tenacitatis notari apud Romanos potuit, si quis vasis Samiis sacrificando uteretur. Sic Lucil. in XIV lib. sat. fragm. « et non pauper uti Samio curtoque catino ». N.

43. *Sequere hac me.* Pseudo-Tyndaro interrogato rursus adit Pseudo-Philocratem, priorem secum adducens. — *Eadem*, auferendi casu, i. e. eadem opera, simul. Cf. Bacch. I, 1, 15. N.

46. *Tua re.* Sic Gronovius, edit. Bip. freti MSS. Alii, « tua e re », vel « tuam in rem », magis pro more latinitatis. N.

53. *Quom dicto haud audebat.* Tempus fuit, quum me vel dicto lædere non ausus fuisset. — *Lædat licet*, licet illi lædere me. N.

54. *Humana*, id est, res humanas. — *Artat*, in angustias adigit. LAMB.

57. *Si proinde, ut ipse fui inperator familiæ.* Hæc dicit Pseudo-Philocrates, servus, qui profecto non

Habeam dominum, non verear ne injuste aut graviter mihi imperet.
Hegio, hoc te monitum, nisi forte ipse non vis, volueram.
HEG. Loquere audacter. TYND. Tam ego fui ante liber, quam gnatus tuus.
Tam mihi, quam illi, libertatem hostilis eripuit manus.
Tam ille apud nos servit, quam ego nunc heic apud te servio.
Est profecto Deus, qui, quæ nos gerimus, auditque et videt.
Is, uti tu me heic habueris, proinde illum illeic curaverit.
Bene merenti bene profuerit, male merenti par erit.
Quam tu filium tuum, tam pater me meus desiderat.
HEG. Memini ego istæc; sed faterin' eadem, quæ hic fassu'st mihi?
TYND. Ego patri meo esse fateor summas divitias domi,
Meque summo genere gnatum: sed te obtestor, Hegio,
Ne tuum animum avariorem faxint divitiæ meæ;
Ne patri, tametsi unicus sum, decere videatur magis,

timeat, ne graviter sibi imperet, quisquis fuerit, ut ipse fuit, familiæ imperator. N.

59. *Nisi forte ipse non vis.* Formula qua quis offensionem cavet, si quid roget, vel dicat, ingratum quod factu aut auditu esse possit. Sæpe dicitur « nisi nevis ». Most. III, 2, 76.

63. *Est profecto deus*, etc. Hæc supra soccum escendunt, neque tamen inopportune. His atque talibus poeta, quas sibi tribuerit in prologo laudes, jure præsumptas comprobat, et Græcos æmulatur, quos Cl. BOSSCHA laudat. Ὁ γὰρ θεὸς βλέπει σε πλησίον παρών, Menander. Ὁ δὲ παρὼν ἁπανταχοῦ πάντ' ἐξ ἀνάγκης οἶδε, πανταχοῦ παρών, Philemon. Præclaram quidem illam sententiam luculenta prosopopœia illustravit prologo Rudentis. At idem parum sibi constans theologus videbitur, si Casin. II, 5, 40, et Merc. prol. 6 legeris. Sed in illis turpissimo argumento lascivit, nunc monet sapientissima delectando. N.

67. *Memini ego istæc;* quæ edisseris, ego scio. N.

71. *Ne patri... decere*, etc. Sententia hæc est: Te obtestor, Hegio, ne meæ divitiæ te faciant pecuniæ avidiorem, atque ad quæstum attentiorem; ut ne, si ita feceris, pater æquum esse censeat, tametsi unicus ei sim filius, relinquere me apud te in servitute, tuo sumptu viventem potius, quam me impenso pretio abs te redimere, ut illic, ubi mi-

Me saturum servire apud te sumtu et vestitu tuo,
Potius quam illei, ubi minume honestum 'st, mendicantem vivere.
HEG. Ego virtute Deum et majorum nostrum dives sum satis.
Non ego omnino lucrum omne esse utile homini existumo.
Scio ego, multos jam lucrum luculentos homines reddidit.
Est etiam, ubi profecto damnum præstet facere, quam lucrum.
Odi ego aurum; multa multis sæpe suasit perperam.
Nunc hoc animum advortito, ut ea, quæ sentio, pariter scias.
Filius meus illeic apud vos servit captus Alide;
Eum si reddis mihi, præterea unum numum ne duis,
Et te et hunc amittam hinc; alio pacto abire non potes.
TYND. Optumum atque æquissumum oras, optumusque hominum es homo.
Sed is privatam servitutem servit illei, an publicam?
HEG. Privatam medici Menarchi. PHIL. Pol, hic quidem hujus est cliens.

nime honestum est, nempe in patria et apud notos, mendicus et egens vivam. LAMB.

74. *Virtute deum*, etc. Cf. Aulul. II, 1, 44; Trin. II, 2, 72. N.

76. *Scio ego*, etc. Duo hic opponit *Hegio*: scio quidem multos avaritia sua ditatos, sed et hoc scio, eos qui lucrum in loco neglexere, rem fecisse. GRUT.

77. *Est etiam*, *ubi*, etc. I. e. aliquando; græce ἔστιν ὅπου. — *Damn. præstet*, etc. Cf. Ter. Adelph. I, 2, 8: « Pecuniam in loco negligere, maxumum interdum 'st lucrum ». LAMB.

81. *Duis*, dederis. N.

82. *Amittam*. Plautus *amittere*, pro a se dimittere sæpissime usurpat. Ita Terent. Heaut. III, 1, 68: « ... prius Pecuniam omnem, quam abs te amittas filium ». TAUBM.

83. *Oras*, loqueris; inde orator. — *Es* apud veteres comicos producitur. Vid. Bentl. ad Ter. Eun. III, 1, 36. N.

84. *Privatam servitutem*, in mancipio privati hominis. *Publicam*, in potestate civitatis, publico ministerio addictum. N.

85. *Hic*, Menarchus. — *Hujus*, Philocratis. Nam Pseudo-Philocratem ipse monstrat. N.

Tam hoc quidem tibi in proclivi, quam imber est, quando pluit.
HEG. Fac is homo ut redimatur. TYND. Faciam: sed te id oro, Hegio.
HEG. Quidvis, dum ab re ne quid ores, faciam. TYND. Ausculta dum, scies.
Ego me amitti, donicum ille huc redierit, non postulo.
Verum, te quæso, æstumatum hunc mihi des, quem mittam ad patrem,
Ut is homo redimatur illei. HEG. Imo alium potius misero
Hinc, ubi erunt induciæ, illuc tuum qui conveniat patrem,
Qui tua, quæ tu miseris mandata, ita, ut velis, perferat.
TYND. At nihil est, ignotum ad illum mittere; operam luseris.
Hunc mitte, hic transactum reddet omne, si illuc venerit.
Nec quemquam fideliorem, neque quoi plus credat, potes
Mittere ad eum, nec qui magis sit servos ex sententia,
Neque adeo quoi tuum concredat filium hodie audacius.
Ne vereare, meo periculo hujus ego experiar fidem,

86. *Tam hoc quidem tibi in proclivi.* Vulgo « in proclivi », sicut *pronum* pro « facile et promptum » dicebant. Nunc metaphora verniliter abutitur ad jocum, addita comparatione hyperbolica « quam imber ». Quid enim, ut ait Lambinus, proclivius esse potest imbre decidente? N.

87. *Is homo*, meus filius. N.

88. *Dum ab re ne quid*, etc. Dum nihil contra rem meam, contra æquum et utile, alienum a re competenti postules. Cf. Asin. I, 3, 71; Trin. II, 1, 12. N.

89. *Donicum*, etc. Donec ille huc redierit. *Donicum* antiquum pro *donec;* quo et Lucretius usus est non semel. LAMB. — Cf. Priscian. XV, 3, 17. N.

90. *Ut æstumatum*, etc. Solemnis hæc est juris civilis locutio. Æstimatione facta committitur utendum aliquid alicui, ea lege, ut, si res perierit, reddat ille pretium. Hoc loco spondet se, quanti Pseudo-Tyndarus æstimatus fuerit, soluturum Hegioni, si ille non redierit ex Elide. N.

91. *Is homo*, filius tuus. Sup. v. 87. N.

94. *At nihil est*, etc. At nihil proderit ignotum hominem mittere ad patrem meum. LAMB.

95. *Transactum reddet*, confectum reddet. LAMB. — Terent. And. I, 6, 13, « facta, transacta omnia ». N.

97. *Magis servos ex sententia*. Servus ei gratior atque acceptior. L.

Fretus ingenio ejus, quod me esse scit erga se benevolum.
HEG. Mittam equidem istunc æstumatum tua fide, si vis. TYND. Volo.
Quam citissume potest, tam hoc cedere ad factum volo.
HEG. Num quæ causa'st, quin, si ille huc non redeat, viginti minas
Mihi des pro illo? TYND. Optuma imo. HEG. Solvite istum nunc jam,
Atque utrumque. TYND. Di tibi omneis omnia optata adferant,

100. *Quod me esse.* Lego, « quod med esse scio erga benevolum ». Nam causam mittendi habere debeat alterius in se benevolentiam, non suam in alterum. J. GUL. — Scita conjectura; sed vulgata lectio non absona. Quod enim me erga se benevolum sciat, gratum et fidelem eum erga me fore spero. N.

101. *Tua fide*, te sponsore et fidejussore. LAMB.

102. *Cedere ad factum*, perduci ad effectum. LAMB.

103. *Num quæ causa 'st quin*, etc. Hic contrahitur verborum obligatio, quæ stipulatio appellatur; i. q. spondesne, ni redeat, te 20 minas daturum? N.

104. *Optuma imo.* Sic libri optimi. Formula est annuendi. Neque admittenda distinctio Camerarii, *optima. Imo.* Gulielmi vero quod adfert, *imo optime*, in eo duplex peccatum est. Prius, quod nescit juxta eleganter, atque etiam exquisitius, particulæ aliud verbum vel vocabulum, a fronte præponi (Aulular. IV, 10: « Pernego imo ». Plin. in Paneg. « quæso imo et obtestor »: vide Livium, XXXVIII, 43); deinde quod adverbium facit pro nomine, sequutus Lambinum, subaudientem etiam *dicis*. Ad interrogationem illam, « Num quæ causa est, quin fiat », simpliciter quidem responderi potuit: *Nulla*, ut Amph. II, 2, 223. At magis urbane responsum: *Optima*. Id ortum ab religiosis veterum et ubique εὐφημεῖν gestientibus. Nam *nihil* aut *nulla* mala verba: *nulli* enim illis dicebantur mortui. Hujus locutionis ea est ratio: si optima erat causa, ut fieret, utique et erat nulla, quin (cur non) fieret. Sic Aulular. II, 2, 84: « Sed nuptias Hodie quin faciamus, num quæ causa est? EU. Imo edepol optuma ». Trinum. V, 2, 64: « Num quid causæ est, quin uxorem cras domum ducam? C. Optumum est: licet ». Ubi sane vix est, ut non etiam scripserit Plautus: « Optuma est ». Terentius, Andria, V, 4, 46: « De uxore, ita ut possedi, nil mutat Chremes. CH. Causa optima 'st ». Refugit enim et hic dicere *nihil*. Nec nimis abit illud Aulul. IV, 10, 42: « Dic bona fide: tu id aurum non subripuisti? LY. Bona. EU. Neque scis, quis abstulerit? LY. Istuc quoque bona ». Ejusdem εὐφημίας est, quod in discessu interroganti, *numquid vis*, malebant respondere *recte*, quam *nihil*. GRON.

Quom me tanto honore honestas, quomque ex vinclis eximis.
Hoc quidem haud molestum 'st jam, quod collus collaria caret.
HEG. Quod bonis benefit beneficium, gratia ea gravida 'st bonis.
Nunc tu illum si illo es missurus, dice, demonstra, præcipe,
Quæ ad patrem vis nuntiari; vin' vocem huc ad te? TYND. Voca.

SCENA TERTIA*.

HEGIO, PHILOCRATES, TYNDARUS.

HEG. Quæ res bene vortat mihi, meoque filio,
Vobisque, volt te novos herus operam dare
Tuo veteri domino, quod is velit, fideliter.
Nam ego te dedi æstumatum huic viginti minis;
Hic autem te, ait, mittere hinc velle ad patrem,
Meum ut illic redimat filium; mutatio
Inter me atque illum ut nostris fiat filiis.
PHIL. Utroquevorsum rectum 'st ingenium meum,
Ad te adque illum; pro rota me uti licet.

107. *Collaria*, trisyllabum. *Collaria*, sive *collare*, vinculi genus, quo collum adstringitur. Lucil. in lib. XXIX sat. fragm. « Cum manicis, catulo collarique, ut fugitivum, Deportem ». Tum *collus et collum* dixisse Veteres docet Nonius. LAMB. —Forte collaria fuit ornatus, quod magis comicum esset. N.

108. *Gratia ea gravida 'st bonis.* Ita explicandum, « quod beneficium bonis bene fit », id est, recte atque opportune confertur, *ea gratia*, id est, ob id gratia, *est bonis gravida*, impensa, plena. GRON.

* Nova scena distinguitur, quamvis nemo præsentium abeat, vel alia persona prodeat in proscenium. Grammaticorum libitum, cui tamen sumus obsequuti, ne a vulgatis, quas critici scriptores citare solent, recederemus. N.

1. *Quæ res bene vortat*, etc. Cf. Aul. II, 2, 41. N.

3. *Operam dare... quod is velit*, exsequi fideliter quæ jubeat. N.

8. *Utroquevorsum*, in utramque partem, in te et illum, proba est mea voluntas. Vid. Priscian. XV, 3, 20. N.

9. *Pro rota me uti licet.* Cf. Epid. III, 2, 35. N.

Vel ego huc vel illuc vortar, quo inperabitis.
HEG. Tute tibi ea tuopte ingenio prodes plurimum,
Quom servitutem ita fers, ut ferri decet.
Sequere. Hem tibi hominem. TYND. Gratiam habeo tibi,
Quom copiam istam mi et potestatem facis,
Ut ego ad parenteis hunc remittam nuntium,
Qui me quid rerum heic agitem, et quid fieri velim,
Patri meo ordine omnem rem illuc perferat.
Nunc ita convenit inter me atque hunc, Tyndare,
Ut te æstumatum in Alidem mittam ad patrem;
Si non rebitas huc, ut viginti minas
Dem pro te. PHIL. Recte convenisse sentio.
Nam pater exspectat, aut me, aut aliquem nuntium,
Qui hinc ad se veniat. TYND. Ergo animum advortas volo,
Quæ nuntiare hinc te volo in patriam ad patrem.
PHIL. Philocrates, ut adhuc locorum feci, faciam sedulo,
Ut potissumum quod in rem recte conducat tuam,

11. *Tute*, tu. — *Ea*, subaud. opera, i. q. sic. *Tuopte ingenio*, tua voluntate bona. Nonnulli corrigunt, «Tute tibi a tuopte», etc. ipsumque Plautum vocant in partes, Trucul. IV, 3, 59 : «Ab ingenio improbus». Consistendum opinor vulgatis MSS auctoritate fretis : namque *ea* sumptum adverbialiter non opus est mutari, ut in sexto casu ponatur «tuopte ingenio». N.

13. *Hem tibi hominem.* En ego tibi adduco hominem. Hæc ad Pseudo-Philocratem. N.

16. *Qui me*, etc. Hellenismus. Nam latino more dixisset : Qui, quid ego rerum hic agitem, et quid fieri velim, omnem rem patri meo illuc ordine perferat. LAMB. — *Qui me quid rerum.* Recte Lambinus, et nugatur, qui τὸ *me* conjungit cum τῷ *perferat.* Enallage accusativi est frequentissima Plauto et aliis scriptoribus. Vide ad Senecæ IV de Benefic. cap. 32. GRON.

17. *Ordine*, exacte. Locutio, ut videtur, Romanis tritissima. Amph. II, 1, 52; Mil. gl. III, 3, 2, et passim. N.

20. *Si non rebitas huc*, si non redeas huc. *Betere* antiquum, hoc est, *ire* : tunc «rebitere, perbitere, præterbitere», hoc est, redire, perire, præterire. Pacuvius in Medo : «Si resto, pergit iter : tum si ire conor, prohibet betere». De hac voce vide Nonium. LAMB.

25. *Adhuc locorum*, ad hoc tempus. Locus ad spatium quoque temporis attinet. Trucul. III, 1, 16 : «Post id locorum». N.

26. *Ut potissumum quod*, etc. Ut id quæram, quod maxime tibi prosit. N.

Id petam, idque persequar corde et animo atque viribus.
TYND. Facis ita, ut te facere oportet. Nunc animum advortas volo:
Omnium primum salutem dicito matri et patri,
Et cognatis, et si quem alium benevolentem videris.
Me heic valere et servitutem servire huic homini optumo,
Qui me honore honestiorem semper fecit, et facit.
PHIL. Istuc ne præcipias, facile memoria memini tamen.
TYND. Nam quidem, nisi quod custodem habeo, liberum me esse arbitror.
Dicito patri, quo pacto mihi cum hoc convenerit
De hujus filio. PHIL. Quæ memini, mora mera 'st monerier.
TYND. Ut eum redimat, et remittat nostrum huc amborum vicem.
PHIL. Meminero. HEG. At quamprimum poterit; in rem utrique'st maxume.
PHIL. Non tuum tu magis videre, quam ille suum gnatum cupit.
HEG. Meus mihi, suus quoique est carus. PHIL. Numquid aliud vis patri
Nuntiari? TYND. Me heic valere, et tute audacter dicito,
Tyndare, inter nos fuisse ingenio haud discordabili,

29. *Omnium primum*, etc. Cf. Bacchid. IV, 9, 76. N.

30. *Benevolentem*, benevolum. Usitata vox Plauto, ut et Terentio. L.

32. *Honore honestiorem*, qui me semper magis ac magis honorifice habuit. Sic « honore honestare », supra II, 1, 50. N.

33. *Facile memoria memini tamen*. Intelligitur : « hoc meminero facere, etiamsi nihil dicas ». Male, *memini a me* : male Tyndaro datur τὸ *tamen*, tanquam intelligatur, *dicendum fuit*. Quasi non post paullo, vs. 46 : « gessisse morem in tantis ærumnis tamen ». Et sic Plautus centies. GRON.

36. *Quæ memini*, etc. Memorem mones, et tempus frustra conteris. LAMB.

37. *Nostrum amborum vicem*, pro me et te commutandum. Conf. sc. proxime super. v. 81, 82. N.

38. *Quamprimum poterit*, etc. Vulgatæ « quamprimum poteris, istuc i. r. u. e. m. » metro laborante. Prava lectio commodissime ad versum et sententiam a doctis correcta. — *Utrique* parenti. N.

42. *Inter nos fuisse*, etc. I. e. nos fuisse invicem concordes ; sic com-

Neque te conmeruisse culpam, neque me advorsatum tibi,
Beneque hero gessisse morem in tantis ærumnis tamen,
Neque me unquam deseruisse te, neque factis, neque fide,
Rebus in dubiis, egenis : hæc pater quando sciet,
Tyndare, ut fueris animatus erga suum gnatum atque se,
Nunquam erit tam avarus, quin te gratus emittat manu.
Et mea opera, si hinc rebito, faciam ut faciat facilius.
Nam tua opera et comitate et virtute et sapientia
Fecisti, ut redire liceat ad parenteis denuo;
Quom apud hunc confessus es et genus et divitias meas.
Quo pacto emisisti e vinclis tuum herum, tua sapientia.
PHIL. Feci ego ista, ut conmemoras, et te meminisse id gratum 'st mihi;
Merito tibi ea evenerunt a me; nam nunc, Philocrates,
Si ego item memorem quæ me erga multa fecisti bene,
Nox diem adimat; nam si servos meus esses, nihilo secius
Obsequiosus mihi fuisti semper. HEG. Di vostram fidem,
Hominum ingenium liberale! ut lacrumas excutiunt mihi!
Videas corde amare inter se : quantis laudibus suum herum
Servos conlaudavit! PHIL. Istic, pol, haud me centesimam

plenda oratio : nos fuisse inter nos, etc. N.

43. *Conmeruisse culpam*, id est, admisisse. Cf. Mercat. IV, 6, 12; Terent. Phorm. I, 4, 29. N.

44. *Beneque hero gessisse*, etc. Intelligendum *te*, quod in fine sententiæ post *deseruisse* trahitur; sic quidem Hegio sentit, quem ambo fallunt confabulantes, at Pseudo-Philocrates ipsum se fidelem servum significat Philocrati et spectatoribus. N.

45. *Neq. me unquam deseruisse te.* Neque te mihi defuisse. N.

56. *Me erga*, erga me.

57, 58. *Nam si servos... fuisti semper.* Inversum ordinem orationis ita compone : « semper fuisti obs. mihi, nihilo secius atque si e. m. s. »

59. *Hominum ing. lib.* Eo scite magis ad ridiculum comparata Hegionis admiratio, quod nunc præsertim alter alteri invicem ita sua merita commemorant, ut pæne exprobrare videantur. N.

60. *Videas corde amare inter se.* Viden' ut illi se ament ex corde invicem. N,

61. *Istic, pol.* Notandum loquendi genus. Hoc autem vult : Centum partibus magis a me laudari meritus est, quam ego ab eo laudor, seu laudatus sum. LAMB.

Partem laudat, quam ipse meritu'st, ut laudetur laudibus.
HEG. Ergo quom optume fecisti, nunc adest obcasio
Benefacta cumulare, ut erga hunc rem geras fideliter.
PHIL. Magis non factum possum velle, quam opera experiar persequi :
Id ut scias, Jovem supremum testem laudo, Hegio,
Me infidelem non futurum Philocrati. HEG. Probus es homo.
PHIL. Nec me secus unquam ei facturum quidquam, quam memet mihi.
TYND. Istæc dicta te experiri et operis et factis volo.
Et quo minus dixi, quam volui de te, animum advortas volo.
Atque horunc verborum causa cave tu mi iratus fuas.
Sed te, quæso, cogitato, hinc mea fide mitti domum
Te æstumatum, et meam esse vitam heic pro te positam pignori.
Ne tu me ignores, quom extemplo meo e conspectu abscesseris,
Quom me servom in servitute pro te heic reliqueris;

65. *Magis non*, etc. Ordo est : «Non magis possum factum velle», id est, non magis possum cupere id effectum reddere, quod dico, quam re enitar, ut fiat. LAMB.

66. *Testem laudo*, obtestor. *Laudo* idem est quod «nomino, appello», enarrante Gellio, II, 6. L.

67. *Me infidelem*, etc. Hæc et vs. sq. «nec me secus... quam memet mihi», jocus ex ipsa re natus, pariter ac in illis Amph. I, 1, 236 : «SOS. Quid si falles? — MERC. Tum Mercurius Sosiæ iratus siet». N.

69. *Istæc dicta te*, etc. Cupio ut aggrediaris facessere quæ polliceris. «Experiri operis et factis», i. q. eniti, si possis, dicta tua facto præstare. Sic Asin. I, 3, 92 : «Experiar opibus, omni copia». N.

70. *Quo minus*, quia minus. Amph. III, 2, 32. — *De te*, ex te. Sententia est : «quia quæ a te poscere volui, non omnia potui edisserere, audi nunc».

71. *Horunc verborum*, quæ jam eloquar vv. 72-76. — *Cave tu*. Vulgatæ *caveto*, metro claudicante. «Cave» pyrrichius est. N.

72-73. *Mea fide... æstumatum*. Cf. sc. præced. 101. N.

74. *Ignores*, quasi ignotum negligas. Sic Amph. IV, 5, 13 : «Quem omneis mortaleis ignorant et ludificant». DOUZA.

Tuque te pro libero esse ducas, pignus deseras,
Neque des operam, pro me ut hujus reducem facias filium.
Scito te hinc minis viginti æstumatum mittier.
Fac fidelis sis fideli; cave fidem fluxam geras.
Nam pater, scio, faciet, quæ illum facere oportet, omnia.
Serva in perpetuum tibi amicum me, atque hunc inventum inveni.
Hæc per dexteram tuam, te dextera retinens manu,
Obsecro, infidelior mihi ne fuas, quam ego sum tibi.
Tu hoc age, tu mihi nunc herus es, tu patronus, tu pater;
Tibi conmendo spes opesque meas. PHIL. Mandavisti satis.
Satin' habes, mandata quæ sunt, facta si refero? TYND. Satis.
PHIL. Et tua et tua huc ornatus reveniam ex sententia.
Numquid aliud? TYND. Ut, quamprimum possis, redeas. PHIL. Res monet.
HEG. Sequere me, viaticum ut dem hinc a trapezita tibi:

76, 77. *Tuque te pro libero*, etc. Ne tu te pro libero geras, qui liber non es, et me, qui pro te pignori oppositus sum, deseras. Vid. Stich. act. IV, 1. LAMB. — *Tuque te pro libero*, etc. *Neque des operam*, etc. In his duobus colis repetenda est conjunctio *ne* a versu 74, unde pendet omnis sententia. Hæc autem est: Noli te gerere ita ut me ignores, etc. teque pro libero ducas, etc. neque des operam, etc. N.

79. *Fac fidelis*, etc. Nonius *fidele* pro *fideliter* dictum esse docens, laudat Plautum Capt. ita: « fac fidele; cave fluxam fidem geras ». Unde Cl. BOSSCHA conjecit: « Fac fidele sis fidelis », i. e. fideliter fidelis, figura dicendi usitatissima. N.

81. *Atque hunc inventum inveni.* Hæc lucem a præcedentibus accipiunt. Conserva me amicum veterem, atque hunc Hegionem inveni, para tibi, quem tibi fors obtulit, novum amicum, si filium illi reddas. Invenire, i. q. acquirere. Cf. Casin. II, 2, 28; Rud. prolog. 27. — *Hunc.* Qui *hunc* de filio Hegionis interpretantur, eos fallit pronomen *hic* semper ad præsentem pertinere, nisi proxime supra memoratum respiciat, ut fit præc. scen. vs. 85. N.

84. *Tu hoc age.* Hoc, quod tibi mando, negotium diligenter cura, et in eo conficiendo totus esto. LAMB. — Vid. inf. V, 1, 10. N.

87. *Et tua et*, etc. Et tua Hegionis, et tua Philocratis. LAMB. — *Ornatus*, eo comitatu instructus, quem optatis; sc. Hegionis filio. N.

88. *Numquid aliud?* Cf. Aul. II, 1, 53. N.

89. *A trapezita*, id est, ex trapezitæ arca, sive penes eum fuerit pecunia deposita, sive ab eo mutuum sumpserit. Sic Cic. pro Flacco:

Eadem opera a prætore sumam syngraphum. TYND. Quem syngraphum?
HEG. Quem hic ferat secum ad legionem, hinc ire huic ut liceat domum.
Tu intro abi. TYND. Bene ambulato. PHIL. Bene vale. HEG. (hæc secum.) Edepol, rem meam
Constabilivi, quom illos emi de præda a quæstoribus.
Expedivi ex servitute filium, si dis placet.
At etiam dubitavi, hos homines emerem, an non emerem, diu.
Servate istum, soltis, intus, servi; ne quoquam pedem
Ecferat sine custodela. Jam ego adparebo domi.
Ad fratrem modo captivos alios inviso meos.
Eadem percontabor, ecquis adulescentem gnoverit.
Sequere tu, te ut amittam, ei rei primum prævorti volo.

« Pecuniam opinor numeratam tibi esse non abs te ». Idem ad Attic. V, ep. ult. « Homines non modo non recusare, sed etiam hoc dicere, se a me solvere : quod enim prætori dare consuessent, quoniam ego non acceperam, se a me quodam modo dare ». Noster Curc. V, 2, 20. GRON.

90. *Eadem opera*. Cf. Bacch. I, 1, 15. — *Prætore*. Poetam haud piget mores romanos in palliatas transferre. — *Syngraphum*. *Diploma*, per quod liceat Pseudo-Tyndaro, belli tempore, ire in Elidem. LAMB. — *Quem syngraphum*. Hoc quidem comice, atque verisimiliter Hegionem interrogat. Namque ambigi potuit de syngrapho; quo nomine pactorum conventorum tabulas vulgo dicebant; cf. Asin. IV, 1, 1. N.

91. *Ad legionem*, antique pro exercitu. Vide ap. Liv. XLI, 28, tabulæ triumphalis indicem : « Legio exercitusque P. R. Sardiniam subegit ». N.

92-95. *Edepol, rem meam*, etc. Gratulatio Hegionis condigne scenam coronat. N. — *Dubitavi*, etc. Proinde ac si dicat : stultus fui, qui dubitavi, hos captivos emerem, an non emerem. LAMB.

96. *Soltis*, si vultis, ut sis p. si vis, locutio jubentis. N.

97. *Custodela. Jam*. Vulgatæ « sine custode. Ego apparebo » manco versu, quem varie supplent. Alii « custodia. Jamjam »; alii « custodela. Mox ». *Custodela* Plautinum est. N. — *Adparebo*. Comparebo domi : hinc *Apparitores*, qui semper apparent, sive « apparituram faciunt, ut loquitur Suetonius, magistratibus ». « Præsto ero » Gloss. MSS Pl. Boxhorn.

98. *Ad fratrem*. Cf. I, 2, 23.

99. *Ecquis*, an quis; conf. Bacchid. II, 3, 1. N.

100. *Ei rei primum prævorti*. Id agere primum volo, sc. ut te dimittam. N.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

ERGASILUS.

Miser homo'st, qui ipse sibi, quod edit, quærit, et id ægre invenit;
Sed ille est miserior, qui et ægre quærit, et nihil invenit;
Ille miserrumus est, qui quom esse cupit, quod edit, non habet.
Nam, hercle, ego huic diei, si liceat, oculos ecfodiam lubens,
Ita malignitate oneravit omneis mortaleis mihi.
Neque jejuniosiorem, neque magis ecfertum fame
Vidi, nec quoi minus procedat, quidquid facere obceperit.
Itaque venter gutturque resident esuriales ferias.
Ilicet parasiticæ arti maxumam in malam crucem!

1. *Edit*, edat. N.

3. *Esse*, edere. Tria miseriæ discrimina: primo ægre invenire quod edas, dein non invenire, neque tamen dum esurire, postremo esurientem nil habere quo vescaris. N.

4. *Oculos ecfodiam*. Lucem eripiam: tralatio comica. Lamb.

5. *Malignitate oneravit*, etc. Ita omnes homines reddidit in me illiberales et malignos. Lamb.

6. *Jejuniosiorem... ecfertum fame*. Ridicula hypallage, qua suammet famem diei attribuit, et « effertum fame » dixit eodem fere modo, quo, Aul. I, 2, 6, Euclionis ædes sunt « oppletæ inaniis ». Lamb.

7. *Nec quoi minus proc*. Persequitur hypallagen. Vulgatæ dant *qui* antique positum pro *quo*; sed opus est mutato *obceperit* in *obceperis*, aut subaudito *quisque*.

8: *Resident esuriales. Residere* et *sedere*, interdum est quiescere, et a rebus agendis supersedere, quod feriis et festis diebus licebat. « Resident » igitur « esuriales ferias », dixit Plautus, pro eo quod est, agitant ferias, quæ Esuritioni sunt dicatæ: quod nihil aliud est, quam quiescunt et cessant ab edendo et bibendo. Turn.

9. *Ilicet*, compendium τοῦ *ire licet*. Hoc verbo, præco; re trans-

Ita juventus jam ridiculos inopesque ab se segregat.
Nihil morantur jam Laconas imi subselli viros,
Plagipatidas, quibus sunt verba sine penu et pecunia.
Eos requirunt, qui lubenter, quom ederint, reddant domi.
Ipsi opsonant, quæ parasitorum ante erat provincia.
Ipsi de foro tam aperto capite ad lenones eunt,
Quam in tribu aperto capite sonteis condemnant reos.
Neque ridiculos jam terunci faciunt: sese omneis amant.

acta, judices de consilio, vel de concione populum dimittebat. Per metaphoram de rebus ad finem perductis vel desperatis hoc dicebant. Cf. Ter. Eunuch. I, 1, 9, Donat. ad Phorm. I, 4, 30; eaque locutio, sicut *videlicet* atque similia, easdem syntaxes trahebat, quas dictio « licet ire », ut videre est hoc loco et Cistell. IV, 2, 17. Sensus: « ars nostra in crucem abeat ». N.

10. *Ridiculos. Ridiculus* γελωτοποιὸς, qui risum captat. Gronov. — *Inopesque.* Eruditi multi editores delent *que*. N.

11. *Nihil morantur*, aspernantur. — *Imi subselli viros*, qui adsident mensæ imo subsellio. Subsellium minus commodum fuit, quam lectus. Cf. Stich. III, 2, 32; V, 4, 21. Namque non ita pridem ante Plauti ætatem mos fuerat Romanis sedentibus cœnare, non cubantibus; et adhuc subsellium vilioribus personis dabatur. Sed, Horatio florente, e tricliniariis subsellia jam fuerant sublata, et derisor imo lecto accumbebat. — *Plagipatidas laconas.* Iis enim spartana virtute, iis pectore firmo ad perferendas plagas fuit opus. Forte alludit ad verberationem puerorum Lacedæmoniorum. Horat. Od. I, 7, 10: « Me neque tam patiens Lacedæmon ». Vid. sup. I, 1, 20. — *Quibus sunt verba*, etc. Penus est omne id quo vescuntur homines, et quod intus reconditur. Gell. IV, 1. At parasitis verba pro penu et pecunia erant; in verbis omnia. Audi Saturionem enumerantem suas divitias, Pers. III, 1, 64-68. N.

13. *Requirunt*, ad cœnam vocant. Lambin. — *Qui lubenter*, etc. Vulgo ita distinguunt « qui, lubenter quom ederint, red. domi », et enarrant *lubenter* quasi *jucunde*, Cicerone de Finibus, II, 8, vocato in partes. At *lubenter* sensu recto intelligere magis placet. N.

14. *Opsonant*, ad macellum eunt obsonia emptum. Hic tum mos fuit vel divitibus. Cf. Mil. I, 3, 154; Aul. II, 4, 1. N.

15. *De foro*, ipso in foro, i. e. loco celebratissimo. N. — *Aperto capite*, id est, sine pudore, confidenter. Contra, « operto capite ». Grut. — *Ad lenones eunt.* Jure suo indignatur Ergasilus; nam antea parasitis ad hujusmodi negotia internunciis utebantur. Conf. Asin. IV, 1; Curcul. II, 3. N.

16. *In tribu*, quum habentur comitia populi. N.

17. *Neq. ter. faciunt*, i. e. minimi faciunt. *Teruncius* a tribus unciis dictus, inquit Varro. Quarta pars

Nam ut dudum hinc abii, adcessi ad adolescenteis in foro.
Salvete, inquam : Quo imus una, inquam, ad prandium?
Atque illi tacent.
Quis ait hoc? aut quis profitetur? inquam. Quasi muti silent,
Neque me rident. Ubi cœnamus? inquam. Atque illi abnuunt.
Dico unum ridiculum dictum de dictis melioribus,
Quibus solebam menstrualeis epulas ante adipiscier;
Nemo ridet : scivi extemplo rem de conpacto geri.
Ne canem quidem inritatam voluit quisquam imitarier;
Saltem, si non adriderent, denteis ut restringerent.
Abeo ab illis, postquam video me sic ludificarier.

assis. Lamb. — *Sese omneis amant.* Gallice, *ce sont des avares, des égoïstes*. Cf. I, 2, 19. N.

18. *Ut dudum*, quum nuper. N.

19. *Atque*, simul. N.

20. *Quis ait hoc?* Gulielmus *hoc* positum pro *huc* censet, atque interpretatur : « quis respondet huc, i. e. ad me ». Bothius etiam *huc* in textum recepit. Sed poterit quoque explicari oratio : « Quis ait hoc, quod peto, i. e. annuit mihi prandium petenti ». — *Quis profitetur* hoc, sc. ubi cœnemus. N.

21. *Neque me rident*, neque mihi arrident. Eodem modo Virg. Æn. IV, 62 : « Qui non risere parentes ». *Ridere parentes*, est ridere ad parentes; ut infantes, quibus blandiuntur nutrices. Scal.—*Atque illi abn.* Continuo significant nutu capitis, se nusquam cœnatum ire. Lamb.

23. *Menstrualeis epulas*, quæ mihi in mensem satis essent. Lamb.

24. *De conpacto. Compacto* (vel *compecto*, scribendi ratione tunc tralatitia, a *compeciscor*), ἐκ συνθήματος · merum Latium. Usus Livius lib. V, 11, et Cicero ipse ad Atticum, X, 13. Lips. — *De compacto geri.* « De compacto rem gerere », et « compacto rem agere », inf. vs. 29, dicitur de duobus pluribusque eodem prorsus modo loquentibus aut agentibus, ita ut aut convenisse inter eos antea, quid agerent, appareat, aut certe convenisse videatur. Livius dicit etiam eodem significatu, « ex composito », lib. III. Virgilius vero simpliciter *composito*. Gron.—*Un complot*. N.

25. *Inritatam.* Hunc versum sequens explicat : « denteis ut restringerent ». N.

26. *Denteis ut restringerent.* Est leviter riderent : risuri habitum figurarent, sic ut labellis disclusis dentes ostenderent. Quintil. Decl. XII : « Inter horrorem ac famem restrictis labris morsus abrupimus ». Apuleius in Apologia : « Ne qua visatur tetra labes sordium, Restrictis forte si labellis riseris ». Gron.—*Ut restring*. forma optandi.

Pergo ad alios, venio ad alios, deinde ad alios: una res.
Omneis conpacto rem agunt, quasi in velabro olearii.
Nunc redeo inde, quoniam me ibi video ludificarier.
Item alii parasiti frustra obambulabant in foro.
Nunc barbarica lege certum'st jus meum omne persequi.
Qui consilium iniere, quo nos victu et vita prohibeant,
His diem dicam, inrogabo multam, ut mihi cœnas decem
Meo arbitratu dent, quom cara annona sit; sic egero.
Nunc ibo ad portum hinc; est illic mi una spes cœnatica.
Si ea decolabit, redibo huc ad senem, ad cœnam asperam.

29. *Velabro olearii.* Sicut ii, qui oleum vendunt, communi pacto et pretio id vendunt. Velabrum locus Romæ juxta Aventinum montem. Hoc loco prostabant omnia, quæ ad victus rationem et delicias pertinebant. Lamb. — Cf. Curcul. IV, 1, 22. Hujus proverbialis figuræ similis prorsus quædam gallica lingua circumfertur. N.

32. *Barbarica*, i. e. romana. Cf. Asin. prol. 11. Innuit profecto legem aliquam, de qua mentio non exstat, adversus eos latam, qui consilium inissent, ut annonæ difficultate pretia augerent, populumque romanum vita victuque prohiberent. Neque assentiendum doctis viris, qui putant nullam hujusmodi legem unquam Romæ fuisse. At certe ab ædilibus frumentarios sæpe damnatos T. Livius testatur. Neque Plauto insolens, inducere personas ridiculas verba solemnia legum romanarum loquentes, immo sapienter de legibus disceptantes. Vide Pers. I, 2. N.

34. *Inrogabo multam.* Ego damnatos faciam, ut multam solvant. Omnia enim illius generis crimina multa coercebantur, rogata ab accusatore. Unde multatitia pecunia sæpe apud historicos nominatur. N.

37. *Si ea decolabit.* Ita scribendum, non *decollabit.* Id est, in irritum abierit. N. — *Decolare* natura sua est activum, idemque quod « per colum transmittere », sed intelligitur hic pronomen *se:* sic igitur *spes decolat*, nempe se ipsam, quæ defluit, interit, sublabitur. Conf. Varro de R. R. I, 2. Sic Noster Casin. II, 4, 28: « Si sors autem decolassit ». Quod interpretatur ipse II, 6, 47: « Ista in sortiendo sors delicuerit », id est, liquefacta fuerit. Aliud est *decollare*, Cæcil. apud Nonium, pro, de collo deponere: « Habes, vide, tibi tradidi, in tuo collo est, decolles cave ». Et *decollare* pro capite truncare, seu cervices præcidere, apud Senecam et Suetonium huc nihil pertinet. Gron.*

SCENA SECUNDA.

HEGIO, ARISTOPHONTES.

HEG. Quid est suavius, quam bene rem gerere bono publico? sicut ego feci heri,
Quom emi hosce homines. Ubi quisque vident, eunt obviam,
Gratulanturque eam rem. Ita me miserum restitando
Retinendoque lassum reddiderunt.
Vix ex gratulando miser jam eminebam.
Tandem abii ad prætorem, ibi vix requievi; rogo syngraphum,
Datur mihi, inlico dedi Tyndaro; ille abiit domum.
Inde inlico revortor domum, postquam id actum 'st. Eo

1. *Quid est suavius*, etc. Valde laborat hujus scenæ versificatio, quam dum restituere docti varie laborant, verba torquent, neque inter se consentiunt; itaque vulgatis acquievimus. — *Bene rem gerere bono publico*. Privatis suis commodis consulere simul et publicis. Quærunt quid sit, quo publica cum suis commoda Hegio conjunxerit. Scilicet, quum auctione captivos emeret, ditavit ærarium, dum commutationem filii procuravit. N.

2. *Quisque*, alius post alium. N.

3. *Eam rem*, quod cum Philocrate certe mutare possit Hegio filium. At quis hoc vulgavit jam? servi, vicini, familiares. Quid rumoribus volucre magis? N. — *Restitando*. Dum ipsi crebro mecum consistunt. LAMB.

5. *Eminebam*, vix emergebam e fluctibus gratulantium pæne obrutus. N.

6. *Vix requievi*, tandem paululum requiescere datum. N.

7. *Abiit domum*, in herilem patriam, Elidem. N.

8. *Inde inlico revortor domum*. Videtur distinguendum: « Inde inlico revortor: domum, postquam id actum est, eo ». Neque enim, etsi brevius hæc dici potuissent, ideo plebeia μακρολογία sic quoque dici non posse necesse est. Tale, quod in Livio notarunt Veteres: « Legati non impetrata pace retro, unde venerant, domum reversi sunt ». GRON. — Aut Plautus sui hic oblitus, leges œconomiæ migravit, aut illa duo sunt additamenta audacissima: « Inde inlico revortor domum », et « inde abii »: quum in nullis etiam edd. appareant. Lego itaque: « Rogo syngraphum. Datur mihi: inlico dedi Tyndaro: ille abiit domum. Postquam id actum est, eo Protinus ad fratrem,

Protenus ad fratrem inde abii, mei ubi sunt alii captivi.
Rogo, Philocratem ex Alide ecquis omnium gnoverit?
Tandem hic exclamat, eum sibi esse sodalem; dico esse eum
Apud me; hic extemplo orat obsecratque, eum sibi ut liceat
Videre; jussi inlico hunc exsolvi. Nunc tu sequere me,
Ut quod me oravisti, inpetres, eum hominem ut convenias.

(egrediuntur.)

SCENA TERTIA.

TYNDARUS.

Nunc illud est, quom me fuisse, quam esse, nimio mavelim;
Nunc spes, opes auxiliaque a me segregant, spernuntque se.
Hic ille'st dies, quom nulla vitæ meæ salus sperabili'st,
Neque exsilium exitio'st, neque adeo spes, quæ mi hunc abspellat metum:

mei ubi sunt alii captivi ». Acid. — *Inde inlico*, etc. Hæc multis, æque ac Acidalio, videntur ita orationem interturbare, ut delenda censeant. Quibus non assentimur, freti MSS, neque cum Gronovio distinctionem mutandam credimus. Namque hoc loco « revortor domum » est « regredior, viam ineo redeundi domum », non « domum redux introeo ». Et vs. 8 *eo* adverbium videtur esse, qualiter sæpissime a Plauto usurpatur. Vide inf. IV, 2, 57. Sententia erit: Inde (a prætore) incipio rev. d. postquam, etc. Eo (igitur) inde protinus (a prætore statim) ad fratrem abii, etc. N.

10. *Hic*, Aristophontes. N.

12. *Hic extemplo orat*, etc. Hinc magna rerum mutatio, hinc turbæ ingentes. Vires acquirit eundo fabula. N.

1. *Nunc illud est* tempus. Similis ellipsis apud Terent. Adelph. III, 2, 1. Cf. Casin. III, 2, 1. N. — *Quom me fuisse.* Quem auctores εὐφημοῦντες volebant dicere *mortuum*, dicebant, *vixit*. Ut Cicero de conjuratis: *vixerunt.* Virg. Æn. II, 325: « fuimus Troes, fuit Ilium ». Pass. — Conf. Bacch. I, 2, 43. Planius Trucul. V, 1, 34: « mortuum, hercle, me duco satius ». N.

2. *Segregant, spernuntque. Segregant*, est velut interpretamentum verbi subsequentis. Nam *spernere* disjungere et segregare est. Ennius: « Melius est virtute jus; nam sæpe virtutem mali Nanciscuntur; jus atque æquum se a malis spernit procul ». Douza.

4. *Neque exsilium exitio 'st.* Quasi dicat: Neque ullus locus est, quo profugiens possim exitium decli-

[Nec subdolis mendaciis mihi usquam mantelum 'st meis.]
Nec sycophantiis, nec fucis ullum mantelum obviam 'st.
Neque deprecatio perfidiis meis, nec malefactis fuga 'st.
Nec confidentiæ usquam hospitium 'st, nec divorticulum dolis.
Operta quæ fuere, aperta sunt, patent præstigiæ,
Omnis res palam 'st; neque de hac re negotium 'st, quin male
Obcidam, obpetamque pestem heri vicem meamque.
Perdidit me Aristophontes hic, qui intro venit modo.
Is me gnovit, is sodalis Philocrati et cognatus est.
Neque jam Salus servare, si volt, me potest, nec copia 'st:

nare. Paullo post *fugam* dixit, quod hic *exsilium*. Lamb.—Ego legebam, « auxilium exitio est ». Quasi dicat: Nullum præsto est auxilium, quo minus in exitium ruam. Dissald. — Ni fallor, hoc loco non residet in vulgato sensu nomen *exsilium*, et ambigue allusisse Plautus voluit ad verbum *exsilire*, i. e. quomodo ab exitio exsiliam, evadam. N.

5. *Mantelum 'st.* Mutat Lambinus auctoritate MSti: *integumentum*, ne fiat insulsa repetitio in vs. seq. Sed hoc olet glossam. Osannus versum omnem spurium pronuntiat, ex variis recensionibus conflatum, Bothius expungit; quibus libens assentior. N.

6. *Mantelum.* Vulgatæ *mantellum*, et eruditi interpretantur genus pallii aut velamenti; unde translate prætextus, integumentum pravæ rei. Sed nusquam mantelum vel mantellum hoc sensu apud Veteres comparet. Varro lib. V de Ling. Lat. « Mantelum, quasi manuterium, ubi manus tergentur ». Ille est hujus loci verus interpres, quem ipse Gronovius non infitiatur, dum sit mantelum stragula mensaria, et inde metaphora eadem, cooperimentum. Sed poteris mantelum metaphoram vertere ad abstersionem: « Neque mihi est quo modo dictis abstergam sycophantias ». Nam Lucilius mantela cæteris instrumentis mensariis annumerat, et Servius hunc Plauti versum laudat ad Virg. Georg. IV, 377: « Tonsisque ferunt mantelia villis » N.

8. *Nec conf. u. h.* Neque ubi quiescat confidentia mea locus est, neque quo se recipiant doli. N.

10. *Neque de hac re neg.* Ex hac re, quidquid agam, nihil potest emergere, quin (ut non) inteream.

11. *Obpetamque pest.* Pestem oppetere Plautinum est, pro obire mortem. Asin. I, 1, 7.—*Heri vicem meamque*, pro hero et pro me pœnas doli, quas ambo debemus, solus persolvam. N.

14. *Neque jam Salus servare... potest.* Locutio proverbialis. Terent. Adelph. IV, 7, vs. ult. « Ipsa, si cupiat, Salus, servare prorsus non potest hanc familiam ». N.

Nisi si aliquam corde machinor astutiam.
Quam? malum! quid machiner? quid comminiscar? maxumas
Nugas ineptiasque incipisso : hæreo.

SCENA QUARTA.

HEGIO, TYNDARUS, ARISTOPHONTES.

HEG. Quo illum nunc hominem proripuisse foras se dicam ex ædibus?

TYND. Nunc enim vero ego obcidi; eunt ad te hosteis, Tyndare. Quid loquar?
Quid fabulabor? quid negabo? aut quid fatebor? mihi
Res omnis in incerto sita'st, quid rebus confidam meis.
Utinam te Di prius perderent, quam periisti e patria tua,
Aristophontes, qui ex parata re inparatam omnem facis.
Obcisa est hæc res, nisi reperio atrocem mihi aliquam astutiam.

HEG. (ad Aristophontem) Sequere : hem tibi hominem (Tyndarum demonstrat); adi, atque adloquere. TYND. Quis homo 'st me hominum miserior?

15. *Malum*, exclamatio indignantis. Conf. Amph. I, 1, 247. N.

17. *Nugas ineptiasque*, irrita vanaque conor. N.

* Inter facetissimos Plautini ingenii lusus, hæc profecto tum concitata actuum hilaritate, tum naturali sermonis lepore jucundissima scena fertur; quam Regnardus in Reditu inexpectato sedulo imitatus est, scen. 18. N.

1. *Quo illum nunc*, etc. Quo abiit ille, i. q. quid est cur abierit præcipitanter. — *Illum hominem*, quem quæro. Sic innominatum quærimus gallice : « *Où est-il?* » Eadem figura dicendi Trinum. II, 2, 1. N.

2. *Eunt*, veniunt. Bacch. V, 2, 67.

5. *Periisti e patria. Perire* de amissis vel rebus vel personis dicitur. Utinam dii te perderent, antequam patriæ ereptus fuisti ab hostibus, et huc adductus! Rud. Prol. 39 : « Huic filiola virgo periit parvola », i. e. rapta est. Terent. Eun. III, 3, 15, « ecqua inde parva periisset soror ». N.

6. *Qui ex parata re*, omnia composita conturbas. Boxh.

7. *Atrocem*, intrepidam, ex ingenio quod nihil frangat. Sic atrocem Catonis animum laudavit Horatius od. II, 1. Sic fidem atrocem Saguntinorum Silius, VI, 377. N.

ARIST. Quid istuc est, quod meos te dicam fugitare oculos, Tyndare?
Proque ignoto me abspernari, quasi me nunquam gnoveris?
Equidem tam sum servos, quam tu; etsi ego domi liber fui,
Tu usque a puero servitutem servivisti in Alide.
HEG. Edepol, minume miror, si te fugitat, aut oculos tuos,
Aut si te odit, qui istum adpelles Tyndarum pro Philocrate.
TYND. Hegio, hic homo rabiosus habitus est in Alide.
Ne tu, quod istic fabuletur, aureis inmittas tuas.
Nam istic hastis insectatus est domi matrem et patrem.
Et illic isti, qui sputatur, morbus interdum venit.
Proin' tu ab istoc procul recedas. HEG. Ultro istum a me. ARIST. Ain', verbero,
Me rabiosum? atque insectatum esse hastis meum memoras patrem?
Et eum morbum mihi esse, ut quî me opus sit insputarier?
HEG. Ne verere; multos iste morbus homines macerat,
Quibus insputari saluti fuvit, atque iis profuit.

9. *Quod te dicam fugitare*, circuitus pro simplice «ob quod fugias». Cf. v. 1. N.

12. *Tu u. a puero*, etc. Hæc pars quoque orationis subjicitur τῷ *etsi*, supplenda conjunctione *autem*. N.

16. *Aureis inmittas*, i. e. in aures admittas. Cf. Epid. III, 1, 14. N.

18. *Qui sputatur.* Plinius, lib. X, cap. 23, et lib. XXVIII, cap. 3, disertissimis verbis monstrat, *epilepsiam* eum fuisse morbum, qui desputabatur. MERCUR.— *Illic*, ille morbus. N.

19. *Ultro*, i. e. procul, subaudito «arceri volo». Amphitr. I, 1, 164; Casin. II, 8, 23. N.

21. *Ut quî.* Pleonasmus more Plautino. Cf. Asin. III, 1, 2; Bacch. II, 3, 49. — *Quî*, adverb. quapropter. —*Me opus sit insputarier*, in me sputum immitti. Sputo non modo prohiberi, sed etiam sanari hunc morbum antiqui credidere. Huc pertinent verba Apuleii, Apol. 1, ad comitialem morbum alludentis: «Imo enim, si verum audire velis, Æmiliane, tu potius caducus, qui jam tot calumniis cecidisti, neque enim gravius est corpore, quam corde, collabi... in cubiculo despui, quam in splendissimo cœtu detestari». Vid. v. 23. LAMB. — Ea, credo, verborum proprietas: qui *despuebant* hunc morbum, a se prohibebant, ne ingrueret vel contagione vel malis verbis. Qui autem curare hunc volebant, *inspuebant* in ægrotum. N.

23. *Ne verere*, etc. Profecto rictum spectantium risu diducebat

ARIST. Quid tu autem, etiam huic credis? HEG. Quid ego credam huic? ARIST. Insanum esse me?
TYND. Viden' tu hunc, quam inimico voltu intuetur? concedi optumum 'st.
Hegio, fit quod tibi ego dixi; gliscit rabies: cave tibi.
HEG. Credidi esse insanum extemplo, ubi te adpellavit Tyndarum.
TYND. Quin suum ipse interdum ignorat nomen, neque scit qui siet.
HEG. At etiam te suum sodalem esse aibat. TYND. Haud vidi magis.
Et quidem Alcmæo atque Orestes et Lycurgus postea
Una opera mihi sunt sodaleis, qua iste. AR. At etiam, furcifer,
Male mi loqui audes? non ego te gnovi? HEG. Pol, planum id quidem 'st
Non gnovisse, qui istum adpelles Tyndarum pro Philocrate.
Quem vides, eum ignoras; illum nominas, quem non vides.
ARIST. Imo iste eum sese ait, qui non est, esse; et, qui vero est, negat.

boni Hegionis commiseratio, qui solari Aristophontem ob morbum conabatur, et eum benevolo affatu cruciabat, ipse semet ludificatus. — *Fuvit, atq. iis prof.* Vulgatis, « atque Aliis (i. e. Eliensibus) profuit». Et hæc quidem Tyndaro attributa, quasi : « et in Alide quoque hoc remedium profecit ». Sed neque MSS, neque metrum hanc lectionem comprobant. BOSSCHA ponit « atque illis ». Lambinus vult *aliis* non absonum, i. e. atque etiam aliis, quam ægrotis profuit, iis videlicet qui hunc morbum metuebant. Sed Bothiana lectio nobis visa est cæteris probabilior. N.

25. *Concedi.* Tutissimum est ut concedatur, i. e. nos illinc concedamus. Lambin. interpretatur cedendum insanire incipienti. Nostra stamus sententia. Cf. Bacch. IV, 2, 28; Epid. V, 2, 16; Men. V, 9, 27. N.

29. *Haud vidi magis*, i. e. haud vidi quemquam magis sodalem. Locutio est familiaris ironice negantium; ita ut quæ negantur ante dicta, vel tum repetantur, ut Amphit. II, 2, 47, vel intelligantur, ut Pœn. I, 1, 15, et h. loc. N.

30. *Alcmæo*, filius Amphiarai et Eriphyles. — *Lycurgus*, Dryantis filius, regis Edonum, ob nutrices Bacchi hostiliter exagitatas factus amens a deo. Tres insanos nobilissimos memorat: quos eodem modo sibi dicit sodales esse, atque istum.

31. *Una opera*, i. q. eadem opera,

TYND. Tu enim repertus, Philocratem qui superes veriverbio!
ARIST. Pol, ego ut rem video, tu inventus, vera vanitudine
Qui convincas. Sed quæso, hercle, agedum, adspice ad me. TYND. Hem. ARIST. Dic modo,
Te negas Tyndarum esse? TYND. Nego, inquam. ARIST. Tun' te Philocratem esse ais?
TYND. Ego, inquam. ARIST. (ad Hegionem.) Tune huic credis? HEG. Plus quidem, quam tibi, aut mihi.
Nam ille quidem, quem tu esse hunc memoras, hodie hinc abiit Alidem
Ad patrem hujus. ARIST. Quem patrem, qui servos est? TYND. Et tu quidem
Servos, et liber fuisti, et ego me confido fore;
Si hujus huc reconciliasso in libertatem filium.
ARIST. Quid ais, furcifer? tun' te gnatum memoras liberum?
TYND. Non equidem me Liberum, sed Philocratem esse aio. ARIST. Quid est?
Ut scelestus, Hegio, nunc iste te ludos facit!
Nam is est servos ipse, neque præter se unquam ei servos fuit.

æque. Conf. Bacchid. I, 1, 15. N.

36. *Tu enim repertus*, etc. Scilicet tu is es, qui Philocratem vera dicendo superes. Philocrates enim eadem affirmavit, quæ nunc Pseudo-Philocrates affirmat. N.

37, 38. *Vera van. Qui convincas*, qui ea, quæ vera sunt, vanis dictis, mendaciis convincas, redarguas. N.

41. *Ille*, Tyndarus. N.

42. *Quem patrem*, an patrem hujus nominas, qui servus est? Namque servus res erat, non persona, antiquo jure, immo injuria, neque patrem habebat. Cf. Casin. II, 5, 11, « quam tu uxorem? » N.

43. *Servos* nunc es. — *Me confido fore* liberum. N.

44. *Hujus*, Hegionis. — *Reconciliasso*, reconciliavero. Cf. I, 2, 65. Omnia hæc vere dicit sibi, cf. II, 3, 35-40; at mentitur Hegioni et Aristophonti. N.

45. *Quid ais?* Conf. II, 2, 39. N.

46. *Liberum*. Ludit in ambiguitate vocis, quæ deum quoque viticolam significat. Etiam alia ambiguitas verbis inest; namque respondet non liberum esse Philocratem, quando captus sit. N.

47. *Te ludos facit*; cf. Aulul. II, 2, 75. N.

TYND. Quia tute ipse eges in patria, nec tibi, quî vivas, domi 'st,
Omneis inveniri simileis tibi vis; non mirum facis.
Est miserorum, ut malevolenteis sint atque invideant bonis.
ARIST. Hegio vide, sis, ne quid tu huic temere insistas credere.
Atque, ut perspicio, profecto jam aliquid pugnæ edidit.
Filium tuum quod redimere se ait, id neutiquam mi placet.
TYND. Scio te id nolle fieri: efficiam tamen ego id, si Di adjuvant.
Illum restituam huic, hic autem in Alidem me meô patri.
Propterea ad patrem hinc amisi Tyndarum. ARIST. Quin, tute is es,
Neque præter te in Alide ullus servos istoc nomine 'st.
TYND. Pergin' servom me exprobrare esse, id quod vi hostili obtigit?
ARIST. Enimvero jam nequeo contineri. TYND. Heus? audin' [quid ait]? quin fugis?
Jam illic heic nos insectabit lapidibus, nisi illum jubes
Conprehendi. ARIST. Crucior. TYND. Ardent oculi; fune opu'st, Hegio.
Viden' tu illi maculari corpus totum maculis luridis?

49. *Eges*, pauper es. — *Quî vivas*, unde victus tibi suppetat. N.

51. *Bonis*, i. e. divitibus. Conf. Curcul. IV, 1, 14; Pseudol. IV, 4, 19. Præcipui opulentia dicuntur etiam in legibus Barbarorum boni homines. Namque veteres juxta et recentiores populi semper hoc nomine sic abusi sunt. Cf. Epist. Cic. ad Attic. VIII, 1. N.

53. *Aliquid pugnæ edidit.* Aliquid jam machinatus est. LAMB. — Cf. Bacch. II, 3, 39. N.

54. *Redimere*, i. e. redempturum esse. N.

55. *Scio*, arbitror. Cf. IV, 2, 9, et Asin. II, 2, 111. — *Te id nolle fieri*, id tibi displicere. Maligne interpretatur id quod Aristophontes, v. 54, dixit, ita ut suspectum ingratumque illum Hegioni filii reditum summopere cupienti faciat. N.

57. *Quin, tute is es*, immo tu ipse es Tyndarus. N.

60. *Quid ait?* Hæc uncis inclusimus, ut jure suspecta, quippe quæ glossema τοῦ *audin'* videantur, et versum justo longiorem faciant: BOSSCHA expunxit. N.

62. *Fune*, quo delirans vinciatur.

Atra bilis agitat hominem. ARIST. At, pol, te, si hic sapiat senex,
Atra pix agitet apud carnuficem, tuoque capiti inluceat.
TYND. Jam deliramenta loquitur; larvæ stimulant virum.
HEG. Hercle! quid si hunc conprehendi jusserim? TYND. Sapias magis.
ARIST. Crucior lapidem non habere me, ut illi mastigiæ
Cerebrum excutiam, qui me insanum verbis concinnat suis.
TYND. Audin' lapidem quæritare? AR. Solus te solum volo,
Hegio. HEG. Istinc loquere, si quid vis; procul tamen audiam.
TYND. Namque, edepol, si adbites propius, os denasabit tibi
Mordicus. ARIST. Neque, pol, me insanum, Hegio, esse creduis,
Neque fuisse unquam, neque esse morbum, quem istic autumat.
Verum, si quid metuis a me, jube me vinciri; volo,
Dum istic itidem vinciatur. TYND. Imo enim vero, Hegio,
Istic, qui volt, vinciatur. ARIST. Tace modo: ego te, Philocrates
False, faciam, ut verus hodie reperiare Tyndarus.
Quid mi abnutas? TYND. Tibi ego abnuto? (ad Hegionem.) Quid agat, si absis longius?

64. *Atra bilis.* Cf. Amphit. II, 2, 95. N.

65. *Atra pix*, qua fervente cruciabantur sontes et malefici. Lucret. III, 1030, « Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tædæ ». LAMB.

66. *Deliramentum.* Cf. Amph. II, 2, 64. — *Larvæ*, ibid. 145. N.

69. *Concinnat.* Cf. Amph. I, 3, 31. N.

70. *Audin' lapid. quæritare?* Non cogitans, dum ira exardescit, comprobare videtur Aristophontes, quæ v. 61 Tyndarus dixerat. Atque hæc non artificio composita credas, sed ex ipsa rerum serie nata. N.

71. *Procul tamen*, etiam procul audire te potero; ne aggrediare. N.

72. *Adbites.* Vide supra II, 3, 20. N.

74. *Autumat*, dicit. N.

76. *Imo enim vero.* Etiam sine adjectione *vero* simplex *imo* est adversantis. Bacch. I, 2, 38. N.

79. *Quid mi abnutas?* Videlicet Tyndarus, non vidente Hegione,

HEG. Quid ais? quid si adeam hunc insanum? TYND. Nugas. Ludificabitur.
Garriet quod neque pes unquam, neque caput conpareat.
Ornamenta absunt; Ajacem, hunc quom vides, ipsum vides.
HEG. Nihili facio, tamen adibo. TYND. (secum.) Nunc ego omnino obcidi,
Nunc ego inter sacrum saxumque sto; nec, quid faciam, scio.
HEG. Do tibi operam, Aristophontes, si quid est, quod me velis.
ARIST. Ex me audibis vera, quæ nunc falsa opinare, Hegio.
Sed hoc primum me expurgare tibi volo, me insaniam
Neque tenere, neque mi esse ullum morbum, nisi quod servio.
At ita me rex deorum atque hominum faxit patriæ conpotem,

Aristophontem nutu monebat, ne pergeret vera enarrare.—*Quid agat*, quæ mendacia comminisceretur, quando te præsente, vidente, sic falsa objicit. N.

80. *Quid ais?* Cf. sup. 45. Nunc vera suspicari senex incipit, et consulit ironice Pseudo-Philocratem. *Nugas. Ludificabitur*, id est, nugas egeris, nil proficies. Ludificabitur te. Vulgatæ distinctionem tollunt: «Nugas ludificabitur», minus latine et comice. Conf. Curcul. I, 3, 43. N.

81. *Quod*, perperam, ait Gronovius, Lambinus *quo*, Acidalius *quoi* voluere. Ellipsis est præpositionis *ad* vel *in*. De hoc proverbio, conf. Asin. III, 3, 139; Cic. Epist. ad Div. VII, 31: «res ita contractæ, ut nec caput nec pedes». BOSSCHA.

82. *Ornamenta absunt; Ajacem*, etc. Hunc quum vides, inquit, Ajacem ipsum vides. Hoc uno excepto quod non ornatus est, nec indutus, ut Ajax, cætera Ajaci similis est. SALM. — *Ornamenta*, gall. *costume*. Cf. Curcul. IV, 1, 3; Pers. I, 3, 79. N.

84. *Inter sacrum saxumque sto*, id est, in præsentissimo atque inevitabili periculo sum, quod dicunt alias «inter malleum et incudem»; ubi scilicet quod est, fieri non potest, quin feriatur. *Sacrum* est hic idem, quod sacrificium, victima; *Saxum*, quo victima feritur ex antiquissimo veterum more. Liv. I, 24: «Id ubi dixit, porcum saxo silice percussit». Nam porcus hic pro sacro est, seu victima. GRON.

85. *Do tibi operam*, audio. Conf. Prol. 5. — *Me velis* alloqui. Cf. V, 2, 24. N.

89. *Ita me rex deorum*, etc. For-

Ut istic Philocrates non magis est, quam aut ego, aut tu. HEG. Eho! dic mihi,
Quis igitur ille 'st? ARIST. Quem dudum dixi a principio tibi.
Hoc si secus reperies, nullam causam dico, quin mihi
Et parentum et libertatis apud te deliquio siet.
HEG. (ad Tyndarum.) Quid tu ais? TYND. Me tuum esse servom, et te meum herum. HEG. Haud istuc rogo.
Fuistin' liber? TYND. Fui. ARIST. Enimvero non fuit, nugas agit.
TYND. Quî tu scis? an tu fortasse fuisti meæ matri obstetrix,
Qui id tam audacter dicere audes? ARIST. Puerum te vidi puer.
TYND. At ego te video major majorem; hem rursum tibi!
Meam rem non cures, si recte facias; num ego curo tuam?
HEG. Fuitne huic pater Thesaurochrysonicochrysides?
ARIST. Non fuit; neque ego istuc nomen unquam audivi ante hunc diem.
Philocrati Theodoromedes fuit pater. TYND. Pereo probe.

mula obtestationis. Cf. Bacchid. I, 2, 3. Eadem figura obtestabantur res humanas. Conf. Mostell. I, 3, 25. N.

92. *Nullam causam dico*, non recuso. LAMB. — Cf. Amph. II, 2, 222. N.

93. *Deliquio siet. Deliquio*, deliquionis, idem quod deliquium, ut *obsidio* et obsidium, *contagio* et contagium. Et sic alia sexcenta. SALM.— Robertus Stephanus in tertio casu accepit duriuscula syntaxi. De hujusmodi nominibus utroque terminantibus, cf. luculenta Bosschæ adnotatio h. vers. N.

95. *Fui.* Verum dicit imprudens: est enim Hegionis filius. LAMB. — *Nugas agit*, vana loquitur. N.

96. *Quî tu scis? an tu*, etc. Ita fere celebratissimus tonsor in nostratibus scenis, fabula de Matrimonio suo, eludit negantem, quod ipse nobili loco ortus sit. N.

98. *Hem rursum tibi*, sic tibi repono. *Hem tibi*, vel solum, vel cum nomine, quarto casu apud Nostrum sæpissime est præbentis, offerentis aliquid, hac sc. 8; Trucul. V, 1, 69; vel ictum alicui impingentis, Asin. II, 4, 25; Curcul. I, 3, 39; V, 2, 26, et subauditur aut *accipe*, aut *do*, *reddo*, aut quid simile. N.

Quin quiescis, dierectum cor meum! i, ac suspende te.
Tu subsultas, ego miser vix adsto præ formidine.
HEG. Satin' istuc mihi exquisitum 'st fuisse hunc servom in Alide?
Neque esse hunc Philocratem? ARIST. Tam satis, quam nunquam hoc invenies secus.
Sed, ubi is nunc est? HEG. Ubi ego minume, atque ipsus se volt maxume.
Tum igitur ego deruncinatus, deartuatus sum miser,
Hujus scelesti technis; qui me, ut lubitum 'st, ductavit dolis.
Sed vide, sis. ARIST. Quin exploratum dico et provisum hoc tibi.
HEG. Certon'? ARIST. Quin nihil, inquam, invenies magis hoc certo certius.
Philocrates jam inde usque amicus fuit mihi a puero puer.
HEG. Sed qua facie est tuus sodalis Philocrates? ARIST. Dicam tibi:
Macilento ore, naso acuto, corpore albo, et oculis nigris,
Subrufus, aliquantum crispus, cincinnatus. HEG. Convenit.
TYND. Ut quidem, hercle, in medium ego hodie pessume processerim.

103. *Quin quiescis, dierectum*, etc. Conf. Bacch. IV, 1, 7. — *Suspende te*, abi in malam crucem. Cf. Aul. III, 3, 4. N.

104. *Subsultas.* Misera scurrilitas, indigna nunc loquente. Cordi suo palpitanti maledicit, quod saltet, dum ipse vix membra sustineat præ formidine. Conf. Aul. IV, 3, 3. Quæ furem deceat, ea non decet virum magnanimum joculari. N.

105. *Satin' istuc*, etc. Cf. Amph. II, 2, 1. N.

107. *Is*, Philocrates. — *Ubi ego*, etc. ubi ego minime velim eum esse, ubi se maxime optat esse. N.

108. *Deruncinatus*, a *runcina*, quæ serræ genus est, ut censent critici, ῥυγχάνη Græcis: verbo non inscita translatione, sed vere comica usurpato. TURN. — *Deartuatus*, id est, per artus concisus. NON.—Bosius, διεμελίχθην. GRON.

110. *Vide*, *sis*, sitne istud certum et exquisitum. LAMB.

111. *Certo*, adverb. Sic misere miser, et talia. N.

115. *Convenit*, ita est. Impersonale. Convenit inter tuam descriptionem et faciem Philocratis. N.

116. *Ut quidem*. Lambinus intelligit *ita ut*. Possit et lusus dicendi

Væ illis virgis miseris, quæ hodie in tergo morientur meo.
HEG. Verba mihi data esse video. TYND. Quid cessatis, conpedes,
Currere ad me, meaque amplecti crura, ut vos custodiam?
HEG. Satin' me illi hodie scelesti capti ceperunt dolo?
Illic servom se adsimulabat, hic sese autem liberum.
Nucleum amisi, reliquit pigneri putamina.
Ita mihi stolido sursum vorsum os sublevere obfuciis.
Hic quidem me nunquam inridebit. Colaphe, Cordalio, Corax,
Ite istinc, atque ecferte lora. LOR. Num lignatum mittimur?

ibi esse ad verbum *convenit*, quum Tyndarus statim subjiciat « Ut quidem, etc. » quasi continuet orationem hoc sensu : Convenit (pactum conventum est), ut ego factus fuerim miserrimus. — *In medium procedere*, *venire*, i. q. comparere, præsto esse. N.

117. *Væ illis virgis*, etc. Repente obfirmatus est animo, audaciamque, servili jactatione, eo lepidiore quidem, quo minus exspectata, profitetur. Conf. Asin. II, 2, 52. Sed hæc et sequentia magis ridicula, quam decora tali viro. N. —*Morientur.* Hoc satis explicat, cur « ulmorum Acheruntem » dixerit Amphit. IV, 2, 9, quasi virgarum Orcum et necem. TURN.

119. *Ut vos custodiam?* A contrario sensu, ut « custos carceris » Asin. II, 2, 31. TAUBM.

120. *Capti ceperunt.* Sic Horat. Epist. I, 1, 156 : « Græcia capta ferum victorem cepit ». N.

122. *Nucleum*, edulem partem juglandis. — *Amisi.* Cf. Bacch. IV, 9, 40. — *Putamina*, quidquid a fructu putatur et projicitur. N.

123. *Sursum vorsum*, ἄνω κάτω, omni parte. LAMB. — *Os sublevere.* Sublinere os alicui proverbialiter dicitur pro decipere. Eodem modo gallice *passer la plume par le bec*. N.

124. *Colaphe*, *Cordalio*, *Corax.* Nomina lorariorum ministerio accommoda. Cordalio a græco χορδαλή, i. e. fidiculæ. Κόραξ instrumentum supplicii; unde locutio ἐς κόρακας eadem quæ latine « in crucem ». N.

125. *Lignatum.* Jocus vernilis: Nam lignatum ituri ferebant cum securibus et lora. LIPS.

SCENA QUINTA.

HEGIO, TYNDARUS, ARISTOPHONTES.

HEG. Injicite huic manicas mastigiæ.
TYND. Quid hoc est negoti? quid ego deliqui? HEG. Rogas?
Sator sartorque scelerum, et messor maxume.
TYND. Non occatorem dicere audebas prius?
Nam semper occant prius, quam sarriunt rustici.
HEG. At ut confidenter mihi contra adstitit!
TYND. Decet innocentem servom atque innoxium
Confidentem esse, suum apud herum potissumum.
HEG. Adstringite isti, soltis, vehementer manus.
TYND. Tuus sum, tuas quidem vel præcidi jube.
Sed quid negoti'st, quamobrem subcenses mihi?
HEG. Quia me meamque rem, quod in te uno fuit,
Tuis scelestis falsidicis fallaciis
Delaceravisti, deartuavistique opes,
Confecisti omneis res ac rationes meas.
Ita mi exemisti Philocratem fallaciis.
Illum esse servom credidi, te liberum.
Ita vosmet aiebatis, itaque nomina
Inter vos permutastis. TYND. Fateor, omnia
Facta esse ita, ut tu dicis, et fallaciis
Abiisse eum abs te, mea opera atque astutia.

1. *Injicite*. Edit. Bip. supplet ex ed. Ald. versum: « Injicite actutum manicas huic mastigiæ », sed nullo MSto comprobante. N.

3. *Sartorque*. *Sartores* non modo a *sarciendo*, sed et a *sarriendo* dicti sunt. NON. — *Et messor maxume*. At certe messem colliges, quam sevisti. N.

4. *Non audebas?* cur noluisti? Conf. Asin. II, 4, 70. N.

12. *Quod*, i. q. quantum. N.

14. *Deartuavisti*. Vid. sc. præc. vs. 108. N.

15. *Confecisti*, perdidisti, destruxisti. Item Cic. pro Sext. 51; Ter. Phorm. V, 5, 11. GRON.

16. *Ita mi exemisti*, etc. *Ita* causam indicat. Eodem sensu ac *quia*, *quum*. Conf. vers. 18; scen. præc. 123; Amphitr. prol. 123, et passim. N.

An, obsecro, hercle, te, id nunc subcenses mihi?
HEG. At cum cruciatu maxumo id factum 'st tuo.
TYND. Dum ne ob malefacta peream, parvi æstumo.
Si ego heic peribo, ast ille, ut dixit, non redit.
At erit mi hoc factum mortuo memorabile;
Meum herum captum ex servitute atque hostibus
Reducem fecisse liberum in patriam ad patrem,
Meumque potius me caput periculo
Præoptavisse, quam is periret, ponere.
HEG. Facito ergo ut Acherunti clueas gloria.
TYND. Qui per virtutem peritat, non interit.
HEG. Quando ego te exemplis excruciavero pessumis,
Atque ob sutelas tuas te morti misero,
Vel te interisse, vel perisse prædicent,
Dum pereas, nihil interduo, dicant vivere.
TYND. Pol, si istuc faxis, haud sine pœna feceris,
Si ille huc redibit, sicut confido adfore.
ARIST. Pro di inmortales! nunc ego teneo, nunc scio,
Quid sit hoc negoti : meus sodalis Philocrates

25. *Redit*, syncope pro *redierit*, vel per enallagen, præsens pro futuro. Si tu me interimi jusseris, Philocrates non redibit, ut pollicitus est, neque filium tibi reducet. N.

30. *Ponere* p. exponere. DOUZA.

31. *Facito ut* abundat. Cf. supra prol. 65; Bacch. V, 9, 34. — Sententia est : Ergo claresce gloria apud inferos. Sic fere Pyrrhus Priamo, Æn. II : « referes ergo hæc et nuntius ibis Pelidæ genitori ». N. — *Acherunti*, adverbialiter, ut *Carthagini*. L.—Ablativ. antiq. ut *tempori*.

32. *Peritat*, frequentativum τοῦ *perire*. Scaliger *perbitat*. — *Non interit*. Aliud perire est, aliud interire. Hac oratione satis perspicuum, quid intersit. Sic Horat. « Non omnis moriar ». N.

33. *Exemplis*, modis. Cf. Bacch. III, 4, 6; Ter. Phorm. IV, 4, 7. N.

34. *Sutelas*. « Sutelæ, inquit Festus, astutiæ, a similitudine suentium dictæ ». Conf. Amphit. I, 1, 211, « consutis dolis ». N.

35. *Vel interisse, vel perisse*. Alludit ad vs. 32, et ironice vertit orationem. N.

36. *Nihil interduo*, i. q. parvi facio, ἀδιαφορῶ. Conf. Rud. II, 7, 22; Trin. IV, 2, 152. Nihil me movet, quod te dicant vivere scilicet fama superstitem. Lambinus et alii scribunt *interdico* innumerum. N.

39. *Teneo*, intelligo. Prol. 10. N.

In libertate est ad patrem, in patria, bene 'st;
Nec est quisquam mihi, æque melius quoi velim.
Sed hoc mihi ægre 'st, me huic dedisse operam malam,
Qui nunc propter me meaque verba vinctus est.
HEG. (Tyndaro.) Vetuin' te quidquam mi hodie falsum proloqui?
TYND. Vetuisti. HEG. Cur es ausus mentiri mihi?
TYND. Quia vera obessent illi, quoi operam dabam:
Nunc falsa prosunt. HEG. At tibi oberunt. TYND. Optume 'st.
At herum servavi, quem servatum gaudeo,
Quoi me custodem addiderat herus major meus.
Sed malene id arbitrare factum? HEG. Pessume.
TYND. At ego aio recte, qui abs te seorsum sentio.
Nam cogitato, si quis hoc gnato tuo
Tuus servos faxit, qualem haberes gratiam?
Emitteresne, necne, eum servom manu?
Essetne apud te is servos adceptissumus?
Responde. HEG. Opinor. TYND. Cur ergo iratus mihi es?
HEG. Quia illi fuisti, quam mihi, fidelior.
TYND. Quid? tu una nocte postulavisti et die,
Recens captum hominem, nuperum et novitium,
Te perdocere, ut melius consulerem tibi,
Quam illi, quicum una a puero ætatem exegeram?
HEG. Ergo ab eo petito gratiam istam. Ducite,

41. *Bene 'st*, lætor. Huic respondet vs. 43, *mihi ægre 'st*. N.

42. *Æque melius*, comparativum pro absoluto. Cf. Terent. Heaut. IV, 3, 7: « Cuiquam æque audisti commode quidquam evenisse? »

48. *Optume 'st*, etc. Nobilis contumacia adversus minas. Orationis decora simplicitas sententiæ magnanimitati convenit. N.

50. *Custodem*, id est, pædagogum: Horat. Sat. I, 4, 118: « Dum custodis eges ». — *Herus major*, Theodoromedes, Philocratis pater. Confer Asinar. II, 2, 63. N.

57. *Iratus*. Nonnulli *ingratus*. N.

59. *Postulavisti*, voluisti. N.

60. *Novitium* in tua servitute, nondum consuetudine tibi devinctum. N.

61. *Te perdocere* hominem captum, etc. Amphibolia Plauto familiaris. Voluisti persuadere homini capto. *Te* abundat, ut sæpissime hujusmodi locutionibus apud eumdem. N.

63. *Petito*, reposce. — *Istam*, istius facti, i. e. pro tuo beneficio. N.

Ubi ponderosas, crassas capiat conpedes.
Inde ibis porro in latomias lapidarias.
Ibi quom octonos alii lapides ecfodent,
Nisi cotidianus sesquiopus confeceris,
Sexcentoplago nomen indetur tibi.
ARIST. Per deos atque homines ego te obtestor, Hegio,
Ne tu istunc hominem perduis. HEG. Curabitur.
Nam noctu nervo vinctus custodibitur;
Interdius sub terra lapides eximet.
Diu ego hunc cruciabo, non uno absolvam die.
ARIST. Certumne'st tibi istuc? HEG. Non moriri certiu'st.
Abducite istum actutum ad Hippolytum fabrum,
Jubete huic crassas conpedes inpingier;
Inde extra portam ad meum libertum Cordalum,
In lapicidinas facite deductus siet;
Atque hunc ita velle me, dicite, curarier,

65. *Latomias*, id est, lapicidinas. Latomiæ alioqui sine adjectione, carcerem significant, a latomiis Syracusanis. TURN.

66. *Ecfodent*. Camerar. et inde vulgatæ *effodint* pro *effoderint*. At hoc nulla analogia potest defendi: scribo, *effodent*. Veteres *fodare* pro *fodere* extulisse testatur Festus. MEURS.

67. *Cotidianus ... confeceris*. Adjectivum pro adverbio. Sicut *interdius* vs. 72. Conf. Asin. III, 3, 9; Aul. I, 1, 33. — *Sesquiopus*, dimidio majus. N.

68. *Sexcentoplago*. Unum est ex illis sexcentis nominibus a Plauto ridicule confictis. N.

70. *Curabitur* vel «ille», vel «id quod rogas», solemni formula operam suam pollicentium. Cf. Bacch. IV, 9, 144; Ter. Andr. II, 3, 29. Nunc oratio ironica et fastidiosa, ut ab aspernante servi preces. Crudelem jocum irati senis Douza notavit. Namque captata ambiguitate, quæ verbo *perdere* subest, eludit precantem, quasi polliceatur curaturum se, ne perdat, amittat Tyndarum. Vid. vs. seq. N.

71. *Nervo*. *Nervus* hic pro vinculo aut compede ponitur. LAMB.

73. *Non uno absolvam die* supplicium. Ea fere sententia Tiberius, quum audisset unum e reis anticipasse mortem, exclamavit: «Carnulius me evasit». Sueton. Tiber. 61. Sic tyrannus apud Sen. Hercul. fur. 511: «Miserum veta perire; felicem jube». Et alius Thyest. 246: «Perimat tyrannus lenis. In regno meo Mors impetratur». N.

74. *Non mori certius 'st*, ut certa cuique mors est. N.

79. *Atque hunc ita velle me*, etc. Perplexa oratio. Sic plana fiet.

Ne quî deterius huic sit, quam quoi pessume 'st.
TYND. Cur ego, te invito, me esse salvom postulem?
Periclum vitæ meæ stat tuo periculo.
Post mortem in morte nihil est, quod metuam, mali.
Etsi pervivo usque ad summam ætatem, tamen
Breve spatium 'st perferundi, quæ minitas mihi.
Vale atque salve; etsi aliter ut dicam, meres.
Tu, Aristophontes, de me ut meruisti, ita vale,
Nam mihi propter te hoc obtigit. HEG. Abducite.
TYND. At unum hoc quæso, si huc rebitet Philocrates,
Ut mi ejus facias conveniundi copiam.
HEG. Peristis, nisi hunc jam e conspectu abducitis.
TYND. Vis hæc quidem, hercle'st, et trahi et trudi simul.
HEG. Illic est abductus recta in phylacam, ut dignus est.
Ego illis captivis aliis documentum dabo,

« dicite me velle ut hic curetur ». N.

80. *Ne quî deterius*, ne qua ratione deterius cum illo agatur, quam cum his qui pessime habentur. BOXHORN.

81. *Postulem*, velim. Vid. vs. 59. Cur ergo me servari velim te invito, i. e. quando me, rem tuam, perdere vis, per me licet. Figura dicendi callida, qua deprecatur mortem etiam contumaciter. N.

82. *Stat tuo periculo*. Servus enim cum damno et periculo domini moritur. LAMB.

83. *Post mortem in morte*. Quam Heinsius tautologiam damnavit, hæc nobis non adeo frigida et insulsa videtur. *Post mortem*, ultimam rerum lineam; *in morte*, conditione eorum qui non sunt. Duo sunt non plane similia, alterum vitæ finis, alterum mortuorum habitus. Haud longe aliam Cæsar sententiam in senatu protulit, quum de conjuratis peroraret. N.

84, 85. *Etsi pervivo*, etc. Vel longissima vita, breve spatium est. Itaque non diu perferre potero, quæ minitaris. N.

86. *Vale atque salve*. Hæc conjungebant Veteres, discedentes ab iis, quos numquam visuri essent. Quin ita *salvere* et *valere* mortuos jubebant. Virg. Æn. XI, 98: « Salve æternum mihi, maxime Palla, Æternumque vale ». LAMB.

91. *Peristis*, etc. Mentione Philocratis redituri, quem non sperat recepturus, ira senis exardet; increpat lorarios, ut damnatum moxmox abducant. N.

92. *Vis hæc*. Veteres, quum vehementius tenerentur, pellerentur, exclamare solebant: « Hæc vis est ». Sic J. Cæsar pressus a conjuratis. TURN.— Hac locutione Tyndarus, quasi liberum caput, se vim pati, non pœnam, testatur. N.

93. *Phylacam*. Φυλακή, carcer. Vid. Aulul. III, 5, 44. GRON.

Ne tale quisquam facinus incipere audeat.
Quod absque hoc esset, qui mihi hoc fecit palam,
Usque obfrenatum suis me ductarent dolis.
Nunc certum'st nulli post hæc quidquam credere;
Satis sum semel deceptus. Speravi miser
Ex servitute me exemisse filium;
Ea spes elabsa 'st. Perdidi unum filium
Puerum quadrimum, quem mihi servos surpuit;
Neque enim servom unquam reperi, neque filium:
Major potitus hostium'st. Quod hoc est scelus!
Quasi in orbitatem liberos produxerim.
Sequere hac; reducam te ubi fuisti. Neminis
Misereri certum 'st, quia mei miseret neminem.
ARIST. Exauspicavi ex vinclis; nunc intellego
Redauspicandum esse in catenas denuo.

96. *Quod absque hoc esset*, i. e. quod nisi hic esset, videlicet Aristophontes, qui mihi patefecit Tyndari et Philocratis fallacias. Sic sæpe Noster loqui solet, item alii comici. Terent. Phorm. I, 4, 11: « Nam absque eo esset, Recte ego mihi vidissem, et senis essem ultus iracundiam ». LAMB.

97. *Obfrenatum.* Offrenati dolis sunt, qui veluti capistro ori injecto dolis devincti quolibet ductantur. Sic Apul. VI: « Hunc (de Cerbero loquens) offrenatum unius offulæ præda, facile præteribis ». J. GUL. — Simili figura Juvenalis Sat. VI, 43: « Stulta maritali jam porrigit ora capistro ». N.

102. *Puerum quadrimum*, etc. Besscha suspicatur hunc vers. subdititium, ex prologo a grammatista quodam huc retractum; qui tamen Plauto vindicandus est, ni fallor. Namque poeta hæc enarrata non semel studuit repetere, ne argumento implicatiore spectatores fallerentur. Nunc præsertim eadem commemoranda sunt, quum catastrophe appropinquat. — *Surpuit.* Conf. prol. 8. N.

104. *Quod hoc est scelus!* quod meum est infortunium! Cf. Asin. V, 2, 6; Ter. Eun. II, 3, 35. N.

105. *Quasi in orbitatem.* Sic mihi omnes liberi pereunt, quasi eos produxerim, non ut liberis essem auctior, sed ut orbus viverem. L.

108, 109. *Exauspicavi*, exii. — *Redauspicandum*, redeundum. Auspicium duxi ex vinculis huc veniens, scilicet avi sinistra; nunc in catenas repetam auspicia. Jocus ab disciplina romana tractus, qua duces domum redibant repetituri auspicia, si quid male cessisset. Hoc redauspicari Latini dicebant, Græci μετοιωνίσασθαι. LAMBIN. et TAUBM.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

ERGASILUS.

Jupiter supreme, servas me, measque auges opes.
Maxumas opimitates opiparasque obfers mihi.
Laudem, lucrum, ludum, jocum, festivitatem, ferias,
Pompam, penum, potationes, saturitatem, gaudium.
Nec quoiquam homini subplicare nunc certum 'st mihi;
Nam vel prodesse amico possum, vel inimicum perdere.
Ita hic me amœnitate amœna amœnus oneravit dies.
Sine sacris hereditatem sum aptus ecfertissumam.

1. *Jupiter supreme*, etc. Compara hanc exsultationem cum illo questu lamentabili, III, 1. In utraque multa sunt παράλληλα. Dolore ac gaudio æque facundus Ergasilus comparet. N.

4. *Pompam*. Conf. Bacchid. I, 2, 6. N.

5. *Nec quoiquam*, etc. Cf. III, 1, 18 seqq.—*Subplicare*. Cf. Bacch. IV, 8, 63. N.

6. *Nam vel prodesse*. Potentis hominis est facere utrumque. Notum est illud: « Servare potui; perdere an possim, rogas? » Lamb.

7. *Ita hic amœnitate*, etc. Conf. III, 1, 5. N.

8. *Sine sacris*, id est, sine sumptu. Sacra enim familiaria, quæ pecuniam, id est, hæredem sequebantur, aliquo cum sumptu fieri necesse erat. L. — Soli cives rom. habebant sacra hæreditaria ex lege XII Tabb. « sacra privata perpetua manento », qua cavebatur, ut hæres bonorum eadem sacra coleret.. Popma. — *Hæreditatem*. Quidquid boni ex improviso obtingebat, proverbiali nomine dicebatur hæreditas. Conf. Cic. de Sign. 27: « Verres hæreditatem sibi venisse arbitratus est », scil. quia Antiochus cum ingentibus divitiis venerat Syracusas. Idem Galli significant voce *aubaine*. Utraque locutio e moribus gentium exorta. — *Aptus*, id est, adeptus, ab *apiscor*. Conf. Epid. V, 2, 3; Cic. de Legg. II, 19. Catull. Nupt. Thet. vs. 164: « animus prægestit apisci ». N.

Nunc ad senem cursum capessam hunc Hegionem, quoi boni
Tantum adfero, quantum ipse a diis optat, atque etiam amplius.
Nunc certa res est, eodem pacto, ut comici servi solent,
Conjiciam in collum pallium, primo ex me hanc rem ut audiat.
Speroque me ob hunc nuncium æternum adepturum cibum.

SCENA SECUNDA.

HEGIO, ERGASILUS.

HEG. Quanto in pectore hanc rem meo magis voluto,
Tanto mihi ægritudo auctior est in animo.
Ad illum modum sublitum os esse mi hodie?
Neque id perspicere quivi?

9. *Hunc*, qui hic habitat. N.

10. *Comici servi.* Haud raro, qui in Plautino proscenio loquuntur, et personas et res comicas eludunt. Vid. Mostell. V, 2, 30; Pœnul. III, 2, 20. Festinatio erat servorum (cf. Pœnul. III, 1, 19, 20), quos *currentes* nominat Terent. Eun. prol. 36. Hujusmodi festinationis vide exemplum Mercat. I, 2. N.

12. *Conjiciam in collum.* Veteres Græci et Romani subligaculis, uti nos hodie, extra stadium aut scenam non utebantur. Itaque illi pallium, hi togam ad calceos demittebant. Quod si quid illis, qui gnavi et actuosi haberi volebant, diligentius faciendum esset; vel pallium ponebant, vel in humeros rejiciebant. Atque hic est fere servorum habitus in comœdiis. Pallium sane Græci hanc ipsam ob causam, ut expeditiores essent, belli tempore deponebant, ut Romani togam. CASAUB. — *Pallium.* Servis palliolum, amiculum, fasciæ simile, ἐπίῤῥημα ταινιῶδες, ut vocat Pollux Onom. VII, 67. Hunc servilem pallii in collum rejiciendi morem exhibent Noster Epid. II, 2, 10; Terent. Phorm. V, 2, 4. Præterea vide imagines ære sculptas versioni Terentii Dacerianæ additas. N.

13. *Æternum.* Vel fiat hiatus, ut versus constet, vel scribatur cum BOSSCHA *æviternum* antiquo more. Ergasilus *æternum cibum* adeptus est, nam reducem vidit suum regem, quicum ad vitæ finem fruetur saturitate et, ut ait ejusdem ordinis alius, perennitatis cibo, Pers. III, 1, 2. N.

3. *Sublitum os.* Cf. III, 4, 123.

Quod quum scibitur, per urbem inridebor.
Quom extemplo ad forum advenero, omneis loquentur:
Hic ille est senex ductus, quoi verba data sunt.
Sed Ergasilus estne hic, procul quem video?
Conlecto quidem est pallio: quidnam acturu'st?
ERG. Move ab te moram, atque, Ergasile, age hanc rem.
Eminor atque interminor, ne quis mi obstiterit obviam,
Nisi qui sat diu vixisse sese homo arbitrabitur.
Nam qui obstiterit, ore sistet. HEG. Hic homo pugilatum incipit.
ERG. Facere certum 'st: proinde ut omneis itinera insistant sua,

6. *Quom extemplo*, i. q. vix, statim. Cf. Most. V, 1, 17. N.

7. *Senex ductus.* Ducere et ductare vulgo accipiuntur sermone comico pro decipere. Conf. III, 5, 97; Most. III, 2, 26. At Douza lectionem obtulit sane non insulsam *doctus*, i. e. prudens, callidus; quam emphasis locutionis «Hic est», videtur comprobare. N.

8. *Procul.* Illa vox non semper longum adeo intervallum significat. «Procul hinc lubet prius quid sit sciscitari» Terent. Eunuch. III, 4, 10. «Sermonem procul hinc stans accepi» Hecyr. IV, 2, 1. Vide h. fab. III, 4, 72. N.

9. *Conlecto pallio*, sursum reducto. Collecta vestis opponitur fluenti; ut alte cincti otiosis hominibus. Sic Virg. Æn. I, 320: «nodoque sinus collecta fluentes». Conf. sc. præced. vs. 12: «Conjiciam in collum pallium». N.

10. *Move*, etc. Hinc usque ad vs. 47 quasi canticum vel μονῳδία est non videntis Hegionem, et quasi solius secum fabulantis. «In canticis», inquit Diomedes edit. Putsch. pag. 489, una tantum debet esse persona: aut si duæ fuerint, ita debent esse, ut ex occulto una audiat, nec conloquatur, sed secum, si opus fuerit, verba faciat». Hoc modo nunc Hegio sermonem Ergasili identidem intercipit. Sæpe autem in fabulis Plautinis, ut hoc loco, audire est loquacitatem verbo quidem festinantium, at nihil actu promoventium. Cf. Asin. II, 2, 1; Curc. II, 3, 1; Merc. I, 2, 1; Stich. II, 1, 1. Isti tamen vanidici tempus non frustra terere videbantur, quippe qui vehementer spectatores hilararent.—*Age h. rem.* Inf. V, 1, 10. N.

11. *Eminor atque interminor*, etc. Hujusmodi jocosam comminationem percrepat Curculio loc. cit. Cf. Amph. III, 4, 1-7. N.

13. *Ore sistet.* Ore, non pedibus, insistet. Ore humum feriet prostratus. Ita Curculio: «capite sistet». *Sistere* hic intransitive. N.

14. *Proinde ut.* Intelligitur «impero». — *Omneis itinera insist. sua.* Porro iter incœptum pergant, neque morentur. Asin. I, 1, 39: «rectam instas viam». N.

Ne quis in hac platea negoti conferat quidquam sui.
Nam meus est balista pugnus, cubitus catapulta'st mihi,
Humerus aries; tum genu ad quemque jecero, ad terram dabo.
Dentilegos omneis mortaleis faciam, quemque obfendero.
HEG. Quæ illæc eminatio'st? nam nequeo mirari satis.
ERG. Faciam ut ejus diei locique, meique semper meminerit;
Qui mi in cursu obstiterit, faxo vitæ is extemplo obstiterit suæ.
HEG. Quid hic homo tantum incipissit facere cum tantis minis?
ERG. Prius edico, ne quis propter culpam capiatur suam.
Continete vos domi, prohibete a vobis vim meam.
HEG. Mira, edepol, sunt, ni hic in ventrem sumpsit confidentiam.
Væ misero illi, quojus cibo iste factu'st inperiosior.
ERG. Tum pistores scrophipasci, furfuri qui alunt sues,

15. *Ne quis in hac platea*, etc. Ne coeant de negotiis conlocuturi, quippe viam conventu opplerent. Ita Curculio l. c. « constant, conferunt sermones inter se... obstant, obsistunt ». N.

17. *Tum genu ad quemque jecero. Quemque*, sicut vs. seq. i. q. quemcumque. Conf. Asin. II, 2, 24; Bacchid. III, 3, 67. Lambinus et alii corrigunt : « ut quemque icero »; sed vulgata magis consentit cum præcedentibus, et melius ad scurrilem hyperbolen facit. N.

18. *Dentilegos*, dentes ex ore excutiam, ita ut eos in terram decussos, e terra tollere et colligere necesse habeant. LAMB.

23. *Prius edico, ne quis*, etc. Hoc prius edico palam, ne quis culpa sua malum patiatur, i. e. sua culpa ferietur jam monitus. LAMB.

25. *Mira.....sunt, ni.* Locutio Plauto familiaris; credo sane. Cf. Bacch. III, 3, 46. — *In ventrem.* Conf. Aulul. IV, 3, 4. — *Confidentiam.* De alio diceretur : In animum, in pectus sumpsit confidentiam. At parasito animus in ventre. Ergo bene pastus sit ille oportet, qui animosus adeo videtur. Eamdem sententiam alio verbo duntaxat uno reperies vs. 32, quam variis recensionibus librariorum geminatam fuisse facile crediderис. N.

26. *Inperiosior*, quippe qui minetur, jubeat, edicat. Meursius et Scaliger legunt *inpensior*, id est, farctior, credo male. N.

27. *Scrophipasci*, scrophas pa-

Quarum odore præterire nemo pistrinum potest,
Eorum si quojusquam scropham in publico conspexero,
Ex ipsis dominis meis pugnis exculcabo furfures.
HEG. Basilicas edictiones atque inperiosas habet.
Satur homo est, habet profecto in ventre confidentiam.
ERG. Tum piscatores, qui præbent populo pisceis fœtidos,
Qui advehuntur quadrupedanti crucianti canterio,
Quorum odos subbasilicanos omneis adigit in forum,
Eis ego ora verberabo sirpiculis piscariis,
Ut sciant, alieno naso quam exhibeant molestiam.
Tum lanii autem, qui concinnant liberis orbas oveis,
Qui locant cædundos agnos, et duplam agninam danunt,

scentes : scropha sus femina. L. — *Furfuri*, pro *furfure*. Cic. in versu : « parti miscetur in una ». CAM.

30. *Ex ipsis dominis*. Lepide minatur se id facturum dominis, quod juxta nexum orationis facturum quis putaret suibus. GRUT. — *Ex ipsis dominis*. Palmerius legit in MS « ex ipso abdomine », quod glossema fuit. Tum *exculcabo furfures* i. q. excutiam furfures esos ventre exenterato. Lambinus intelligit « furfures, translatione, capitis sordes et cutis purgamenta ». Et sic alius insuper jocus ex duplici sensu exsistit, vere Plautinus. N.

31. *Basilicas*. Quidquid splendidum, magnificum et imperiosum erat, illud Græci βασιλικὸν dicebant. LONGOL.

34. *Crucianti canterio*. Crucians canterius Ausonio dicitur caballus tripes, et claudicans, et ærumnosus, et ruptus terga verbere : quales sunt plerumque, qui ad machinas molarias damnantur. SCALIG. — *Crucianti*, ærumnoso. Passiva significatione, figura agendi, ut « vehens in equo », Quadrigar. apud Gell. II, 3. — *Canterio*. Conf. Aul. III, 5, 21. N.

35. *Subbasilicanos*. Homo ἀγόραιος est, qui totos dies forum conterit, quemque oratores et comici appellant ἀγορᾶς περίτριμμα, Latini veteres « hominem ordinarium », teste Festo, vel *subrostranum*, ut Cicero. Glossarii auctor paulo aliter : *basiliciarius*, μαλακὸς, ἀγόραιος. Notum est in basilicis judicia Romæ, præsertim centumviralia, celebrata fuisse. CASAUB. — Basilicæ (ædes) circa forum exstructæ. Adhuc ætate Plauti, una tantum exstitit. Conf. Curcul. IV, 1, 11. Ibi negotiosorum, immo etiam otiosorum conventus. — *In for.* e basilica in medium for. N.

38. *Conc. liberis orbas oveis*. Eripiunt agnos ovibus. De verbo *concinnare* conf. h. fab. III, 4, 68. *Orbas liberis* translatio comica. N.

39. *Locant cædundos agnos*. Lanii cæsas pecudes vendebant, non ipsi cædebant. Erant autem alii qui carnificinam exercerent ; quibus lanii, vel etiam cives, si quas pecudes vivas de macello opsonantes com-

Qui petroni nomen indunt verveci sectario;
Eum ego si in via petronem publica conspexero,
Et petronem et dominum reddam mortaleis miserrumos.
HEG. Euge! edictiones ædilitias hic habet quidem;
Mirumque adeo'st, ni hunc fecere sibi Ætoli agoranomum.
ERG. Non ego nunc parasitus sum, sed regum rex regalior;
Tantus ventri conmeatus meo adest in portu cibus.
Sed ego cesso hunc Hegionem onerare lætitia senem?
Quî homine hominum adæque nemo vivit fortunatior.
HEG. Quæ illæc est lætitia, quam illic lætus largitur mihi?

paravissent, locabant cædundas. Conf. Aulul. III, 6, 31. — *Duplam agninam*. Variant interpretes. Salmasius: « duplo plus agninæ quam vervecinæ carnis vendi parasitus queritur, quia vilis agnina fuit, si Horatium audias ». Sed alia dum Horatius, alia dum Plautus scriberet, æstimatio eduliorum. Lambin. « vendunt ovillam pro agnina, eoque duplicant agninam ». At sapiunt magis, qui duplam agninam esse agni jam grandioris, immo fere vetuli, carnem intelligunt, nempe crassiorem; ut dicitur « duplex pannus » Horat. Epist. I, 17, 25. « Clavi duplices » Caton. de R. R. 20. — *Danunt*, venumdant. Sic vs. 33 *præbent*. Sic gall. *donner*. N.

40. *Petroni*, viro gregis, arieti. Nomen *petro* a duritie dictus. — *Sectario*. Festus vervecem sectarium explicat, « qui gregem agnorum præcedens ducit ». Sed interpretes Plauti fere omnes sectarium enarrant « cui desecti testes ». Qui autem ab his dissentiunt, conjungi volunt *sectario* cum nomine *petroni*, violenter quidem inversa oratione, neque poscente sententia. Namque, si admiseris Festi explicationem, quæ profecto non videtur aspernanda, sectarius vervex erit primarius, præstantissimus gregis. Itaque sensus Plautinus: « petronis carnem sub nomine vervecinæ primariæ vendunt ». N.

43. *Ædilitias*. Ædiles curules, sicut prætor urbanus, ineunte magistratu, edictum proponebant, quo juris dicendi leges suas promulgarent. Annonæ autem et rei mercatoriæ curatio in eorum erat officio. N.

44. *Agoranomum*. Eumdem apud Græcos, qui Romæ fuit ædilis. N.

45. *Regum rex*. Vide sup. I, 1, 24. N.

46. *Cibus* est in secundo casu. Veterem formam Priscianus docet, IV, 14, 74. Sic *lectus* Amphit. I, 3, 15. — *Conmeatus* cibi dicitur eodem modo quo Pseud. I, 5, 9, « conmeatus argentarius ». Parasitus autem intelligit adventum Philopolemi, cibariorum suorum curatoris. N.

47. *Onerare lætitia*. Conf. supra III, 1, 5. N.

48. *Quî*, i. e. quo. Syncope antiqui ablativi *quoi*. — *Adæque... for-*

ERG. Heus, ubi estis? ecquis hoc aperit ostium? HEG. Hic homo
Ad cœnam recipit se ad me. ERG. Aperite hasce ambas foreis,
Priusquam pultando assulatim foribus exitium adfero.
HEG. Perlubet hunc hominem conloqui. Ergasile. ERG. Ergasilum qui vocat?
HEG. Respice. ERG. (nondum agnoscit Hegionem.) Fortuna quod tibi nec facit, nec faciet,
Hoc me jubes: sed qui est? HEG. Respice ad me, Hegio sum. ERG. Oh mihi!
Quantum 'st hominum optumorum optume, in tempore advenis.
HEG. Nescio quem ad portum nactus es, ubi cœnes; eo fastidis.
ERG. Cedo manum. HEG. Manum? ERG. Manum, inquam, cedo tuam actutum. HEG. Tene.
ERG. Gaude. HEG. Quid ego gaudeam? ERG. Quia ego inpero: age, gaude modo.
HEG. Pol, mœrores mi antevortunt gaudiis. ERG. Noli irascier,
Jam ego ex corpore exigam omneis maculas mœrorum tibi.

tunatior. Cf. supra III, 5, 42. N.

52. *Assulatim*, id est, minutatim. NON. — Assulatim foribus exitium afferre dicitur, facere ex foribus assulas. SCAL.

54. *Fortuna quod tibi*, etc. Ludit in verbo ambiguo *respicere*, quod et « subvenire, favere » significat. Bacch. IV, 3, 24. Jubes, inquit parasitus, me ad te respicere, quod Fortuna tibi non facit: nam tibi, qui me properantem moraris, certe irata est; quia pugnis caput tibi comminuam, dentesque excutiam. Alludit autem ad ædem Fortunæ Respicientis, quæ Romæ juxta templum Jovis Victoris erat: quam Cic. de Legg. II commemorat, et Plutarchus. LAMB.

57. *Eo*, ideo meam cœnam fastidis. N.

60. *Antevortunt*, exsuperant. — *Noli irascier*. Pro his, quæ parum congrua hoc loco videntur, et quæ Acidalius ex vs. 65 retracta existimabat, posuit: « non ita est; scies »; melius autem Bothius: « nolo ita siet ». Si vulgatam retineas, interpretare: « ne irascaris sortem tuam ». N.

Gaude audacter. HEG. Gaudeo, etsi nihil scio, quod gaudeam.
ERG. Bene facis. Jube. HEG. Quid jubeam? ERG. Ignem ingentem fieri.
HEG. Ignem ingentem? ERG. Ita dico, magnus ut sit. HEG. Quid? me, volturi,
Tuan' causa ædeis incensurum censes? ERG. Noli irascier.
Juben', an non jubes adstitui aulas? patinas elui?
Laridum atque epulas foveri foculis ferventibus?
Alium pisceis præstinatum abire? HEG. Hic vigilans somniat.
ERG. Alium porcinam, atque agninam, et pullos gallinaceos?
HEG. Scis bene esse, si sit unde. ERG. Pernam atque ophthalmiam,
Horæum, scombrum, et trigonum, et cetum, et mollem caseum.
HEG. Nominandi istorum tibi erit magis, quam edundi, copia

63. *Ingentem.* Hyperbolen hujus verbi miratur Hegio. Talem fere protulit Terent. Eunuch. III, 1, 1: « Magnas vero agere gratias Thais mihi? GN. Ingentes ». N.

64. *Quid? me, volturi.* Variant lectiones hujus loci: « Quid in eo volt urier? » vel « Quid? me volt urier? » vel « Quid! me volet uri », claudicante metro. Volturium vocat edacem parasitum. BOSSCHA.

66. *Adstitui aulas*, ollas statui ad focum. N.

67. *Foculis ferventibus.* Mancus una syllaba versus. Vult Lambinus « coculis ferventibus ». Cocula sunt vasa coquendi causa parata. Audacior emendatio. Bothius dat *foviculis*, prisca scriptura. Probabilius hoc, quam aliorum addita præpositio *in* « foc. in ferv. », aut diæresis *ferüentibus*. N.

68. *Præstinatum.* « Præstinare, inquit Festus, apud Plautum est emere et emendo tenere ». LAMB.

70. *Scis bene esse.* Scis laute te accipere, si habeas unde sumptum facias. De locutione « bene esse », vide Bacch. I, 1, 51, et Menæchm. III, 2, 20.—*Ophthalmiam.* Ophthalmia, piscis ab oculorum magnitudine. Plinius *oculatam* vocat; alii *melanurum*. LAMB.

71. *Horæum*, salsamenti genus ex pelamide pisce. Vide Apicium, lib. X, cap. 5. Dicuntur ab *horæa*, non a tempestivitate, sed a veris tempore: quod tum salsamentum istud fieret. TURN.—*Scomber* piscis est, ex quo garum optimum fiebat, τρυγὼν piscis, qui Latinis pastinaca marina dicitur. — *Cetum.* Majores pisces cete, sive cetos, appellant et Græci et Latini. LAMB. — *Mollem caseum*, recentem, vel pinguem.

72. *Nominandi istorum*, pro no-

Heic apud me, Ergasile. ERG. Mean' me causa hoc censes dicere?
HEG. Nec nihil hodie, nec multo plus tu heic edes, ne frustra sis.
Proin' tu tui quotidiani victi ventrem ad me adferas.
ERG. Quin ita faciam, ut te cupias facere sumtum, etsi ego vetem.
HEG. Egone? ERG. Tute. HEG. Tum tu mi igitur herus es. ERG. Imo bene volens.
Vin' te faciam fortunatum? HEG. Malim, quam miserum quidem.
ERG. Cedo manum. HEG. Hem manum. ERG. Di te omnes adjuvant. HEG. Nihil sentio.
ERG. Non enim es in senticeto, eo non sentis: sed jube
Vasa tibi pura adparari ad rem divinam cito,
Atque agnum adferri proprium, pinguem. HEG. Cur? ERG. Ut sacrufices.
HEG. Quoi deorum? ERG. Mi, hercle: nam ego tibi nunc sum summus Jupiter.
Idem ego sum salus, fortuna, lux, lætitia, gaudium.

minandi ista, vel nominandorum istorum. Sic Terent. Heaut. prol. 29: « Novarum qui spectandi faciunt copiam ». N.

74. *Nec nihil*, etc. Mediocris erit apud me victus; non nihil, non multo plus quam nihil. Ne magna spes te fallat. N.

75. *Quot. victi ventrem*, affer ad me ventrem non fastidiosum, sed victu quotidiano contentum. L. — — *Victi*, pro victus, ut *senati* pro senatus, et similia. N.

79. *Hem manum* porrigo. Vid. sup. III, 4, 8, 98. — *Nihil sentio*, i. e. minime istud video. At sententia sic exposita verbis est, ut ad amphiboliam vs. seq. faciat. Tamen erat haud insolita locutio. Conf. Bacchid. IV, 9, 77; Epid. IV, 1, 31. N.

80. *Non es in senticeto*, non est mirum, te nihil sentire: non enim es in loco sentibus obsito. Jocus parasiticus. LAMB.

81. *Vasa tibi*, etc. Cf. Aulul. II, 3, 3. N.

82. *Proprium*, id est, tuum: nam aliena diis immolare nefas. PIUS. — Conjicit Daceria ex Rud. IV, 6, 4: « Sunt domi agni et porci sacres », Veteres domi nutrivisse ejusmodi animalia, quæ aliquando diis sacrificarentur. BOSSCHA.

Proinde tu deum huncce saturitate facias tranquillum tibi.
HEG. Esurire mihi videre. ERG. Mihi quidem esurio, non tibi.
HEG. Tuo arbitratu facile patior. ERG. Credo, consuetus puer.
HEG. Jupiter te dique perdant. ERG. Te, hercle, mi æquom 'st gratias
Agere ob nuntium: tantum ego nunc porto a portu tibi boni.
Nunc tu mihi places. HEG. Abi stultus, sero post tempus venis.
ERG. Igitur olim si advenissem, magis tu tum istuc diceres.
Nunc hanc lætitiam adcipe a me, quam fero: nam filium
Tuum modo in portu Philopolemum vivom, salvom, et sospitem
Vidi in publica celoce, ibidemque illum adulescentulum
Alium una, et tuum Stalagmum servom, qui abfugit domo,

85. *Tranquillum*, i. q. propitium. Item pacati dicuntur dii. N.

86. *Mihi quidem esurio, non tibi.* Cavillatio frigida. Illa verba « esurire mihi videre », quorum sententia plana est, parasitus sic accipit, ut *mihi* cum *esurire* cohæreat: quasi Hegio dixisset: « Mihi, opinor, esuris ». N.

87. *Credo, consuetus puer.* Scilicet credo te pati, quippe qui a teneris huic rei sis assuetus. Detorquet turpis derisor verbum *patior* ad obscœnam significationem pathicæ facilitatis. N.

90. *Nunc tu mihi places.* Tua cœna mihi placet, neque aliam quæro. Tuus suum. Hæc alludunt ad ea quæ dixit II, 1, 76-82, se addictum Hegioni fore, nisi quis meliorem conditionem offerret, quam senex, cujus asper victus esset ibid vs. 85. N.

91. *Magis tu tum istuc diceres.* Hic vim imperandi conditionalis modus habet; ut in illis: Terent. Hecyr. II, 1, 32: « In te omnis hæret culpa sola, Sostrata. Quæ hic erant, curares », i. e. oportebat curares. Andr. IV, 4, 54, « prædiceres », i. e. velim me ante monuisses. Plaut. Trucul. IV, 2, 35: « si volebas participari, auferres dimidium domum », i. e. oportuit auferre. Virg. Æn. VIII, 643: « At tu dictis, Albane, maneres! » Igitur sententia parasiti Plautini est: « Si olim (quum nihil haberem læti nuntii afferendum) advenissem, tum magis oporteret te ista mihi dicere: abi, sero advenis ». N.

94. *Celox.* Navigium breve, inquit Nonius, a celeritudine ita dictum. LAMB.

95. *Alium*, id est, Eleum, Philocratem. LAMB.

Qui tibi subripuit quadrimum puerum filiolum tuum.
HEG. Abi in malam rem; ludis me. ERG. Ita me amabit sancta Saturitas,
Hegio, itaque suo me semper condecoret cognomine,
Ut ego vidi. HEG. Meum gnatum? ERG. Tuum gnatum, et genium meum.
HEG. Et captivom illum Alidensem? ERG. Μὰ τὸν Ἀπόλλω. HEG. Et servolum
Meum Stalagmum, meum qui gnatum subripuit? ERG. Νὴ τὰν Κόραν.
HEG. Jam diu? ERG. Νὴ τὰν Πραινέστην. HEG. Venit? ERG. Νὴ τὰν Σιγνίαν.
HEG. Certon'? ERG. Νὴ τὰν Φρουσινῶνα. HEG. Vide, sis. ERG. Νὴ τὸ Ἀλάτριον.
HEG. Quid tu per barbaricas urbeis juras? ERG. Quin enim item asperæ
Sunt, ut tuum victum autumabas esse. HEG. Væ ætati tuæ.

97. *Ita me amabit*, etc. Formula obtestandi, quæ vel futuro, vel subjunctivo, vel utroque construitur, ut hoc versu et seq. N. — *Saturitas*. Saturitas parasito edaci omnium deorum est instar. LAMB.

98. *Condecoret cognomine*. Et ita me semper faciat saturum. Immo faciat, ut dici possim cognomine Saturio. LAMB.

99. *Et genium meum*. Parasiti, divites sub quorum clientela essent, genios suos nominabant. MEURS. — *Genium meum*. Cf. III, 2, 40. N.

100. *Alidensem*, ab Elide Philocratem. — Μὰ τὸν Ἀπόλλω. Per Apollinem. Quod Græci jurantes, μὰ, νὴ, præponunt, id Romanis erat *ME* et *E*. Mecastor, Medius fidius, Mehercule, Ejuno, Equirine, Ecere, Epol, Ecastor. SCAL.

101. Νὴ τὰν Κόραν. Per Proserpinam. Sed similitudo nominis illius cum nomine urbis Coræ scurram inducit ad urbes obtestandas pro diis. Cora, Præneste, Signia, Frusino, Alatrium, oppida coloniis romanis habita, in Latio. Qui existimant harum urbium nomina huc citata in ridiculum fuisse, quia Carthaginiensibus aspirassent, falluntur. Prænestinis enim ob virtutem fidemque senatus honorem decrevit. T. Liv. XXIII, 20. Et alias ridet Plautus sermonem Prænestinorum, Trin. III, 1, 8; Truc. III, 2, 23. N.

104. *Barbaricas*. Cf. Asin. prol. 11. N.

105. *Autumabas*, dicebas. Hic memorat, quæ dicta sunt I, 2, 85.

ERG. Quippe quando mihi nihil credis, quod ego dico sedulo.
Sed Stalagmus quojus erat tunc nationis, quom hinc abiit?
HEG. Siculus. ERG. At nunc Siculus non est, Boius est; Boiam terit.
Liberorum quærundorum causa, ei, credo, uxor data 'st.
HEG. Dic, bonan' fide tu mihi istæc verba dixisti? ERG. Bona.
HEG. Di inmortales! iterum gnatus videor, si vera autumas.
ERG. An tu dubium habebis, etiam sancte quom jurem tibi?
Postremo, Hegio, si parva jurijurando 'st fides,
Vise ad portum. HEG. Facere certum 'st: tum intus cura, quod opus est.
Sume, posce, prome quidvis; te facio cellarium.
ERG. Nam, hercle, nisi mantiscinatus probe ero, fusti pectito.
HEG. Æternum tibi dapinabo victum, si vera autumas.

— *Ætati tuæ*, i. q. tibi. Cf. Asin. I, 3, 39. N.

106. *Quippe quando*, i. e. oportet me jurare, quando quod ego dico, non credis. N. — *Sedulo*, i. e. sine dolo, bona fide, inquit Nonius. LAMB.

108. *Boius.* Boii, Gallorum populus, partem Italiæ Cispadanam occuparunt, quorum oppida fuere Mantua, Bononia, etc. Sed Boiam quoque genus quoddam vinclorum Latini dicebant. Cf. Asin. III, 2, 5. Catenas autem terunt vincti; et ad aliam significationem, obscœnam quidem, verbum *terere* trahitur. Ergo jocus in duplici ambiguitate versatur. LAMB.

109. *Liberorum quær. causa.* Formula solennis in contrahendo matrimonio inter ingenuos. Ennius in Andromach. et Cresph. 10: « liberum quærsendum causa ». Nam orbitas apud Veteres abominanda. N.

110. *Bonan' fide.* Erat etiam affirmatio et jusjurandum, *bona fide*:; nam sequitur mox: « sancte quom jurem tibi? » Nos tamen hodie, nis appellato numine, sacramentum non putamus. TURN. — Conf. Aul. IV, 10, 42. N.

111. *Iterum gnatus.* Antiqui vocarunt natales omnes dies, propter aliquam lætitiam insignem, sibi solennes. CASAUB. — *Vera autumas*, vera dicis. N.

116. *Nam*, enimvero. Cf. Aul. I, 1, 3. — *Mantiscinatus*, i. q. vaticinatus. Vox urbane et facete a Plauto detorta e græco nomine μάντις. Fortasse aliquid ambigui etiam in hac voce est, ita ut parasitus intelligat se manticam suam, i. e. ventrem probe impleturum. LAMB.

ERG. Unde id? HEG. A me meoque gnato. ERG. Sponden' tu istud? HEG. Spondeo.
ERG. At ego tuum tibi advenisse filium, respondeo.
HEG. Cura, quam optume potes. ERG. Bene ambula et redambula.

SCENA TERTIA.

ERGASILUS.

Illic hinc abiit; mihi rem summam credidit cibariam.
Di inmortales, jam ut ego collos prætruncabo tegoribus!
Quanta pernis pestis veniet! quanta labes larido!
Quanta sumini absumedo! quanta callo calamitas!
Quanta laniis lassitudo! quanta porcinariis!
Nam si alia memorem, quæ ad ventris victum conducunt, mora 'st.

118. *Sponden'... Spondeo.* Verbis rerum civilium solennibus illudere amat. Cf. III, 1, 32. N.

119. *Respondeo.* Etiam in hoc verbo ambigue luditur. Nam valet « rursus, invicem spondeo ». Tibi hoc spondenti, ego illud spondeo invicem. N.

120. *Bene ambula et redambula*, prospere abi, redi et prospere. Vid. II, 3, 92. N.

2. *Collos*, antique, i. q. colla, teste Festo. — *Tegora* item pro tergoribus, teste Varrone. *Tergus* absolute i. q. tergus suis, pro toto corpore. « Servatoque diu resecat de tergore partem », Ovid. Met. VIII, 649. — *Coll. præt. teg.* Enarrando hoc loco Lambinus hæsit, et mutavit *pecoribus*. Alii explicant: Separabo colla suum (cum capitibus scilicet) a posteriori eorum parte. Sed frustra laborant enucleanda difficultate, si qua est, quam ipse Plautus enucleavit scen. seq. vs. 7. Collum enim hic per metonymiam pro glandiis positum est. N.

4. *Absumedo.* Vocem finxit ab *absumo*, non multum a *sumine* discrepantem, in paronomasia leporem quærens, quæ in his vers. fit perpetua. LAMB. — *Sumen* autem contendunt dici quasi *sugimen*, ac proprie in suibus, quo suilla ubera continentur: et jam delicias et ganeam a suibus peti solitas. TAUBM. — *Callo.* Apri a Veteribus in conviviis æstimabantur. Cujus lumbus omnibus aliis partibus ejus præponebatur: hunc Plautus et Cato *aprugnum* vocavere, cujus tenera durities commendata ipsi etiam *Calli* nomen dedit. Propter quod etiam Horatius *longa ova* extollens, *callosa* nuncupavit, tanquam compacta illa teneritudo in omnibus ciborum generibus et dentibus et palato valde grata sit. MERC. Var. Lect. lib. II, 22.

Nunc ibo in meam præfecturam, ut jus dicam larido;
Et, quæ pendent indemnatæ pernæ, eis auxilium ut feram.
(ingreditur domum Hegionis.)

SCENA QUARTA.

PUER HEGIONIS.

Diespiter te dique, Ergasile, perdant et ventrem tuum,
Parasitosque omneis, et qui posthac cœnam parasitis dabit.
Clades calamitasque, intemperies modo in nostram advenit domum.
Quasi lupus esuriens, metui ne in me faceret inpetum.
Nimisque, hercle, ego illum male formidabam: ita frendebat dentibus.
Adveniens deturbavit totum cum carni carnarium.
Adripuit gladium, prætruncavit tribus tegoribus glandia.

8. *Pendent indemnatæ.* Male interpretantur « innocentes laqueo suspensæ sunt ». Proprie *pendent indemnati*, quorum lites sunt pendentes; qui non innocentes quidem, sed accusati et nondum peracti sunt rei. Sueton. Domit. 9: « Reos, qui ante quinquennium... pependissent, universos discrimine liberavit ». Plin. Epist. IV, 9: « Accusatus est sub Vespasiano a privatis duobus; ad senatum remissus, diu pependit ». Igitur quum parasitus dicit *quæ pendent*, simpliciter accipit, ut solent suspensæ in carnario esse pernæ; quum addidit *indemnatæ*, loquitur de illis, ut reis, continuata ἀλληγορίᾳ. Inceperat enim: « ut jus dicam larido ». Gr.

3. *Calamitas.* « Proprie, inquit Donatus, calamitatem rustici grandinem dicunt, quod comminuat calamum, h. e. culmum et segetem ». Sic Terent. Eunch. I, 1, 34, Parmeno meretricem appellat: « nostri fundi calamitas ». — *Intemperies*, tempestas. N.

4. *Quasi lupus esuriens*, etc. Admonet me hic locus versuum e sexto Satyrarum Ennii, quos ob elegantiam adscribam ex emendatione Mureti, Variar. lib. XIX, cap. 7: « Quippe sine cura, lætus, lautus quum advenis, Exsertis malis, lupino exspectans impetu, Quam mox alterius obligurrias bona ». Gron.

6. *Deturbavit totum cum carni carnarium.* Longum fuit illi, si pendentes carnes ordine detraheret. Carnarium totum demolitus est. *Carni* pro carne, metro jubente, ut fusti p. fuste, furfuri p. furfure. Cf. IV, 2, 27. N.

7. *Glandia.* Plin. Hist. XI, 37: « Tonsillæ in homine, in sue glandulæ », i. q. glandia. Vitulina glan-

Aulas, calicesque omneis confregit, nisi quæ modialeis erant.
Cocum percontabatur, possentne seriæ fervescere.
Cellas refregit omneis intus, reclusitque armarium.
Adservate istunc, soltis, servi; ego ibo, ut conveniam senem.
Dicam ut sibi penum aliud ornet, siquidem sese uti volet.
Nam in hoc, ut hic quidem adornat, aut jam nihil est, aut jam nihil erit.

dia apud novos in honorum partem suillis successerunt. N.

8. *Modialeis*, modii unius capaces. Pius.

9. *Possentne seriæ*. Pariter ac si quis *orcas* nostrates, id est, « cados salsamentarios » (*Fleischtunnen*) ad focum admoveri postulet; quasi integrum bovem, Herculis βουφάγου in morem, primo velut pedatu absumpturus. Douza. — *Fervescere*, foco admoveri, ita ut fervescerent. Seriæ fictiles erant. N.

10. *Cellas*, in quibus recondita cibaria. — *Armarium*, in quo asservantur vasa, mensaria supellex. N.

12. *Siquidem sese uti volet*. Salmasius interpretatur « si ille volet uti sese, i. e. genio indulgere ». Gron. « si volet se uti (penu) ». Utroque modo Lambinus orationem composuit, neutrum unice probans. Si litem inter tantos viros fas est dirimere, fatebimur insolitam videri locutionem « uti sese » pro « genio indulgere », vel « sibi esse utilem ». Neque ad hunc locum faciunt illa Horatiana : « Utere Pompeio Grospho, majoribus uti, regibus uti », Epist. I, 12 et 17. Namque valent « consuetudinem cum aliquo habere ». Itaque Gronovium libentius sequimur. N.

13. *Nam in hoc*, etc. Vulgatæ : « Nam hic quidem ut adornat, etc. » debilitato sensu. N.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

HEGIO, PHILOPOLEMUS, PHILOCRATES.

HEG. Jovi diisque ago gratias merito magnas,
Quom te reducem tuo patri reddiderunt,
Quomque ex miseriis plurimis me exemerunt,
Quæ, adhuc te carens dum heic fui, substentabam,
Quomque hunc conspicio in potestate nostra,
Quomque hæc reperta 'st fides firma nobis.
Satis jam dolui ex animo, et cura me satis
Et lacrumis maceravi. PHILOP. Satis jam audivi

4. *Quæ*, in neutro positum, i. e. quas res, quæ mala. LAMB.—Sed Acidal. hunc versum, ut indignum Plauto, aut delendum censet, aut ita emendandum : « Quas, dum te carendum hic fuit, sustentabam ». GRONOV.

5. *Hunc*, Stalagmum.

6. *Hæc reperta 'st fides. Hæc* dicitur monstrato Philocrate, et valet *hujus*. N.

7. *Satis jam dolui*, etc. Gratulatur sibi, quod finis lugendo factus sit. « Satis jam », quasi dicat : « nunc tempus venit desinendi lacrymarum ». N.

8. *Satis jam audivi*, etc. His sermonem Hegionis vulgatæ continuant, quæ, ut senis animus affectus est, convenire non videntur. Versum autem ita proferunt nulla distinctione personarum : « Et lacrymis maceravi. Hoc! satis jam audivi ». Et illud monosyllabon doctos viros in tricas conjecit. Nullus inest sensus cum signo admirandi. Itaque Gronovius scribit : « Hoc, satis jam audivi... quas memorasti, hoc agamus » ; ad seqq. *hoc* referens. Idem suspicatur corruptam eam vocem ex interjectione *oh*, quam editor Bip. et Bosscha et alii agnoverunt. Sed exclamatio ægre ferentis querimoniam; sive Hegionis, sive Philocratis, inurbana esset, immo inhumana. Bothius retinet *hoc*, sed in priorem sententiam transfert : « me maceravi hoc », i. e. propter hoc. Camerarium, qui *hoc*, licet in MSStis inventum, delevit, sequuti sumus, quia per scripturæ aut vitium aut defectum ex compendiato nomine personæ (*Ppol.*) hoc loco interpellantis oriri potuit, primis literis intercidentibus. N.

Tuas ærumnas, ad portum mihi quas memorasti.
Hoc agamus. PHILOCR. Quid nunc, quoniam tecum servavi fidem,
Tibique hunc reducem in libertatem feci? HEG. Fecisti, ut tibi,
Philocrates, nunquam referre gratiam possim satis,
Proinde ut tu promeritus de me et filio meo. PHILOP. Imo potes,
Pater, et poteris, et ego potero, et di eam potestatem dabunt,
Ut beneficium benemerenti nostro merito muneres;
Sicut tu huic potes, pater mi, facere merito maxume.
HEG. Quid opu'st verbis? lingua nulla 'st, qua negem quidquid roges.
PHILOC. Postulo abs te, ut mi illum reddas servom, quem heic reliqueram
Pignus pro me, qui mihi melior, quam sibi, semper fuit;
Pro benefactis ejus uti ei pretium possim reddere.
HEG. Quod benefecisti, referetur gratia, id quod postulas;
Et id, et aliud, quod me orabis, inpetrabis; atque te
Nolim subcensere, quod ego iratus ei feci male.
PHILOCR. Quid fecisti? HEG. In lapicidinas conpeditum condidi,
Ubi rescivi mihi data esse verba. PHILOCR. Væ misero mihi!
Propter meum caput labores homini evenisse optumo.
HEG. At ob eam rem mihi libellam pro eo argenti ne duis.

10. *Hoc agamus*. Hoc age. Locutio solennis jubentium unam rem curari, quæ agitur, cæteris omissis; hoc loco intelligitur negotium cum Philocrate. — *Quid nunc*. Subaud. « fiet. » N. — *Tecum*, id est, *tibi*. Sic *oro tecum* p. *tibi*. DOUZA.

13. *Proinde ut*, æque ac. N.

15. *Benemerenti nostro*. Εὐεργέτῃ ἡμετέρῳ, homini de nobis bene merito. L. — Sed paulo durior figura hæc videtur. Malo « benemerenti beneficium remuneres per meritum nostrum », i. e. bene de illo rursus merendo. Quod vs. præcedenti cohæret « et poteris, et ego potero ».

21. *Quod benef.* etc. i. e. *pro eo* quod benef. referetur gratia, *secundum* id, q. post. N.

27. *Libellam*. Libellam argenti,

Gratis a me, ut sit liber, abducito. PHILOCR. Edepol, Hegio,
Facis benigne : sed quæso, hominem ut jubeas arcessi.
HEG. Licet.
Ubi estis vos? ite actutum, Tyndarum huc arcessite.
(Philopolemo et Philocrati.)
Vos ite intro : interibi ego ex hac statua verberea volo
Erogitare, meo minore quid sit factum filio.
Vos lavate interibi. PHILOP. Sequere hac, Philocrates, me intro. PHILOCR. Sequor.

SCENA SECUNDA.

HEGIO, STALAGMUS.

HEG. Age tu illuc procede, bone vir, lepidum mancupium meum.
STAL. Quid me oportet facere, ubi tu talis vir falsum autumas?
Fui ego bellus, lepidus, bonus vir nunquam, neque frugi bonæ,
Neque ero unquam : næ tu spem ponas me bonæ frugi fore.

id est, *assem*. Cic. Accus. 2 : « Si unam libellam argenti dedisset ». Quando minimam pecuniam significare volebant, *assem* et *libellam* dicebant. Pseud. I, 1, 96. GRON.

31. *Interibi ego*. Interea ex hoc verberone Stalagmo volo *erogitare*, id est, rogando extorquere. TAUBM. —*Statua verberea*. Novum statuariæ genus, e lepido Plauti ingenio exortum. Æmulæ marmorearum, æneârum, stant vivæ effigies, conflatæ verberibus, artifice lorario. Servus enim nequam totus est verbera. Cf. Pseud. IV, 1, 7. N.

2. *Quid me oportet*, etc. Nescio an procax illa servi dicacitas adversus iratum dominum, imminente supplicio, proxime vero accedat. At certe risum spectantium movere debuit. Non longas ille tuetur partes, sed acumine mentis et ridicula protervia cognatum se profitetur Leonidæ et Libani, Pseudoli, Epidici, ulmitribarum hilaræ gentis. Ergo, inquit, quid faciam, ego fur? An vera dicam, quum tu mentiris? N.

4. *Næ*. Vulgatæ dant *ne*, turbato sensu. Itaque corrigunt alii « ne in spe », alii « ne in spem ». Aut interpretantur violenter « spem ponere » quasi « sperare ». Bothius, quem sequuti sumus, sanavit locum medela admodum probabili; namque creberrime invenias in MSS *e* pro *æ*. N.

HEG. Propemodum ubi loci fortunæ tuæ sint, facile intellegis.
[Si eris verax, tuam rem facies ex mala meliusculam.]
Recta et vera loquere. Sed neque vere, neque recte adhuc
Fecisti unquam. STAL. Quod ego fatear, credin', pudeat, quom autumes?
HEG. At ego faciam, ut pudeat; nam in ruborem te totum dabo.
STAL. Eia, credo, inperito plagas minitaris mihi.
Tandem ista aufer, dicque quid fers, ut feras hinc, quod petis.
HEG. Sati' facundu's: sed jam fieri dictis conpendium volo.
STAL. Ut vis, fiat. HEG. (versus ad spectatores.) Bene morigerus fuit puer; nunc non decet.
(ad Stalagmum.)
Hoc agamus, jam animum advorte, ac mihi, quæ dicam, edissere.

5. *Ubi loci*, i. q. quo loco, i. e. quo discrimine. Sic Virg. Æn. II, 322: « Quo res summa loco, Pantheu? » N.

6. *Si eris verax*, etc. Vs. hunc simillimum 15to, Osannus ex diversa recensione ortum judicat, Bothius expunxit. Alteruter videtur insititius. Hoc loco desideretur facilius quam infra. N.

7. *Vere.* Nomen « verus » et quod veritati consentaneum, et quod justum, significat. Cf. Amph. III, 3, 111. Inde lusus: « vera loquere. Sed neque recte fecisti ».

8. *Quod ego fatear.* Credisne fore, ut me pudeat, quum tu me dicas facere, quod ipse ultro confitear?

9. *In ruborem.* Jocus. Quos pudet, rubore suffunduntur; et qui loris cæduntur, etiam rubent sanguine. LAMB.

10. *Eia...inperito*, etc. Ironia contumax. Credisne me territare ut novitium, plagis inexpertum? N.

11. *Ista aufer*, desine minari. Sic dicitur « auferre jurgium, cavillam » Pers. V, 2, 19; Aul. IV, 4, 11. N. — *Quid fers.* Quid in animo habeas. DOUZA. — *Fers, feras*, lusus in varia significatione ejusdem verbi. — *Hinc*, a me. N.

13. *Ut vis, fiat.* Posscha mutat ex MS, « Quid vis fiat ». Stalagmus se paratum jusso obsequi denuntiat; sed ejus verbis potest intelligi et aliqua parum honesta patientia. Adi, si placet, Acidalium de significatione ista verbi *facere* monentem. Hegio ambiguitatem non satis decore captabit. — *Bene morigerus*, etc. Id est, fuit impudicus, et aliorum libidini obsequutus est; sed nunc exsoletum et grandem natu non decet. LAMB.

14. *Hoc agamus*. Cf. sc. præc. vs.

Si eris verax, tuis ex rebus feceris meliusculas.
STAL. Nugæ istæc sunt; non me censes scire quid dignus siem?
HEG. At ea subterfugere potis es pauca, si non omnia.
STAL. Pauca ecfugiam scio; nam multa evenient, et merito meo,
Quia et fugi, et tibi subripui filium, et eum vendidi.
HEG. Quoi homini? STAL. Theodoromedi in Alide Polyplusio
Sex minis. HEG. Pro di inmortaleis! is quidem hujus est pater
Philocratis. STAL. Quin melius gnovi, quam te, et vidi sæpius.
HEG. Serva, Jupiter supreme, et me et meum gnatum mihi.
Philocrates, per tuum te genium obsecro, exi, te volo.

SCENA TERTIA.

PHILOCRATES, HEGIO, STALAGMUS.

PHILOCR. Hegio adsum; si quid me vis, inpera. HEG. Hic gnatum meum
Tuo patri ait se vendidisse sex minis in Alide.
PHILOCR. Quam diu id factum 'st? STAL. Hic annus incipit vicesimus.
PHILOCR. Falsa memorat. STAL. Aut ego, aut tu: nam tibi quadrimulum
Tuus pater peculiarem parvolum puero dedit.
PH. Quid erat ei nomen? si vera dicis, memora dum mihi.

10. — *Quæ dicam*, interrogabo. N.

16. *Quid dignus*. Notanda syntaxis, quam Lambinus male mutavit, « quî dign. » Cf. Asin. I, 2, 23. N.

24. *Te volo*. Subaud. alloqui. Sermo tritissimus. N.

1. *Si quid me vis*. Locutio comitatis familiarissima : « si quid ex me vis », vel « si quid me vis facere ». N.

3. *Quam diu*, ex quo tempore. N.

5. *Peculiarem*. Cf. prol. 20.

6. *Quid... nomen*. Consueta Nostro

STAL. Pægnium vocitatu'st; post, vos indidistis Tyndaro.
PHIL. Cur ego te non gnovi? STAL. Quia mos est oblivisci hominibus,
Neque gnovisse, quojus nihili sit faciunda gratia.
PHIL. Dic mihi: isne istic fuit, quem vendidisti meo patri,
Qui mihi peculiaris datus est, hujus filius?
HEG. Vivitne is homo? STAL. Argentum adcepi, nihil curavi cæterum.
HEG. (ad Philocratem.) Quid tu ais? PHIL. Quin, istic ipsu'st Tyndarus tuus filius,
Ut quidem hic argumenta loquitur; nam is mecum a puero puer
Bene pudiceque educatu'st usque ad adulescentiam.
HEG. Et miser sum et fortunatus, si vos vera dicitis;
Eo miser sum, quia male illi feci, si gnatus meu'st.
Eheu! cur ego plus minusque feci, quam æquom fuit!
Quod male feci, crucior modo, si infectum fieri possiet.
Sed eccum, incedit huc ornatus haud ex suis virtutibus.

mutatio *quid* pro *quod* Men. III, 2, 33; Most. III, 1, 132. N.

7. *Indidistis Tyndaro.* Imposuistis nomen illi Tynd. N.

15. *Argumenta loquitur.* Argumenta loqui, vel eloqui, pro signis, indiciis, ex quibus deprehendi conjectura veritas potest. Amph. II, 2, 174; V, 1, 35. Sic « res exquirere argumentis », Rud. IV, 4, 136, id est, indagare, investigare. GRONOV.

18. *Plus minusque feci.* Plus mali, minus boni. LAMB. — Hæc fuerunt in mente Pœno illi, quum scriberet Phorm. III, 3, 21: « Ne quid plus minusve faxit, quod nos pigeat postea ». Plus minus, πλεῖον ἢ ἔλαττον, in quibus rebus omne vitium intelligitur. J. GULIELMUS.

19. *Crucior modo, si inf. f. p.* Crucior omnino, hoc unum cogitans, si infectum hoc fieri possit, quod me pœnitet factum. I. e. hoc maceror, quod non possit infectum fieri. Editi recenter libri distinguunt: « Quod male feci, crucior. Modo, si i. f. possiet! » parum Plautine et antique. N.

20. *Ornatus haud ex suis.* Ita Muretus, Lips. et Acidalius, ex mente Hegionis, qui filium suum non proinde, ut meritus esset, acceptum indicat. Placet et Grutero, quamvis legat MS Camer. « audax suis virtutibus »: et olim cusi, et Pallat. « audax suis viribus ». GRON.

SCENA QUARTA.

TYNDARUS, HEGIO, PHILOCRATES, STALAGMUS.

TNYD. Vidi ego multa sæpe picta, quæ Acherunti fierent
Cruciamenta; verum enimvero nulla adæque'st Acheruns,
Atque ubi ego fui in lapicidinis. Illic ibi demum 'st locus,
Ubi labore lassitudo omni'st exigunda ex corpore.
Nam ubi illo adveni, quasi patriciis pueris aut monedulæ,
Aut anates, aut coturnices dantur, quîcum lusitent:
Itidem mi hæc advenienti upupa, quî me delectem, data 'st.
Sed herus eccum ante ostium, et herus alter eccum ex Alide
Rediit. HEG. Salve, exoptate gnate mi. TYND. Hem! quid, gnate mi?
Attat, scio cur te patrem adsimules esse et me filium;
Quia mi, item ut parenteis, lucis das tuendæ copiam.

1. *Acherunti*. Veteres, ut melius in officio continerentur homines, et a sceleribus absterrerentur, cruciatus infernales, quos imminere iis credebant, in tabulis depingebant, ut quasi præsentes intuerentur. MEURS. — *Acherunti*, id est, apud Acheruntem, in inferno, vel latinius, apud inferos. Dictum autem est, ut *ruri*, *Carthagini*, et alia hujusmodi. GRON.*

2. *Nulla Acheruns*. Producit hunc locum Nonius, ut probet *Acheruns* etiam feminini generis esse. L.

3. *Ubi*, i. q. postquam. Ellipsis. I. e. æque ac illa, quam inveni, quum fui in lapicidinis.—*Demum*, confirmativum. Si quis usquam est, illic certe locus est, ubi, etc. Conf. Terent. Adelph. II, 3, 1-2. N.

4. *Ubi labore lassitudo omni'st*, etc. Ubi oportet lassitudinem laboris gnavitate eximas, non sentias. N.

5. *Quasi patriciis*, etc. Hunc morem enarrant Plin. Hist. X, 42: « Habebant et Cæsares juvenes (Domitius Nero et Britannicus) sturnum, item luscinias græco atque latino sermone dociles »; alter Plin. Epist. IV, 2: « Habebat puer mannulos et junctos et solutos... habebat luscinias, psittacos, merulas ». Videre est in Mus. Pio-Clem. tom. I, tab. 36, effigiem, ex antiquo marmore, pueri cum anate ludentis. N.

6. *Quicum*. Conf. Aulul. III, 5, 28. N.

7. *Hæc upupa*. Sic vocat ridicule instrumentum lapicidinarii, quod manu tenet. Upupæ autem, avis fœdæ et tristi augurio, nomen hic apposite usurpatum. N.

11. *Quia mihi*, etc. E lapicidinis,

PHIL. Salve, Tyndare. TYND. Et tu, quojus causa hanc ærumnam exigo.
PHIL. At nunc liber in divitias, faxo, venies; nam tibi
Pater hic est; hic servos, qui te huic hinc quadrimum surpuit,
Vendidit patri meo te sex minis : is te mihi
Parvolum peculiarem parvolo puero dedit.
Illic indicium fecit; nam hunc ex Alide huc reducimus.
TYND. Quid, hujus filium? PHIL. Intus eccum, fratrem germanum tuum.
TYND. Quid tu ais? adduxtin' illum hujus captivom filium?
PHIL. Quin, inquam, intus heic est. TYND. Fecisti, edepol, et recte et bene.
PHIL. Nunc tibi pater hic est; hic fur est tuus, qui parvom hinc te abstulit.
TYND. At ego hunc grandis grandem natu, ob furtum, ad carnuficem dabo.
PHIL. Meritus est. TYND. Ergo, edepol, [merito] meritam mercedem dabo.
Sed dic, oro : pater meus tune es? HEG. Ego sum, gnate mi.
TYND. Nunc demum in memoriam redeo, quom mecum recogito,

quæ sub terra erant, tenebrosis productus, quasi denuo in lucem opera Hegionis editur. Sic III, 5, 72; « Interdius sub terra lapides eximet ». Quo pertinet illud Cassiodori, ubi de miserabili illorum vita qui in metallum damnantur, loquitur : « Intrant homines caligines profundas, vivunt sine superis, exsulant a sole, etc. » PISTOR.

13. *Faxo, venies.* Cf. prol. 65.

15. *Is*, pater meus. N.

17. *Illic*, Stalagmus. N.

18. *Quid, hujus filium?* Supple : « quo abiisse dicitis », vel quid simile. Gallice : *Et son fils?* Anquirit de illo, quem audivit esse filium Hegionis, et cujus nunc in locum se successurum vocari credit. — *Eccum, fr. g. t.* Hic domi est; frater est tuus. N.

19. *Quid tu ais? adduxtin'*, etc. Ain' tu te illum adduxisse? N.

22. *At ego h. g. grandem*, etc. Similis jocus III, 4, 98. N.

23. [*Merito*] quam uncis inclusimus, vox hæc vulgatis abest, mutilo metro. *Bosscha* supplevit ingeniose et convenienter Plautino sermoni. N.

25, 26. *Nunc demum*, etc. Vulgatæ *cogito*, metro deficiente. *Re-*

Nunc, edepol, demum in memoriam regredior, audisse me
Quasi per nebulam Hegionem patrem meum vocarier.
HEG. Ego sum. PHIL. Conpedibus, quæso, ut tibi sit levior filius,
Atque hic gravior servos. HEG. Certum 'st principium id prævortier.
Eamus intro, ut arcessatur faber, ut istas conpedes
Tibi adimam, huic dem. STAL. Quoi peculi nihil est, recte feceris.

CATERVA*.

Spectatores, ad pudicos mores facta hæc fabula 'st.
Neque in hac subagitationes sunt, neque ulla amatio,
Neque pueri subpositio, nec argenti circumductio:
Neque ubi amans adulescens scortum liberet clam suum patrem.
Hujusmodi paucas poetæ reperiunt comœdias,

cogito Plautinum est. Cf. prol. 51. Horum versuum merito suspicantur alterutrum esse subdititium, e recensione alicujus grammatistæ natum. Olet glossema *audisse me*. Bothius unum conflavit e duobus, « Edepol, demum in memoriam nunc regredior, quum cogito ». N.

27. *Quasi per nebul.* Hoc refer ad illud « regred. in mem. » N.

29. *Certum 'st*, etc. Stat sententia primum omnium id facere. L.

31. *Quoi peculi.* Stalagmus jocatur, et τὸ *dem* ita accipit, ac si alia omnia potius, quam compedes subintelligerentur. Recte ergo dicit facturum Hegionem, si det aliquid illi, cui peculii nihil est. BOXHORN.

* Ed. al. *grex*. Alii, *recitator*. GRON. — Cf. Asin. epil.

1. *Ad*, secundum. Cic. Læl. 5: « Sapientes ad eorum normam ». N.

2. *Subagitationes.* Subagitare mulierem est lascivius eam attrectare. GRON. — Cf. Mil. gl. V, 1, 9; Ter. Heaut. III, 3, 6. N.

3. *Pueri subpositio.* Puerum supponere dicuntur mulieres, quæ fœtum alienum pro suo alunt ac fovent. Hinc « pueri suppositi », i. e. subditi. LAMB. — Vide Trucul. II, 5, hujus doli imaginem lepidissimo artificio effictam. — *Circumductio*, furtum, a *circumducere*, i. e. *decipere*. N.

4. *Neque ubi amans adulescens*, etc. Solenne comici operis argumentum. Vid. Epidic. Bacchid. Pseud. et Terentii Heaut. Adelph. Phorm. N.

Ubi boni meliores fiant : nunc vos, si vobis placet,
Et, si placuimus, neque odio fuimus, signum hoc mittite:
Qui pudicitiæ esse voltis præmium, plausum date.

5. *Hujusmodi paucas*, etc. Haud honesta quidem artis professio, quam tamen cæteri poetæ non agnoscebant, quum speculum vitæ comœdiam esse existimarent; triste judicium ipse Plautus haud semel operibus præclare infitiatus est. N.

7. *Odio*, tædio. Cf. Asin. II, 4, 40. N. — *Signum hoc.* Mihi videtur hoc gestu expressum fuisse signum, quod spectatores suo exemplo *grex* imitari postulet. Douza. — Item Asin. epil. 6 : « si plausum *sic* clarum datis ». *Signum mittere* locutio ludorum propria, de magistratibus qui iniri certamen jubent. Conf. Ennius Annal. I : « Veluti consul, quom mittere signum Volt ». N.

LES CAPTIFS,

COMÉDIE DE ROTROU.

ACTE PREMIER.

SCÈNE II.

ERGAZILE *seul.*

Ce squelette animé, cette larve au teint blême,
Incompatible à tous, incommode à soi-même,
La faim, cet animal avide et ravissant
Qui ne cherche qu'à paître et se tue en paissant,
Ce spectre dont toujours l'indigence est suivie,
M'a porté dans ses flancs et m'a donné la vie;
C'est d'elle assurément que je tiens la clarté,
Car de ma vie encore elle ne m'a quitté;
Elle me suit partout, jamais ne m'abandonne,
Et me fait enrager du soin qu'elle se donne:
Mes repas sont exquis; la rareté des mets
Y fait qu'on ne s'en plaint ni s'en soûle jamais;
Ils me laissent toujours le ventre et vide et large,
Et ma mère a grand soin que rien ne me le charge:
O faim! fâcheuse mère et marâtre en effet,
Que je t'ai bien rendu le bien que tu m'as fait!
Depuis plus de trente ans pour neuf mois je te porte;
Je t'étais bien léger, tu m'es pesante et forte:
Je sens de jour en jour mes douleurs s'augmenter;
Je fais tous mes efforts et ne puis t'enfanter (1).
Quelle étoile nous luit, malheureux que nous sommes,
Triste genre d'humains, nés pour manger les hommes,

(1) Quum ambiguitatem vocis *invocatus* gallice reddere Rotrovius neque posset, neque vellet, hos versus e Sticho, I, 3, huc transtulit. N.

Que tout le monde fuit et qu'on trouve en tous lieux,
Incommodes partout et partout odieux ?
L'adresse de notre art consiste en la science
D'endurer un soufflet avecque patience,
De se voir imprimer un bâton sur le corps,
Rompre un pot sur la tête, et puis mettre dehors.
Ces incommodités suivent un parasite :
Qui les sait supporter quelquefois en profite;
Mais qui n'est patient jusqu'à ce dernier point
Reçoit un pire affront, c'est de ne dîner point.
C'est bien le plus sensible, et de cette disgrâce
La rigueur de mon sort pour long-temps me menace,
Puisque le seul chez qui l'abord m'était permis
Est tombé par malheur aux mains des ennemis.
Ainsi je sens la guerre et n'en ai point la vue;
Ainsi ce fléau (1) mortel sans me toucher me tue,
Et, ne me pouvant voir les armes à la main,
L'ennemi de son camp me combat par la faim.
Voilà, mes tristes yeux, la maison désolée
D'où ma dernière attente enfin s'est envolée,
Et que vous laveriez d'un déluge de pleurs,
Si comme je ressens vous voyiez mes malheurs.
Là, le père affligé du sort qui le traverse,
A changé son repos en un honteux commerce,
Et certes bien contraire à son humanité,
D'acheter des captifs qu'il croit de qualité
Pour en trouver quelqu'un contre qui faire échange
De son fils, qui l'oblige à ce commerce étrange.
Allons tenter fortune : il sort, je l'aperçoi,
Et l'air de la cuisine est venu jusqu'à moi.

SCÈNE III.

HÉGÉE, PSEUDOLE, ERGAZILE.

HÉG. Pseudole, encore un coup, va tôt où je t'envoie,
Vers ces deux qu'avant hier j'achetai de la proie,

(1) *Fléau* tum monosyllabum. N.

Changer leurs premiers fers en d'autres plus légers;
La loi d'humanité fait grâce aux étrangers.
Faisons ce qu'à mon fils nous désirons qu'on fasse,
Puisqu'il est en besoin d'une pareille grâce,
Et que, par la rigueur de mon mauvais destin,
Il est de leur parti devenu le butin.
Laissez-les promener, mais en votre présence,
Et gardez-les toujours avecque diligence :
Un captif qu'on néglige et qu'on suit de trop loin,
Est semblable à l'oiseau dont on n'a point de soin,
Qui, léger, n'attend pas, s'il voit sa cage ouverte,
Que cette occasion lui soit deux fois offerte.
PSEUD. La pire liberté vaut des liens dorés,
Et naturellement les fers sont abhorrés,
Puisqu'ils privent d'un bien que nature nous donne.
HÉG. C'est assez discourir, fais ce que je t'ordonne.
ERG. *à part*. La liberté sans doute a de puissans appas;
Mais tout cela n'est rien au prix d'un bon repas;
Pour moi je donnerais ma franchise affamée
Pour l'odeur d'un festin, pour sa seule fumée;
Et tiendrais pour bien fou qui ne changerait pas
Une liberté maigre en un servage gras.
HÉG. A quoi pense Ergazile, et d'où naît sa tristesse?
ERG. Hélas! demandez-vous quelle douleur me presse?
C'est de votre malheur que je suis macéré,
Triste, pâle, transi, maigre, défiguré;
Je suis vieux à trente ans du mal qui vous afflige;
Ne remarquez-vous pas comme je me néglige,
Et que je ne suis plus qu'un squelette mouvant,
Qui dedans le tombeau va choir au premier vent?
De moi-même déja je tombe de faiblesse;
Le moindre bruit m'abat, une mouche me blesse.
Jamais homme affligé ne le fut à ce point;
Ce que je prends chez moi ne me profite point;
Et comme ailleurs aussi je prends fort peu de chose,
J'ai le cerveau tout vide et jamais ne repose.
HÉG. Je n'ai jamais douté de ton affection,
Et tu prends trop de part en mon affliction.

Mais tel est le malheur et le destin des armes:
Réprime comme moi ces inutiles larmes,
Et ne t'afflige pas jusqu'à ce dernier point.
ERG. Ah! que m'ordonnez-vous? que je ne pleure point?
Vous qui savez qu'en lui j'eus un ami si rare,
Croyez-vous que ce sein enferme un cœur barbare?
HÉG. Je sais trop, et j'ai vu des signes infinis
De l'étroite amitié dont vous étiez unis.
ERG. Quelque si clairvoyant que soit l'esprit des hommes,
Nous ne reconnaissons, malheureux que nous sommes,
L'heur que nous possédons, qu'alors qu'il est absent:
Quand on n'a plus un bien, c'est quand on le ressent.
J'estimais votre fils; mais c'est depuis sa prise
Qu'au vrai je reconnais à quel point je le prise,
Et de quelle valeur nous est un bon ami:
Je n'en saurais parler ni juger à demi.
HÉG. Si sans t'appartenir, tu te plains de la sorte,
De combien ma douleur doit-elle être plus forte,
Et la peine où je suis surpasser ton ennui,
Puisque de mes deux fils je n'avais plus que lui,
Qu'il était mon support et mon dieu domestique!
ERG. Il m'était aussi cher qu'il vous était unique;
Et j'ose dire encor plus unique qu'à vous,
Puisque nous étions joints par des liens si doux.
Oh! qu'en ce mauvais siècle un honnête homme est rare!
Le plus jeune aujourd'hui comme un autre est avare,
Et le plus échauffé croirait se ruiner
S'il était mis en frais d'un mauvais déjeuner;
Tous vivent à l'envi dans une épargne extrême,
Et le plus généreux ne fait que pour soi-même.
Votre fils, prêt à tout, disait toujours oui,
Jamais ingratement je ne l'ai réjoui;
Il payait un bon mot, quand je le savais dire,
Et me faisait dîner, si je le faisais rire.
Ah! HÉG. Je ne doutais point d'où naissait ton ennui,
Ni quels étaient les nœuds qui t'attachaient à lui.
Mais bannis ta tristesse et ne perds pas courage;
Nous obtiendrons du temps la fin de son servage.

Tu sais à quel trafic je me suis résolu,
Puisque mon mauvais sort et les dieux l'ont voulu,
Et je puis établir une attente solide
Sur l'achat que je fais des prisonniers d'Élide.
Un entre autres, et riche, et puissant à le voir,
M'a flatté plus que tous de cet heureux espoir
Que son père, sachant où son malheur le range,
De mon fils et du sien moyennera l'échange.
ERG. Plaise aux bontés des dieux, plaise à vos bons destins,
Et plaise au bon Bacchus, le gros dieu des festins!
HÉG. Où soupes-tu? chez toi? ERG. Ce ne fut de ma vie,
Car je ne soupe point si l'on ne m'en convie.
Ma table ne rompt point sous le fardeau des mets;
Elle est encore entière et n'usera jamais.
HÉG. Je célèbre aujourd'hui le jour de ma naissance;
Aide à solenniser cette réjouissance,
Et ce soir avec nous prends un mauvais repas.
ERG. Vous pouvez tout sur moi. HÉG. N'y manqueras-tu pas?
ERG. Je crois que mon ennui me le pourra permettre;
L'espoir de son retour commence à me remettre;
Le mal que je sentais en devient moins cuisant.
HÉG. En auras-tu loisir? ERG. Je l'ai dès à présent.
HÉG. Le temps ne presse point, viens à l'heure ordinaire,
Et permets cependant que j'entre chez mon frère
Pour voir d'autres captifs qu'on me garde chez lui. (*Il sort.*)
ERG. Oh! l'heur inespéré qui m'arrive aujourd'hui!
Ce m'est bien plus qu'à lui le jour de ma naissance,
Car je renais d'espoir et de réjouissance.
Heures, vous durez trop; soleil, presse ton cours;
Élargis-toi, mon ventre, et mangeons pour huit jours.



ACTE II.

SCÈNE IV.

PSEUDOLE, TYNDARE, PHILOCRATE, UN GEOLIER.

PSEUD. Contre un grand accident montrez un grand courage,
Et, puisqu'il plaît aux dieux, souffrez votre servage :
Leur main vous a touchés, respectez-en les coups,
Et soyez patiens afin qu'ils vous soient doux.
Ce que vous n'étiez pas il faut apprendre à l'être,
A se soumettre en tout aux volontés d'un maître,
Et, de quelque façon que l'on en soit traité,
Croire être un digne objet de toute indignité.
TYND. Hélas ! PSEUD. Par ces sanglots témoins de votre peine,
Vous nous en excitez, mais elle vous est vaine ;
Notre mal n'ôte rien à votre affliction ;
C'est un faible secours que la compassion.
Nous tirons moins de fruit, quand le sort nous outrage,
De la douleur d'autrui que de notre courage.
TYND. Nous ne nous plaignons pas, mais ces fers sont honteux.
PSEUD. Sans eux votre servage aussi serait douteux :
Notre fidélité dépend de cette honte :
Notre maître autrement n'y verrait pas son compte,
Et vous traiterait mieux s'il ne hasardait rien.
PHIL. Quelque bien qu'il nous fît, nous en userions bien.
PSEUD. Oui, pour votre profit, mais pour notre dommage :
L'oiseau n'est guère sûr lorsqu'il n'est plus en cage.
TYND. Vous nous traitez à tort comme des fugitifs.
Nous, fuir ! Notre vertu nous tient assez captifs.
PSEUD. Pourquoi ? l'occasion s'en étant présentée,
Je vous mépriserais de l'avoir rejetée.
PHIL. Pour toute grâce au moins accordez-nous un bien.
PSEUD. Quel? PHIL. D'avoir seul à seul un moment d'entretien.
PSEUD. Oui, passons par ici ; vous, prenez cette route. (*Il sort.*)

SCÈNE V.

PHILOCRATE, TYNDARE.

PHIL. Ménageons bien le temps. Tyndare, approche, écoute,
Conduisons jusqu'au bout cette fourbe avec soin,
Et possède surtout ta mémoire au besoin :
Garde qu'à mes dépens elle te soit ingrate;
Souviens-toi qu'aujourd'hui ton nom est Philocrate,
Et que, pour profiter de ce déguisement,
Il faut changer de nom comme de vêtement.
Tu mets ce bon office à sa gloire suprême,
Si pour l'amour de moi tu crois être moi-même.
TYND. Chassez de votre esprit ce frivole souci,
Je sais mon personnage. PHIL. Et moi le mien aussi.
TYND. Croyez que si pour vous je hasarde ma vie,
Bien plus que mon devoir mon zèle m'y convie.
Ne suis-je pas auteur de cette invention?
PHIL. Je douterais à tort de ton affection;
C'est d'elle seule aussi que dépend mon remède.
TYND. Souvenez-vous-en donc si l'effet en succède:
Tous les hommes sont bons au moment qu'on les sert,
Mais bientôt d'un plaisir la mémoire se perd.
PHIL. Je doute si jamais j'ai respecté mon père
Autant que je t'honore et que je te révère :
C'est un nom que sur moi tu t'acquiers aujourd'hui;
Tu m'es plus nécessaire et plus père que lui.
TYND. Dans les occasions l'effet le fera croire.
PHIL. Sache donc au besoin fournir de ta mémoire;
Et, puisque du dessein ton esprit est auteur,
Sois désormais mon maître et moi ton serviteur.
Tyndare, au nom du ciel, qui m'instruit par ta bouche,
Si de ce que je suis le souvenir te touche,
Et si l'affection de mon père envers toi
T'oblige en quelque sorte à t'employer pour moi,
Par la commune peine et le commun servage
Où le sort de la guerre aujourd'hui nous engage,

Ne mêle de respect ni de civilité,
Et me traite de serf comme je t'ai traîté;
C'est d'où dépend le bien que le ciel me prépare.
TYND. Je suis donc Philocrate, et vous êtes Tyndare.
Depuis que de ce nom vous m'avez honoré,
J'en suis plus honnête homme et plus considéré.

. . . .

SCÈNE VI.

LES MÊMES; PSEUDOLE, HÉGÉE.

. . . .

HÉG. Je reviens. Ces captifs sont-ils encore ici?
TYND. Vous avez bien pourvu contre ce vain souci,
Et vous ne craignez pas qu'on ne nous puisse atteindre.
HÉG. Qui craint d'être trompé ne le saurait trop craindre.
J'ai d'un notable prix payé vos libertés;
Vos fers ne pèsent pas l'or que vous me coûtez.
Plaise aux dieux que mon fils, durant sa servitude,
N'éprouve point chez vous un traitement plus rude!
TYND. Quoi! votre fils captif? HÉG. Oui, captif comme vous;
Le sort dessus vous seul ne lâche pas ses coups,
Et l'inconstant eût cru que mes vieilles années
Eussent, sans ce malheur, coulé trop fortunées.
(*A Philocrate.*)
Mais je vous veux parler; séparez-vous. Toi, vien,
Réponds sincèrement, et ne déguise rien.
N'es-tu pas son esclave? PHIL. Oui. HÉG. Ton nom est?... PHIL. Tyndare.
TYND. *à part.* La pièce a commencé, ma scène se prépare.
HÉG. Et ne voudrais-tu pas t'être tiré des fers?
PHIL. Selon les bons moyens qui m'en seraient offerts;
Car je ne voudrais pas acheter de ma fuite
La fin de ma misère où ma vie est réduite.
Je pouvais, grâce aux dieux, dans ma captivité,
Me dire malheureux sans incommodité;
Et, sans faire le vain, j'ose jurer qu'on m'aime
Dans toute la famille à l'égal du fils même.

HÉG. De quelle race est-il? PHIL. Des Polypleusiens,
Gens riches en Élide et d'honneur et de biens.
HÉG. Son père est-il vivant? PHIL. Je crois qu'il vit encore:
Nous l'avons laissé sain. HÉG. Et son nom? PHIL. Théodore.
HÉG. Splendide et magnifique à l'égal de son bien?
PHIL. Non, au contraire, avare et qui croit n'avoir rien;
Qui, de peur de jeûner, son manger se dénie,
Et craint d'être volé par son propre génie.
HÉG. *à Tyndare.* Il suffit, suis mes pas. Philocrate, parlez;
Vous vous tromperez seul, si vous dissimulez:
Il ne m'a rien célé de tout ce qui vous touche,
Mais je le veux encor savoir de votre bouche.
TYND. Le sort l'ayant rangé dessous votre pouvoir,
En vous obéissant il a fait son devoir,
Quoiqu'il me soit honteux que l'on ait connaissance,
En l'état où je suis, du lieu de ma naissance;
Mais il dépend de vous, qui tenez aujourd'hui
L'empire que le sort m'avait donné sur lui:
Notre commun servage égale nos fortunes,
Et tout nous est commun sous des chaînes communes:
Ce que de la voix seule il eût craint d'avoir fait,
S'il le veut maintenant, il le peut de l'effet.
C'est ainsi que de nous la fortune se joue,
Et qu'on vient du plus haut au plus bas de sa roue.
Je fus libre autrefois comme fut votre fils;
Combattant comme lui, comme lui je fus pris:
Sous un même devoir un même sort nous lie;
Il est serf en Élide, et nous en Étolie.
Il est sans doute un Dieu qui jette ici les yeux,
Qui prend soin de la terre aussi bien que des cieux,
Qui sait notre besoin, qui voit nos servitudes,
Qui rend les charités et les ingratitudes,
Et qui, comme il verra que nous serons ici,
Fera que votre fils sera chez nous aussi:
Comme vous votre fils, mon père me désire.
HÉG. Mais vous accordez-vous à ce qu'il vient de dire
Touchant votre famille et touchant votre bien?
TYND. Le soin des dieux a fait qu'il ne nous manque rien:

Chez nous leur providence, au besoin toujours prête,
A mis d'honnêtes gens avec un rang honnête:
Mais par l'heur que le ciel peut rendre à vos vieux ans,
Et par ces cheveux gris, triste ouvrage du temps,
Gardez, sage vieillard, que par votre avarice
Notre confession nous porte préjudice,
Et croyez que mon père, avare comme il est,
Et bien plus serf que moi, mais de son intérêt,
M'aimerait moins chez lui cause de sa ruine,
Qu'ici dans les malheurs que le sort me destine.
HÉG. Je tends à mon repos bien plus qu'à mon profit,
Et, grâce aux immortels, ce que j'ai me suffit :
Assez en ma faveur leurs mains se sont ouvertes;
Nos gains sont quelquefois instrumens de nos pertes;
Celui possède assez de qui le ciel a soin;
Le bien manque au désir et non pas au besoin.
J'ai toujours haï l'or comme un appât au vice,
Et tiens que tout bon cœur répugne à l'avarice;
Enfin tous, s'il se peut, tirons-nous de souci;
Mon fils sert en Élide, et vous servez ici;
Veillez pour votre bien en veillant pour le nôtre,
Et de sa liberté rachetez-vous la vôtre.
TYND. Ce que vous proposez est la même équité (1);
Mais savez-vous de qui dépend sa liberté?
HÉG. D'Argante, un médecin, comme on m'a fait entendre.
PHIL. Demain, s'il est ainsi, nous vous le pouvons rendre:
Il sera médecin du mal qu'il vous a fait;
Et tenez-en l'espoir aussi sûr que l'effet.
Bénissez avec nous cette heureuse aventure :
Du père de mon maître Argante est créature;
Consultez seulement sur la commission,
Car nous vous répondrons de l'exécution.
HÉG. Qui puis-je, à ton avis, commettre à ce voyage?
PSEUD. J'ai déja jeté l'œil sur tout le voisinage,
Mais je n'en connais point de si digne de foi.
TYND. Pour notre commun bien, Hégée, écoutez-moi :

(1) *La même équité.* Anastrophe. I. e. jus ipsum. Cf. inf. p. 544. Sic Cornelius in Cido: *Sais-tu que ce vieillard fut la même vertu.* N.

Je ne demande pas que sur cette apparence
Votre extrême bonté souffre ma délivrance,
Et que gardes ni fers me soient encore ôtés;
Redoublez-les plutôt, cherchez vos sûretés;
Mais souffrez que Tyndare aille trouver mon père;
En sa fidélité confiez cette affaire,
Et mettez ma rançon à l'estime de deux:
Cet unique moyen peut accomplir vos vœux.
HÉG. Quelqu'un des miens pourra lui sauver cette peine.
TYND. S'il n'est connu chez nous, son entremise est vaine:
Mon père aime Tyndare, il sait sa probité,
Et commettrait sa vie à sa fidélité.
Croyez qu'en lui la foi parmi les fers se treuve;
A mes propres périls j'en hasarde l'épreuve:
Aussi suis-je assuré de son affection.
HÉG. Lui dois-je confier cette commission?
Oui, détachez ses fers et ceux de Philocrate.
TYND. Vos bontés confondraient l'âme la plus ingrate.
Rien ne puisse manquer en vos prospérités!
HÉG. Me désirant du bien, vous vous en souhaitez.
TYND. Ma fortune, Tyndare, à tes soins est commise;
La clef de ma prison en tes mains est remise;
Tu gouvernes ma nef, tu la peux rendre au port,
Et de toi seul dépend mon bon ou mauvais sort.
Si par le souvenir de tant de bons offices
Dont ma reconnaissance a payé tes services,
Je croyais envers moi croître ta passion,
J'ôterais du mérite à ton affection.
Te remontrer aussi que sans ingratitude,
Voyant que ma rançon pleige ta servitude,
Tu ne me peux manquer en cette extrémité,
Ce serait faire tort à ta fidélité.
Pour me promettre donc une ardeur infinie,
Promets-moi seulement de suivre ton génie,
Et d'écouter un peu ces mouvemens secrets
Qui t'ont toujours porté dans tous mes intérêts.
D'un infaillible espoir ma liberté se flatte:
Après ce que Tyndare a fait pour Philocrate,

Et ce qu'il me promet, je le tiens déja fait.
Va, pars avec l'espoir, reviens avec l'effet.
PHIL. Quelque sensible ardeur qui pour vous m'intéresse,
Je suis encore ingrat si je ne vous confesse
Que tout ce que j'ai fait est beaucoup au-dessous
Des insignes plaisirs que j'ai reçus de vous.
Le jour s'effacerait par le retour de l'ombre
Avant que ma mémoire en eût atteint le nombre,
Et je n'y puis penser que je n'en sois confus :
Étant mon serviteur, vous n'auriez pas fait plus.
J'atteste aussi des dieux la science suprême
Que j'aime Philocrate à l'égal de moi-même,
Que je sentais ses maux et portais ses liens,
Et qu'en ses intérêts je prends part comme aux miens :
Quand envers lui ma foi diminûra son zèle,
Je me serai moi-même à moi-même infidèle ;
Et quand pour le servir je manquerai de soin,
(*Ils s'embrassent.*)
J'en manquerai pour moi dans le même besoin.
HÉG. Hommes vraiment loyaux, captifs pleins de franchise,
Certes vous me coûtez moins que je ne vous prise :
Malgré mes intérêts je ressens vos malheurs,
Et par votre vertu vous me tirez des pleurs.
Quel maître peut aimer avecque plus de zèle,
Et quel esclave aussi peut-être plus fidèle ?
Venez quérir votre ordre et prendre un passe-port
Pour le premier vaisseau qui partira du port.



ACTE III.

SCÈNE PREMIÈRE.

ERGAZILE *seul.*

Malheureux qui court tant pour un mauvais repas!
Plus malheureux encor qui court et ne l'a pas,
Et qui, faible déja de la faim qui le presse,
A courir vainement croît encor sa faiblesse!
O jour mélancolique, importun, ennuyeux,
A qui, si je pouvais, je crèverais les yeux,
Jaloux de mon espoir, tu fais à ta lumière,
Pour prolonger ma faim, prolonger sa carrière,
Et retardes la nuit contre l'ordre du temps,
Afin de retarder le souper que j'attends.
Mes dents assurément, à faute d'exercice,
Si ce mauvais temps dure, oublîront leur office.
Maudit siècle de fer, où mon triste métier
Au sein des jeunes gens trouve des cœurs d'acier!
. . . .
Aujourd'hui nous souffrons des mépris éternels,
Et l'on nous fuit partout comme des criminels:
Nos bons mots désormais passent tous pour frivoles,
On ne se paye plus avecque des paroles,
On ne donne à dîner qu'à celui qui le rend;
On ne le donne pas, on le prête, on le vend;
Et l'avarice va jusqu'à ce point extrême
Que pour ne rien donner chacun se sert soi-même:
On nous a même ôté les messages d'amour;
Chacun pour soi travaille, et pour soi fait sa cour:
Bien plus que leur amour leur intérêt les presse;
La bourse est à chacun sa plus belle maîtresse.
Je les suis, les approche, et d'une accorte voix:
« Bonjour, dis-je; bonjour, dis-je encore une fois;

« Où va-t-on ce matin? où se fait la partie? »
A tout cela du vent et point de repartie.
« Échauffons-nous, leur dis-je, allons charmer nos soins. »
Point de réponse encore. « Allons boire. » Encor moins.
« Parlez donc; qui de vous commencera la fête? »
Mais rien à tout cela qu'un branlement de tête.
Lors je lâche en riant un de mes meilleurs mots,
Qui me devrait un mois faire vider les pots;
Mais nul que moi n'en rit, et tous, plus froids que glace,
S'en vont tournant la tête et me quittent la place.
Ayant failli ceux-là, j'approche de ceux-ci;
Tantôt je m'en vais là, tantôt je viens ici:
Mais la honte pourtant m'invite à la retraite;
Tous me traitent de même, et pas un ne me traite;
Tous sont d'intelligence, et nul n'a d'un bon œil
Vu mes soumissions, ni rendu mon accueil;
Mais encore avec eux le jour même conspire;
Car ne semble-t-il pas que la nuit se retire?
Et le soleil, conduit par un mauvais destin,
Semble-t-il pas aller du couchant au matin?
Faisons encore un tour, quelque faim qui m'accable,
Tandis que chez Hégée on dressera la table. (*Il sort.*)

SCÈNE IV.

LES MÊMES; HÉGÉE, CRISIMANT.

HÉG. Le voilà, parlez-lui s'il est connu de vous.
TYND. Que vois-je, ô justes dieux! quel est votre courroux?
Voici l'instant fatal qui fera tout connaître,
Et qu'il me serait mieux d'avoir été que d'être;
Que de ma trahison je ne me puis laver,
Que le même salut (1) ne me pourrait sauver;
Et que fourbe, mensonge, artifice ni ruse,
Ne peut ni me servir, ni me fournir d'excuse.
Malheureux Crisimant, qui guide ici tes pas?
HÉG. Quel respect vous retient? vous ne l'abordez pas?
TYND. Mais ne relâchons rien, mentons avec audace.
Force-toi, mon esprit, et toi-même te passe.

(1) Vide notam p. 540. N.

CRIS. Qui te fait, cher Tyndare, errant de toutes parts,
Et des pieds et des yeux éviter mes regards?
Serait-ce que le sort t'eût, depuis notre absence,
Avecque la franchise ôté la connaissance?
Ignores-tu mon nom? ne me connais-tu pas?
Pourquoi de mon abord détournes-tu tes pas?
HÉG. Vous-même montrez bien de ne le pas connaître,
Car vous nommez l'esclave, et vous parlez au maître:
Il vous fuit et vous hait avec juste raison:
Tyndare est son valet, Philocrate est son nom.
TYND. Éloignez-vous, Hégée; il est frappé de rage;
Et ce mal d'un bon sens lui dérobe l'usage;
Cette contagion se prend par le cracher;
Dedans toute l'Élide on n'en ose approcher;
On l'a vu furieux se jeter sur son père,
Prendre la terre aux dents, tâcher de se défaire;
Et depuis, chacun craint cet esprit forcené:
De ses plus chers parens il est abandonné.
La guerre vous a fait une mauvaise prise;
Et le garder est bien acheter sa franchise.
CRIS. Fut-il jamais menteur impudent à ce point?
HÉG. Parle-lui, si tu veux, mais ne m'approche point.
CRIS. Moi, la rage, imposteur? Moi, vouloir me défaire?
Moi, j'ai voulu, méchant?... TYND. Assassiner ton père.
Pourquoi veux-tu nier un mal connu de tous?
Et quelle vaine honte excite ton courroux,
Puisque bientôt le temps l'eût assez fait connaître?
HÉG. Loin, loin: n'approche pas. CRIS. Quoi! vous croyez ce traître?
TYND. Voyez de quel regard il porte l'œil sur nous:
Son mal va commencer; fuyez, retirez-vous.
HÉG. J'ai bien dès cet abord reconnu sa folie:
Il vous nommait Tyndare. TYND. Ordonnez qu'on le lie;
On ne pourrait dompter cet esprit furieux.
Voyez-vous pas déja qu'il nous mange des yeux?
PSEUD. Certes, le danger hors, ce passe-temps est rare.
TYND. Ne vous étonnez pas qu'il m'appelle Tyndare:
Lorsque cette fureur possède sa raison,
On le voit oublier jusqu'à son propre nom.

CRIS. Si ma colère était de son effet suivie,
Ces mensonges, méchant, te coûteraient la vie.
Quel respect me retient que des poings et des dents
Je ne te fais rentrer ces termes impudens?
Voyez quelle assurance après cette imposture.
HÉG. Qu'on le renferme; allez, je crains quelque aventure.
CRIS. Hégée, au nom des dieux, pour notre commun bien,
Pour ton propre intérêt autant que pour le mien,
Prête un moment l'oreille à ma juste défense.
HÉG. Parle donc de plus loin. Empêchez qu'il n'avance.
CRIS. Quoiqu'un sujet bien vain t'excite cet effroi,
Il suffit que ma voix puisse aller jusqu'à toi:
Je n'avancerai point; réponds-moi donc, de grace,
Pour qui cet imposteur en ton estime passe.
HÉG. Pour Philocrate. CRIS. O dieux! HÉG. Et celui que tu dis
Est allé moyenner le retour de mon fils.
CRIS. Quoi! du nom de son maître un esclave s'avoue!
O crédule vieillard, à quel point on te joue!
Un vil objet d'opprobre et de dérision,
Un serf passer pour libre en ton opinion!
TYND. Chez toi réduit au point d'une misère extrême,
Tu voudrais bien qu'ici chacun fût cru de même.
C'est un vice commun à tous les malheureux,
De faire, s'ils pouvaient, que chacun fût comme eux;
Et leur humeur jalouse, envieuse, importune,
Tâche à nous nuire autant que leur fait la fortune.
CRIS. Garde, sage vieillard, de suivre obstinément
Le parti d'un abus conçu légèrement;
Crois que sous cette erreur quelque fourbe est tissue,
Et pour ton intérêt redoutes-en l'issue.
Lui, racheter ton fils! TYND. Oui, si l'aide des dieux
Me favorise autant que tu m'es ennuyeux:
Tyndare, à ce dessein envoyé vers mon père,
Nous produira bientôt le succès que j'espère.
CRIS. Ce Tyndare est lui-même. Eh quoi! cet effronté
Vous joûra tout le jour avec impunité,
Et de ce vain espoir votre bonté se flatte!
TYND. Moi Tyndare, impudent? CRIS. Et qui donc? TYND. Philocrate.

CRIS. O l'insolent esclave! TYND. Il est vrai que je sers,
Mais que la guerre aussi m'a mis aux premiers fers,
Et que la liberté m'est aussi naturelle,
Qu'à ce fameux Romain qui se défit pour elle.
CRIS. Me puis-je contenir en si juste courroux?
Éclate, ma fureur. TYND. Eh bien, l'entendez-vous?
Des mains après cela lui laissez-vous l'usage?
Il va, s'il n'est lié, nous sauter au visage.
CRIS. Ne pouvoir être cru, ni n'oser faire un pas!
Je forcène de rage, et ne me connais pas.
TYND. Que vous disais-je? Eh bien, voyez cet œil farouche;
L'écume va bientôt lui sortir de la bouche.
CRIS. Toi, tu seras bientôt l'aliment des corbeaux,
Infâme, et digne objet de la main des bourreaux.
TYND. Il extravague enfin, sa fureur le possède.
HÉG. Le ferai-je emporter? TYND. C'est le plus sûr remède.
PSEUD. Aide-moi donc, car seul je n'en approche point.
CRIS. Peux-tu, ma patience, aller jusqu'à ce point?
Quel monstre, quel serpent a conçu ce prodige?
Ne le puis-je étouffer? HÉG. N'approche pas, te dis-je;
Arrête. CRIS. Encore un coup, Hégée, au nom des dieux,
Laisse à la vérité te dessiller les yeux:
Quatre mots t'apprendront tout ce que je désire.
HÉG. Je t'oirai bien d'ici; parle, que veux-tu dire?
CRIS. Sache donc que le mal qu'il me veut imposer
Ne tend qu'à m'empêcher de te désabuser;
Qu'il forge à tes dépens cette vaine folie:
Mais prends tes sûretés; je consens qu'on me lie,
Mais qu'il le soit aussi. TYND. Qui veut l'être, le soit.
.... (1)
CRIS. As-tu vu ce clin d'œil? TYND. Dieux! voyez l'imposture.
HÉG. Je ne sais que promet toute cette aventure,
Mais je n'ose espérer que son succès soit bon.
CRIS. Saches encore un coup que Tyndare est son nom,
Et que cet affronteur d'un vain espoir te flatte.
Comme je me connais, je connais Philocrate;

(1) In libris, quos nobis promptum fuit legere, hic versus desideratur. N.

Une étroite amitié de tout temps nous a joints.
TYND. Enfin la vérité confondra tous mes soins;
A ces impressions cet esprit se prépare.
HÉG. Viens ça, qui que tu sois, Philocrate ou Tyndare;
Il est temps de finir ce douteux entretien.
Es-tu né libre ou serf? ne me déguise rien.
TYND. Je suis né libre. CRIS. Il ment. TYND. L'audace sans seconde!
Traître, me reçus-tu lorsque je vins au monde?
Assistais-tu ma mère en son accouchement?
Je suis né tel, vous dis-je. CRIS. Encore un coup, il ment:
Le ciel, s'il ne t'abuse, à tes yeux me confonde.
Vois-tu pas qu'il se tait? Qu'il parle, qu'il réponde.
TYND. J'arrive entre le prêtre et le glaive et l'autel,
Et sans rémission j'attends le coup mortel.
HÉG. Dieux! m'auriez-vous laissé tramer cet artifice,
Et payer ma bonté d'un si mauvais office?
Oui, de lui le silence, et de l'autre la voix,
Te détruisent assez, vain espoir que j'avois.
O bienfaits mal rendus! ô servitude ingrate!
Mais vois-le bien. CRIS. C'est lui. HÉG. Dépeins-moi Philocrate.
CRIS. Châtain, de basse taille, un peu haut en couleur,
De vingt ans à peu près. HÉG. C'est lui-même. O malheur!
Dans la captivité chercher de la franchise,
Était-ce une leçon que l'âge m'eût apprise?
O triste expérience, apprise à mes dépens!
Fruit de mon imprudence, et non pas fruit du temps,
J'apprends bien à te croire, en étant trop crédule.
O vieillesse inexperte! ô bonté ridicule!
TYND. Tout sens et tout espoir m'abandonne à la fois,
Et le trouble où je suis m'ôte jusqu'à la voix.
HÉG. Mais il semble qu'encor mon jugement balance!
Attends-je que sa voix confirme son silence?
Assez par sa frayeur mon doute se résout,
Et ne me disant rien, le traître me dit tout.
TYND. Oui, faites qu'à mon crime on égale mes peines...
HÉG. Lichax, Daniste, Arbax, venez chargés de chaînes,
Vengez tous à l'envi l'affront que je reçois.
Des cordes, des liens!

SCÈNE V.

LES MÊMES; TROIS VALETS.

PREMIER VALET. Qu'est-ce, allons-nous au bois?
HÉG. Liez, et jusqu'au sang serrez ce détestable,
Qui me rend de ces lieux et l'opprobre et la fable.
TYND. Ces liens à mes mains seront encor trop doux :
Vous les pouvez couper, puisqu'elles sont à vous.
Je reconnais la fourbe et confesse les feintes;
Mon mal, si vous voulez, passe encore vos plaintes.
Mon maître était aux fers, je les ai détachés.
N'est-ce pas l'action que vous me reprochez?
HÉG. Cette action, méchant, te coûtera la vie.
TYND. Une si belle mort sera digne d'envie.
J'ai par ma probité fait que tous mes tourmens
Peuvent m'être des maux, mais non des châtimens.
HÉG. Quand j'aurai de ton sang ma vengeance assouvie,
Appelle, si tu veux, cette mort une vie,
Et nomme cette fourbe ou mérite ou forfait,
Tu mourras glorieux, je serai satisfait.
TYND. Voyez par quel conseil vous vous devez conduire :
Si mon maître revient, ma mort vous pourra nuire.
CRIS. Je comprends le secret. Qu'ai-je fait, justes dieux?
Mon ami par son art s'est tiré de ces lieux;
J'eusse aidé le forfait, j'en eusse été complice,
Et par ma faute il faut que l'auteur en périsse.
Au nom des dieux, Hégée, et par ta piété,
Fais-nous preuve sur lui de ton humanité :
Sa vie est en tes mains, sa gorge t'est offerte;
Mais, hélas! quel profit te naîtra de sa perte?
HÉG. Je saurai bien pourvoir à ne le perdre pas;
Il est assez de fers pour retenir ses pas.
. . . .
Allez, et qu'on l'enferme en un cachot si noir,
Qu'il n'y soit vu du jour, ni ne le puisse voir.
Je ne veux pas qu'une heure achève son supplice :
Il faut plus d'une mort pour m'en faire justice.

Je souffrirai ses jours, mais pour le voir souffrir;
Il y vivra long-temps, mais pour long-temps mourir.
TYND. S'il fallait mesurer le supplice à la faute,
Il serait bien léger. HÉG. Dépêchez-vous, qu'on l'ôte.
TYND. Adieu; que rien ne manque à vos prospérités,
Et soyez plus heureux que vous ne méritez.
Songez si vous tiendriez ou pour crime ou pour vice
Qu'un serf à votre fils eût rendu cet office,
Qu'on peut à ses dépens croire ses passions,
Et que le ciel nous rend selon nos actions.
Toi, dangereux ami, cause de ma disgrâce,
Jamais aucun des tiens ne se trouve en ma place!
Et, s'ils sont compagnons de ta captivité,
Le ciel leur soit plus doux que tu ne m'as été!
PSEUD. Dieux! je ressens sa peine, et son malheur m'afflige.
(Il sort.)
CRIS. O fatale imprudence! HÉG. Emmenez-le, vous dis-je.
TYND. Pourquoi m'outragez-vous, puisque je suis vos pas?
Contentez-vous que j'aille, et ne me traînez pas.
(Les valets emmènent Tyndare.)

SCÈNE VI.

HÉGÉE, CRISIMANT.

HÉG. Traînez, tirez, frappez; servez si bien ma haine,
Que mes autres captifs profitent de sa peine.
A d'autres désormais leurs conseils superflus!
Je suis bien résolu de ne les croire plus;
C'est assez qu'une fois ma bonté trop aisée
M'ait fait de nos voisins la fable et la risée,
Et que la perte encore y soit jointe au mépris.
Suis-moi, que je te rende aux lieux où je t'ai pris.
Cessez, vains sentimens que la pitié me donne:
On n'en a point pour moi, je n'en ai pour personne.
CRIS. *à part.* Les fers me sont biens dus; j'en cause à mes amis.
(Il sort.)

SCÈNE VII.

ERGAZILE, HÉGÉE.

ERG. Ne viens-je point trop tard? le couvert est-il mis?
Irai-je à la cuisine ordonner que l'on dresse?
HÉG. Je ne souperai point; pardonne à ma tristesse;
Mais demain... ERG. Raillez-vous? HÉG. Excuse mes ennuis.
Adieu; je ne puis rire en l'état où je suis.
(*Il sort.*)
ERG. *seul.* Vieux squelette mouvant, mort tiré de la bière,
Ridicule monceau de cendre et de poussière,
Dont le nombre des ans, prévenant mes souhaits,
Punit depuis long-temps tous les maux que tu fais,
Ton attente ait encor le succès de la mienne!
Comme je vais souper, ainsi ton fils revienne!
T'étouffe le repas où tu m'as invité,
Et te traite le ciel comme tu m'as traité!

ACTE IV.

SCÈNE VII.

ERGAZILE *seul.*

Sacré père des dieux, tu conserves ma vie,
Et mes prospérités vont passer mon envie;
Tu me combles d'espoir, de louange, de vœux,
De ris, de passe-temps, d'allégresse, de jeux,
De bénédictions, de caresses, de gloire;
Et jamais on ne but au point où je vais boire.
Mon heur ne dépend plus de la pitié d'autrui;
Je suppliais hier, je commande aujourd'hui;
Et puis, sans le secours d'autres que de moi-même,
Perdre ce que je hais et sauver ce que j'aime.
Ah! qu'au reste du temps, à mes jours destiné,
Je réparerai bien celui que j'ai jeûné,
Et que, récompensant mon ventre avec usure,
Je vais bien rétablir cette maigre figure!
Ressuscitons Hégée, et courons lui porter
Autant et plus de biens qu'il n'en peut souhaiter.
Mais j'en reçus hier un affront assez rude
Pour lui laisser d'abord un peu d'inquiétude.

SCÈNE VIII.

HÉGÉE, ERGAZILE.

HÉG. *à part.* Plus cette trahison me repasse en l'esprit,
Plus ma douleur s'accroît et mon courroux s'aigrit.
Mon innocence est grande, il faut que je l'avoue,
De ne discerner pas de quel art on me joue,
De soupçonner si peu ces perfides esprits,
Et passer pour stupide avec des cheveux gris.
De toute la cité je deviens la risée;
On montre au doigt la dupe, et la fourbe est prisée.

Voilà, dit-on partout, cet innocent vieillard,
A qui de si vieux ans ont acquis si peu d'art,
A qui l'expérience apprend à son dommage
Qu'il se trouve des fous à toute sorte d'âge,
Que toujours le savoir n'est pas un fruit du temps.
Ainsi mon sort fatal leur sert de passe-temps.
Ces bruits sont aujourd'hui l'entretien de la ville.
Voilà ce que j'acquiers pour être trop facile;
Et, tandis qu'on me raille et me montre en tous lieux,
Je passe sans réponse et n'ose ouvrir les yeux.
Mais que marque Ergazile avec cette allégresse?
Suivons-le; c'est chez moi que son chemin s'adresse.
ERG. *à part.* Afin de ne trouver nul obstacle à mes pas,
Et que par imprudence on ne m'arrête pas,
Afin, dis-je, qu'on sache et qu'aucun ne l'ignore,
Je publie, avertis, et je proteste encore
Que j'abats le premier qui se rencontrera,
Et heurte sans égard quiconque s'offrira.
HÉG. *à part.* Où fuirai-je? quel trouble excite ainsi sa bile?
Et quels lieux me seront un salutaire asile?
ERG. *à part.* Tôt donc, que par respect chacun rentre chez soi,
Et que toute la rue aujourd'hui soit à moi;
Autrement.... HÉG. *à part.* Est-il fou? quelle est cette menace?
ERG. *à part.* On se ressouviendrait du jour et de la place;
Et si l'événement répond à mon effort,
Qui me rencontrera rencontrera la mort.
HÉG. *à part.* Quelqu'un l'aura traité sans doute à son dommage,
Et tout ensemble enflé son ventre et son courage :
Le vin le fait parler; c'est dans cette liqueur
Qu'il a noyé sa crainte, et qu'il a pris du cœur.
ERG. *à part.* Des jeunes débauchés je n'accrois plus la suite,
Et mon métier n'est plus celui d'un parasite;
Il n'est ni sort ni rang à ma fortune égal,
Je suis de tous les rois le roi le plus royal,
Tant le ciel a sur moi déployé ses largesses,
Et tant il m'est au port arrivé de richesses!
Mes trésors ne sont point ce métal précieux
Qui fait ouvrir sur soi tant de mains et tant d'yeux,

Et qu'avec tant d'ardeur tous les hommes poursuivent:
Mes biens sont arrivés, mes richesses arrivent;
Un seul homme est mon or, ma richesse et mon bien;
Et si je le possède, il ne me manque rien;
De cet heureux retour avertissons Hégée,
Et de combien aux dieux sa vie est obligée;
Leur soin de son repos est le visible appui,
Et manifestement s'est employé pour lui.
HÉG. *à part.* Réponde le succès à l'espoir qu'il me donne!
Mais quel est ce bonheur où ma part est si bonne?
ERG. *à la porte d'Hégée.* Hola! qui m'ouvre ici? HÉG. *à part.* Cet affamé, je croi,
Me cherchant, en veut plus à ma table qu'à moi.
ERG. *à part.* Quelqu'un tôt à la porte, ou je la mets par terre,
(*Il frappe.*)
Et, si je frappe, un coup la brise comme verre.
HÉG. *à part.* Il le faut aborder, hasardons un repas:
(*A Ergasile.*)
Que voulez-vous? hola! vous mettrez tout à bas.
ERG. O le plus fortuné du séjour où nous sommes!
Le plus chéri des dieux, le plus heureux des hommes!
Que tout rit à tes vœux, et que tu viens à temps!
Donne la main. HÉG. Après? ERG. Écoute. HÉG. Je t'entends.
ERG. Renonce à tout souci, que tout soin t'abandonne;
Réjouis-toi. HÉG. Pourquoi? ERG. Pource que je l'ordonne.
HÉG. Hélas! de la façon que succèdent mes vœux,
J'ai sujet de pleurer, non pas d'être joyeux.
ERG. Je vais de ton esprit bannir cette tristesse;
Espère en ma parole, et vis sur ma promesse.
HÉG. Dis-m'en donc le sujet. ERG. Crois-moi, réjouis-toi.
HÉG. Je me réjouis donc, mais sans savoir pourquoi.
ERG. Obéis sans réplique à quoi que je t'oblige:
Fais dresser un grand feu. HÉG. Pourquoi grand? ERG. Grand, te dis-je.
HÉG. Mais pourquoi sans besoin, et si hors de saison,
Veux-tu qu'à ton sujet je brûle ma maison?
ERG. Épargne mes discours, et lis dans ma pensée;
Ordonne qu'en deux coups la table soit dressée,

Qu'on trouve les pots prêts, qu'on prépare les plats;
Fais que l'on couche au feu, mais des mets délicats,
Et que tes cuisiniers n'aient ni repos ni trève.
Çà, leur irai-je aider? HÉG. Tout en veillant il rêve.
ERG. Te dirai-je les mets que tu nous donneras?
HÉG. Tu me les dirais mieux que tu ne les auras.
ERG. Et que me promets-tu, si, malgré ta défense,
Tu me traites ce soir avec magnificence?
HÉG. Ergazile, en deux mots, tire-moi de souci.
ERG. Qu'est-ce? HÉG. Est-ce à jeun ou soûl que tu parles ainsi?
Est-ce par un excès de jeûner ou de boire
Que de ces songes creux tu repais ta mémoire?
ERG. Non, c'est par un excès de joie et de plaisir
Que je veux que l'effet réponde à ton désir:
Aimes-tu d'être heureux? HÉG. Oui, mieux que misérable.
ERG. Donne-moi donc la main, le ciel t'est favorable;
Qu'un bûcher soit dressé, que les vases soient prêts;
Fais choisir un agneau. HÉG. Mais à quoi ces apprêts?
ERG. Pour rendre tes devoirs et faire un sacrifice.
HÉG. Auquel des dieux? ERG. A moi qui te suis si propice.
Je suis ton Jupiter; prouve-moi ta ferveur,
Et par un bon repas acquiers-toi ma faveur.
Je veux à tes souhaits égaler ta fortune,
Et qu'aucun accident jamais ne t'importune.
Mais la table est l'autel où je suis réclamé.
HÉG. Mon bonheur dépend donc d'un dieu bien affamé?
Étant tel, est-il rien à quoi tu me disposes?
ERG. Les dieux ne gardent rien, ils donnent toutes choses.
Écoute à quel degré je relève ton sort,
Et quel comble de biens je t'apporte du port.
Ton esclave d'Élide avec ton fils arrive;
Je les viens, de ce pas, de laisser sur la rive;
Je les ai vus tous deux, et tous deux embrassés;
Et, pour te l'annoncer, je les ai devancés.
HÉG. Par ta dérision n'accrois point ma misère;
Respecte, malheureux, les sentimens d'un père,
Que tu devais juger plus tendres que les tiens,
Puisqu'il perd en son fils le plus cher de ses biens.

ERG. Tu doutes justement de ce bonheur extrême;
Mais je ne te ments point. HÉG. Mon fils? ERG. Ton fils lui-même;
Mais un second bonheur à ce premier est joint,
Que ton frère te cause et que tu n'attends point.
Pourrais-tu deviner l'esclave qu'il t'amène?
HÉG. Non; quel esclave, dis? Ne me tiens point en peine.
ERG. Visitant le butin de ces combats derniers,
Il a trouvé Stalagme entre les prisonniers.
HÉG. Qui me ravit Chrysale en un âge si tendre?
ERG. Lui-même: entre tes mains ton frère le va rendre.
HÉG. Ne m'abuses-tu point? ERG. Il n'est rien plus certain.
HÉG. Je renais aujourd'hui, si mon espoir n'est vain.
ERG. Si tu crois que tes yeux te seront plus fidèles,
Tu les peux faire au port témoins de ces nouvelles.
HÉG. Que n'y puis-je voler! Adieu; j'y vais, j'y cours.
O nouvelle agréable! ô bonheur de mes jours!
ERG. Et ce transport est-il le prix qu'on me destine?
HÉG. Prends le soin du souper, donne ordre à la cuisine;
Tranches-y, coupe, taille, ordonne absolument;
C'est ta possession, c'est ton gouvernement.
ERG. O qu'il est éloquent! l'agréable parole!
C'est le port où je tends; je n'y cours pas, j'y vole.

ACTE V.

SCÈNE PREMIÈRE.

HÉGÉE, PHILOCRATE, CHRYSOPHORE, PSEUDOLE.

HÉG. Soit béni, juste ciel, ton pouvoir adorable!
Sois autant révéré que tu m'es favorable!
Tu me donnes mon fils une seconde fois;
Deux fois je l'ai reçu, deux fois je te le dois;
Et par ta providence, à mes jours si prospère,
Il est deux fois mon fils, et moi deux fois son père.
Ce corps si languissant, si vieil et si cassé,
Est rajeuni, mon fils, quand tu l'as embrassé.
. . . .
CHRYS. Quand j'ai prié les dieux d'apaiser leur courroux,
Je ne leur ai jamais redemandé que vous;
Et quand j'eusse avec vous fait perte d'un empire,
Je vous eusse plaint seul, et trouvé seul à dire.
HÉG. Assez ont dessus nous éclaté ces malheurs,
Assez duré nos maux, assez coulé nos pleurs;
Et tu m'as trop au long appris sur le rivage
Quels et combien d'ennuis ont suivi ton servage;
Goûte après les périls les délices du port,
Le jour après la nuit, la vie après la mort.
Et vous, en notre siècle infidèle et barbare
De la foi du vieux temps exemple illustre et rare,
Non plus mon prisonnier, mais mon maître en effet,
Quel prix jugerez-vous digne de ce bienfait?
Mon fils du nom d'ingrat ne se saurait défendre:
Vous ôtez en offrant la puissance de rendre;
Vous le liez plus fort en brisant ses liens;
Nous sommes à vous, nous, notre vie et nos biens.
PHIL. Qui fait plaisir aux bons a double récompense;
Ils payent et d'effet et de reconnaissance.

Je rends à votre fils la faveur que j'en tiens;
Si je brise ses fers, il brise aussi les miens;
Ce qu'il reçut chez nous, chez vous je le viens prendre:
C'était faire un bienfait, et non pas le reprendre.
CHRYS. S'il peut absolument de vos vœux disposer....
HÉG. Oui, je n'ai point de voix pour lui rien refuser.
CHRYS. Remettez en ses mains cet esclave fidèle
Dont avec tel succès il éprouve le zèle;
Laissez-lui voir le jour, tirez-le de prison,
Et de sa liberté payez sa trahison.
HÉG. Que ne dois-je au trompeur dont la fourbe est si belle,
Et qui me sert si bien, même étant infidèle?
Puissé-je, en le tirant de cet obscur séjour,
Lui redonner la vie aussi bien que le jour!
C'est lui qui met ma joie à son degré suprême;
En me rendant mon fils il me rend à moi-même;
Et les cuisans travaux qu'il a soufferts chez moi
Payaient ingratement le bien que j'en reçoi.
PHIL. O dieux! et quels travaux? HÉG. Une peine trop dure:
Il languit dans l'horreur d'une caverne obscure,
Autant pressé de fers qu'il est troublé d'ennuis.
PHIL. Et pour m'avoir servi? Malheureux que je suis!
Je l'ai fait criminel; m'aimer est son offense.
Rare fidélité, voilà ta récompense!
HÉG. *à Pseudole.* Malheureux instrument des maux qu'il a soufferts!
PSEUD. Moi, j'ai fait mon devoir. HÉG. Va tôt briser ses fers,
Et l'amène en ce lieu partager notre joie,
En ce commun bonheur que le ciel nous envoie.
Mais un second bonheur répond au double espoir
Qu'Ergazile tantôt m'avait fait concevoir.

(*Pseudole sort.*)

SCÈNE II.

HÉGÉE, CHRYSOPHORE, PHILOCRATE, ÉRIMAND, STALAGME.

HÉG. Voici le malheureux de qui l'audace extrême
Osa me dérober et mon fils et moi-même.

Mon frère, par quel sort ce monstre des humains
Put-il après vingt ans tomber entre vos mains?
. . . .
HÉG. Approche, bon vieillard, saint homme, homme de bien.
STAL. Ce sont des qualités où je ne prétends rien :
Je ne fus jamais tel, ni serai de ma vie;
Loin d'en avoir l'effet, je n'en ai pas l'envie;
Et quiconque établit son espérance en moi,
Dans l'air et sur la mer peut chercher de la foi.
HÉG. Tu vois en quelles mains ta fortune est rendue,
Et que ta mort m'est libre autant qu'elle t'est due.
Tâche, en ne mentant point, à t'adoucir ton sort;
Car de tes maux enfin le plus grand est la mort :
Le plus constant frémit quand il la voit paraître:
Tout malheureux qu'on est, c'est un grand bien que d'être.
STAL. Je vous avoûrai tout, je ne m'en défends point.
HÉG. Tu ne fus pas toujours complaisant à ce point.
Sus donc, par un rapport fidèle et véritable,
D'un déplorable sort fais-t'en un supportable.
STAL. Je sais trop combien juste est ma punition.
HÉG. Tu la peux amoindrir par ta confession.
STAL. Suivez votre courroux puisqu'il est légitime,
Et proportionnez mon supplice à mon crime.
J'ai ravi votre fils, j'ai fui, je l'ai vendu :
A ce triple forfait triple supplice est dû.
HÉG. A qui vendu, voleur, serf ingrat et perfide?
Dis tôt. STAL. A Théodore, un riche homme d'Élide,
Mais chez qui la vertu passe de loin les biens;
Noble, au reste, et du sang des Polyplusiens.
PHIL. C'est mon père. O bons dieux! quelle est cette aventure?
HÉG. Soutenez mon espoir, auteur de la nature;
Comme vous inspirez, favorisez l'amour
Dont un père chérit ceux qu'il a mis au jour.
PHIL. O dieux! si le succès répond à l'apparence,
Qu'un insigne bonheur suivra votre espérance!
Combien le vendis-tu? STAL. Deux talens. PHIL. En quel temps?
STAL. Je crois qu'on peut depuis avoir compté vingt ans:

Celui qui l'acheta destina son servage
A la suite d'un fils à peu près du même âge.
PHIL. Quel nom eut cet esclave? STAL. Entrant dans la maison,
Comme il changeait de sort on lui changea son nom;
Il s'appelait Chrysale, on le nomma Tyndare.
HÉG. O merveille incroyable, autant qu'heureuse et rare!
Eussé-je osé, bons dieux, contre l'ordre du temps,
Prétendre un si beau jour en l'hiver de mes ans?
Je revois Chrysophore, et Tyndare est Chrysale!
O céleste faveur! tu n'eus jamais d'égale.
PHIL. Depuis?.... HÉG. N'exigeons point de signes superflus.
STAL. Depuis qu'on m'eut payé, je ne m'en enquis plus,
Et j'ai sans m'arrêter mon âge consommée
Tantôt par le pays, tantôt dans une armée,
Tant que par le décret d'un invincible sort
Je suis enfin venu chercher ici la mort.
CHRYS. Quoi, je vais voir mon frère! ô quelle est ma fortune!
ÉRIM. Bénissons tous le ciel en cette aise commune.
PHIL. Rendons à sa puissance un immortel honneur.
HÉG. Un juste déplaisir modère mon bonheur,
Maintenant que je vois l'aveuglement extrême
Qui m'a presque aujourd'hui fait bourreau de moi-même.
Le voilà. Puis-je, hélas! porter les yeux sur lui
Sans mourir à la fois et de joie et d'ennui?

SCÈNE III.

LES MÊMES; TYNDARE, PSEUDOLE.

TYND. J'avais bien autrefois vu l'horrible peinture
Des lieux où des damnés l'âme est à la torture,
Mais je ne trouvais point ce noir séjour des morts
Dépeint avec l'horreur des enfers d'où je sors.
Nous passons tout excès; et, cruels que nous sommes,
Renvoyons sur les dieux l'art d'affliger les hommes.
Mais, qu'est-ce que je vois? M'abusez-vous, mes yeux?
Mon maître de retour! Philocrate en ces lieux!
HÉG. Approche, mon cher fils; accours, que je t'embrasse;
Mes pleurs et mes soupirs te demandent ma grâce.

TYND. En me faisant tirer de cet obscur séjour,
Comme un père à son fils vous me donnez le jour.
C'est sans doute en ce sens que vous êtes mon père.
Et vous, dont le salut a produit ma misère,
Suis-je assez cher au ciel pour obtenir de lui
Que ma peine vous serve et vous tire d'ennui?
PHIL. Oui, puisque je reviens pour te tirer de peine;
Et de l'un et de l'autre il retire sa haine.
C'est d'Hégée, en effet, que tu reçus le jour;
Par ton affection réponds à son amour.
Ce serf qui te ravit en ta quatrième année,
A, comme il la causa, ta peine terminée;
Il te vendit chez nous, tu m'as suivi depuis,
Et tes plaisirs enfin naissent de tes ennuis;
Tu t'es fait prisonnier pour me rendre à mon père;
Moi, pour me rendre au tien, j'ai délivré ton frère:
Le voilà qui s'avance, et qui te tend les bras.
Consulte un peu ton sang; ne te le dit-il pas?
CHRYS. Ah! mon frère! HÉG. *en les embrassant.* Ah! mes fils! TYND.
Dieux! modérez ma joie;
Avecque trop d'excès votre amour me l'envoie;
Quelque grand mal suivrait les biens que je reçois:
Pour donner plus long-temps, donnez moins à la fois.

SCÈNE IV.

LES MÊMES; OLYMPIE.

. . . .

TYND. Quand du cours de mes ans je repasse l'histoire,
Un confus souvenir me remet en mémoire
Que Chrysale est un nom qui fut mien autrefois,
Et qu'Hégée est quelqu'un à qui j'appartenois:
Il m'en restait pourtant si peu de connaissance,
Qu'elle ne pouvait pas éclaircir ma naissance.

SCÈNE VII.

LES MÊMES; CÉLIE, DEUX CUISINIERS.

CÉL. Adieu, je me démets du soin de la cuisine,
Casse tout, brise tout, romps, renverse, ruine.
Dieux! quelle est la fureur dont il est animé?
Sauvons-nous de la dent de ce loup affamé.
PREMIER CUISINIER. Il en dévorerait plus qu'un autre n'en dresse,
Et toute viande est bonne à la faim qui le presse.
HÉG. Qu'est-ce? CÉL. Hélas! accourez. Combien de pots à bas!
Quelle confusion de verres et de plats!
Il n'est tonneau chez vous qu'Ergazile ne perce,
Lieu qu'il n'ait visité, porte qu'il ne renverse;
Et j'ai craint pour moi-même en ce déréglement,
Tant il boit, tranche, avale, et mange avidement.
. . . .

M. ACCII PLAUTI
SARSINATIS UMBRI
CASINA.

36.

DRAMATIS PERSONAE.

CHALINUS[1], servus, armiger filii Stalinonis.
OLYMPIO[2], villicus Stalinonis.
CLEOSTRATA, uxor ejusdem.
PARDALISCA, ancilla Cleostratæ.
MURRHINA, uxor Alcesimi, amica Cleostratæ.
STALINO, senex, amator Casinæ.
ALCESIMUS[3], senex, amicus Stalinonis.
COQUUS.
CASINA[4], ancilla Cleostratæ, sed natu libera. Muta persona.
ANCILLÆ.

1. Χαλινὸς, frenum; nomen ad officium pertinens. N.

2. *Olympio*, nomen homini per antiphrasin additum, utpote rustico et impuro. Conf. Asin. nom. pers. not. 1. N.

3. Ἀλκὴ, auxilium. Adjuvat enim senem senex colendo amore. N.

4. Κάσαν, seu κάσσαν, dicunt esse scortum; quod nomen puellæ a quatuor procis petitæ, duobus illudenti haud inconveniens. N.

ARGUMENTUM

(UT QUIBUSDAM VIDETUR)

PRISCIANI.

*C*ONSERVAM uxorem conservi duo expetunt.
*A*lium senex adlegat, alium filius.
*S*ors adjuvat senem; verum decipitur dolis.
*I*ta ei subjicitur pro puella servolus
*N*equam, qui dominum mulcat atque villicum.
*A*dulescens ducit civem Casinam cognitam.

1. *Conservam*, Casinam. — *Conservi duo*, Chalinus et Olympio. LAMB.

2. *Alium*, Olympionem.—*Senex*, Stalino.—*Alium*, Chalinum. *Alium* p. *alterum*. Vid. Capt. Argum. v. 2. —*Filius*, Euthynicus. N.

3. *Sors a. senem*. Vid. II, 6. *Senem*; fit metri causa monosyllabum. N.

5. *Mulcat*. *Mulcare* est verberibus afficere; *multare* autem pecuniarum pœnam exigere. GRON.*

6. *Adulescens*, Euthynicus. — *Cognitam*, agnitam a parentibus Alcesimo et Myrrhina. Vid. epil. vs. 2. N.

ALIUD ARGUMENTUM CAMERARII.

Hujus fabulæ argumentum, ut est festivum atque bellum, ita admodum etiam turpe et obscœnum. Atque existimo illa, quæ in nostro libro veteri omissa plurima animadverti, relictis spatiolis passim quibusdam, quod non ferrent aures piæ, ideo exarata non fuisse, etc. Sed ab hac spurcitia avertamus oculos et mentes nostras, et utilia atque bona, quasi margaritas de stercore, legamus e talibus scriptis. Quæ satius erat nunquam inspici, quam instrui his levitatem et libidinem animorum. Introducitur quidam ridiculus amator senex, et illius sodalis quasi receptor flagitiosi vicini. Horum facinora deprehenduntur a mulieribus, et varie senibus illuditur. *Sortitio* etiam inest, ut in græca fuisse apparet de nomine: nam κληρουμένην illam appellatam in Prologo dicitur, nimirum de aliqua, qua de sortitio fieret. Camer.

Jam docti viri notarunt huic haud absimili argumento peractam fuisse in nostrate scena, sub finem proxime superioris sæculi, fabulam de nuptiis Hispalensis cujusdam tonsoris celebratissimi nominatam; qua, pariter ab hero ancillam uxoris deamari; pariter machinationes institui, ut ancillam servus ducat, de jure suo postea hero cessurus, hoc tamen discrimine inter utrumque argumentum, quod herili libidini Hispalensis repugnet, Atheniensis servus faveat; personarum quoque suppositionem

fieri, et mœchi ludificationem, unde in illum probra redundent. Sed his quidem similibus, quantum inter utriusque scenæ mores, et proinde inter populi utriusque de specie decori in vitæ privatæ commercio æstimationem intercedat, maxime fit manifestum.

Eo quoque latina et gallica fabula conveniunt, quod sermonis et actuum protervitate subest et intermiscetur gravitas consilii, et unius diei ac familiæ insaniis homines sapienter admonentur.

Longe autem priusquam Hispalensis tonsor in proscenium veniret, jam Moliero et Regnardo profuerat, quod eamdem Casinam haud ignotam præteriissent, alteri, quum exprimeret mulieris doctrina superbientis adversus virum ferociam, alteri, quum furoris ab amante puella simulati ludibria excogitaret. N.

M. ACCII PLAUTI
SARSINATIS UMBRI
CASINA.

PROLOGUS*.

SALVERE jubeo spectatores optumos,
Fidem qui facitis maxumi; et vos Fides.
Si verum dixi, signum clarum date mihi,
Ut vos mi esse æquos jam inde a principio sciam.
Qui utuntur vino vetere, sapienteis puto,
Et qui lubenter veteres spectant fabulas.
Antiqua opera et verba quom vobis placent,
Æquom placere 'st ante veteres fabulas.

* *Prologus*. Vid. ad Asin. prol. N.

1. *Salvere*, etc. Hunc prologum Plauti non esse verss. 8, 12, 18 argumento sunt, sed Plauto non indignum eruditi consentiunt. Quem equidem crediderim haud ita longo post Sarsinatis mortem tempore, ab histrionalis gregis quodam protagonista, ut videtur, Apulo pronuntiatum fuisse. Namque, damnatis nummis novis, fortasse alludit ad legem Papiriam anno U. C. 562 latam, qua asses semunciales facti sunt ex uncialibus. Eam vero, quam et seniores probaverant, et juniores non poterant novisse, fabulam primo editam fuisse circa a. U. C. 540, tum quum flos poetarum Plautus exsisteret; iterum autem novo hoc prologo instructam, anno post fere tricesimo prodiisse facile credemus. N.

2. *Facitis maxumi*. Sic Gruterus ex MSS, quum Camerarius transposuisset versus gratia : « maxumi facitis » : conjicit vero : « utque vos Fides ». Lege « Fidem qui facitis maxumi, ut et vos Fides ». GRON. — Vel more Plautino hiatus erit in quarto pede, et anacoluthum orationis figura perquam familiari. N.

7. *Antiqua opera et verba*. Scribit Acidal. « Antiq. v. et op. », ut sit metrum. Bothius non transponit, sed *Antiqüa* facit tetrasyllabum. N.

8. *Ante*. Malit Acidal. *autem*. Bothius *ante* insulsum judicat. Sed

Nam, nunc novæ quæ prodeunt, comœdiæ,
Multo sunt nequiores, quam numi novi.
Nos postquam populi rumorem intelleximus,
Studiose expetere vos Plautinas fabulas,
Antiquam ejus edimus comœdiam,
Quam vos probastis, qui estis in senioribus:
Nam juniorum qui sunt, non gnorunt, scio.
Verum ut congnoscant, dabimus operam sedulo.
Hæc quom primum acta 'st, vicit omneis fabulas.
Ea tempestate flos poetarum fuit,
Qui nunc abierunt hinc in communem locum.
Sed absenteis tamen prosunt præsentibus.
Vos omneis opere magno esse oratum volo,
Benigne ut operam detis ad nostrum gregem.

oratio nobis videtur recte procedere : « quibus placent antiqua opera, vobis placere æquum est præsertim veteres comœdias ». N.

11, 12. *Populi rum. intell... expetere vos*, etc. I. e. « rumorem populi (ferentem) vos expetere, etc. » Poeta unum per duo nomina expressit; namque quos alloquitur (vos), populus est. *Populus* valet sæpe apud latinos scriptores i. q. gallice *le public*. Ovid. Trist. IV, 10, 57 : « carmina... populo juvenilia legi ». Mart. Epig. I, 30 : « Fama refert nostros te, Fidentine, libellos Non aliter populo quam recitare tuos ». N.

14, 15. *Senioribus... juniorum.* Centuriæ divisæ sunt a Tullio rege seniorum, qui 45um annum egressi essent, juniorum, qui 17um. Cf. Tubero ap. Gell. X, 28. — *Scio*, certo opinor. N.

18. *Fuit* Plautus. Sic Theocritus, Idyll. XIII, ἄνθος ἀοιδῶν. Lamb.

19. *Communem locum.* Orcum, vel terram. Lucret. de rer. nat. V, 260 : « Omniparens, eadem (terra) rerum commune sepulchrum ». Comicus hic εὐφημεῖ. « Communis locus » est ille, « unde negant redire quemquam ». Sic εὐφημοῦντες *sepulchretum* dicebant πολυάνδριον : et πλείονας, *mortuos* : quin et μακαρῖται dicebantur : sic et *felices* Latinis. Herald.

20. *Sed absenteis tamen*, etc. Sed illi poetæ, licet mortui, prosunt viventibus delectando. Lamb.

21. *Oratum.* Vulgatæ *oratos.* At verius, credo Longolius e MS peranti-quo *oratum*. Nam, ut ait Gell. I, 7, modus indefinitus neque in numeros, neque in personas, neque in genera, distrahitur (apud antiquos), sed omnia istæc una eademque declinatione complectitur. Cf. Amph. prol. 33. N.

22. *Ad gregem*, gregi. Cf. de grege Asin. prol. 3, et epil. N.

Ejicite ex animo curam atque alienum æs;
Ne quis formidet flagitatorem suum.
Ludi sunt: ludus datus est argentariis.
Tranquillum 'st; Alcedonia sunt circum forum.
Ratione utuntur, ludis poscunt neminem;
Secundum ludos reddunt autem nemini.

23. *Ejicite ex animo.* Omnes MSS aiunt habere *ducite :* quod vere Plautinum esse et idem significare quod *abducite;* τὸ *ejicite* ex superscripta interpretatione natum. Videant, sodes, Gruteri notas : ibi invenient unum omnium optimum codicem Camerarianum, a quo sine gravi causa non est fas recedere, exhibere *eicite :* ut fere semper in scriptis « abicio, adicio, subicio ». Maneat igitur *ejicite.* Cicero pro Sex. Roscio : « ut naturam ipsam vinceret : ut amorem illum penitus insitum ejiceret ex animo ». GRONOV.— *Curam atque alienum æs.* Metrum poscit, ut constet ultima verbi *curam;* dein corripiatur, non elidatur, more græco, ultima verbi *alienum.* Orationis autem figura ἓν διὰ δυοῖν pro « curam æris alieni ». N.

24. *Flagitatorem*, creditorem importunum. Vide notas Mostell. III, 2, 81. GRONOV.

25. *Ludus datus est. Dare ludum*, est metaphora a ludimagistris, qui Floralibus et aliis ejusmodi diebus, pueros feriari sinunt. Tunc dicuntur « dare ludum pueris », hoc est, ludi vel ludendi potestatem illis facere. SCALIG. — Cf. Bacch. IV, 10, 7. N.

26. *Alcedonia.* Hæ aves nidos faciunt in mari, media hieme, quibus diebus tanta est tranquillitas, ut penitus nihil in mari possit moveri. Inde etiam *dies Halcyonii* vocantur. Conf. Plin. II, 47. Hic septem, Aristoteles undecim dies numerat. GRONOV.

27. *Ratione utuntur.* Non irritum omnino fuit hic, meo judicio, Bosii ingenium, qui sensum ancipitem oratione perspexit : sed quod alii simplicius volunt, id non est ei adversum. Nam eo jocatur prologus, quod utrovis modo verba possent accipi. *Ratione utuntur* significat « relegunt ex tabulis nomina debitorum... putant rationes », et « agunt commode scienterque », ut cum Colum. VI, 2, « non sævitia, sed ratione emendentur ». Sic *ludis poscunt nem.* est et « quia ludi sunt, neminem flagitant debitum », et « neminem flagitant debitum ludendo, sed serio ». Denique *secundum ludos* est et « ludis peractis », et, « postquam aliquem ludificati sunt accipiendo, quod non curant reddere ». GRON. — *Ludis poscunt.* Spectaculorum enim tempore neque libellos dare, neque in jus vocare hominem fas erat. DOUZA. — *Poscunt* a debitore pecuniam, vel suam, vel alienam fœnore locatam. — *Reddunt*, quam acceperunt procurandam. Argentarii, quibus in pecunia mercatura versabatur, duplicem hanc cum civibus rationem habebant. Conf. Mostell. III, 1; Aulul. III, 5, 53 seq. N.

Aureis vacivæ si sunt, animum advortite:
Comœdiaï nomen dare vobis volo.
Clerumenœ vocatur hæc comœdia
Græce, latine Sortienteis. Diphilus
Hanc græce scribsit, post id rursum denuo
Latine Plautus cum latranti nomine.
Senex maritus heic habitat; eii est filius;
Is una cum patre in illisce habitat ædibus.
Est eii quidam servos, qui in morbo cubat;
Imo, hercle, vero in lecto, ne quid mentiar.
Is servos... sed abhinc annos factum 'st sedecim,
Quom conspicatus est primo crepusculo

29. *Aureis vacivæ.* Pro locutione familiari « si vacat » comice dixit « si vaciv. aur. » joco capto a vacuis ædibus. Inf. III, 4, 6: « ut bene vacivas ædeis fecisti mihi », et Pseud. I, 5, 54: « fac, sis, vacivas ædeis aurium ». N.

30. *Dare vobis*, id est, dicere. Virgil. Eclog. I, 19: « Sed tamen iste Deus qui sit, da, Tityre, nobis ». Boxhorn.

31. *Clerumenœ.* Κληρούμενοι, i. e. sortientes. Gron. — Sic pronuntiatam fuisse Adelphœ Terentii Donatus scribit in præf. N.

32. *Diphilus*, Sinopensis, Menandro æqualis, cxviii Olymp. floruit, ante Plautum anno fere nonagesimo; ἥδιστος ab Athenæo dicitur. Centum fabulas docuit. N.

34. *Cum latranti nomine.* Multa in hoc latranti nomine docti viri somniarunt. Profecto non credes cum Salmasio illud ad nomen Casinæ pertinere, quia mulier sit, et mulieres oblatratrices audiant apud antiquos. Hæc tamen inter nugas minime nugatoria interpretatio. Lambinus autem recte: « Plautus cum suo canino nomine: nam, ut docet Festus, plauti appellantur canes, quorum aures languidæ sunt ac flaccidæ ». N.

35. *Heic.* Prologus ostendit Stalinonis domum, cui vicinæ vel ex adverso stant Alcesimi ædes. N.

38. *In lecto.* Dicitur « morbo cubare ». Sed peccavit sciens, quum diceret « cubat in morbo », quo præpararet correctionem hoc versu ridiculam. N.

39. *Annos factum 'st sedecim.* Cf. Aul. prol. 4. N.

40. *Quom*, i. e. ex quo, et illud subjiciendum verbo « factum 'st ». Cf. Mercat. III, 1, 35, « biennium 'st, quom, etc. » Credo non struendam orationem, ut nonnulli, grammatice quidem, at minus comice, volunt: « sed factum 'st abhinc annos sedecim, Quom is servos consp. etc. » Hæc figura est correctionis. Narrator, quasi dictum iret aliud de servo, subito in hoc nomine « is servos » interrumpit orationem mentione argumenti: « sed

Puellam exponi; adit extemplo ad mulierem,
Quæ illam exponebat; orat, ut eam det sibi;
Exorat, abfert, detulit recta domum;
Dat heræ suæ, orat, ut eam curet, educet.
Hera facit; educavit magna industria,
Quasi si esset ex se nata, non multo secus.
Postquam adolevit ad eam ætatem, uti viris
Placere posset; at eam puellam hic senex
Amat ecflictim, et item contra filius.
Sibi nunc uterque contra legiones parat,
Paterque filiusque, clam alter alterum.
Pater adlegavit villicum, qui posceret
Sibi istam uxorem: is sperat, si eii sit data,
Sibi fore paratas, clam uxorem, excubias foris.
Filius autem armigerum adlegavit suum,

abhinc, etc. » et inde pergit. Istiusmodi extra ordinem processus libertatem sermonis arguit, et consentaneus est Plautinæ indoli. N.

41. *Exponi*, extra ædes poni, ad incertum mortis et vitæ casum: quod faciebant, qui pueros natos alere, seu tollere nolebant. Terent. Hecyr. « Continuo exponetur » : ad quod Donatus : « ad mortem scilicet ». Lamb.

48. *At eam puellam hic senex.* Hæc scriptorum et editionum priscarum lectio est servata etiam Camerario, a qua licenter recessit Aldus faciendo « amare puellam eam hic senex Efflictim occipit, ut item hujus contra filius ». Cui tamen hæserunt Douza et Gruterus, quod parum commode procederet oratio. At huic remedium aliunde quærendum. *Posteaquam*, quod vulgo habetur, est a Camerario adjuvante versum : nam et optimus ejus codex et alii scripti editique, *Postquam.* Hoc dividendum et scribendum : « Post, quæ adolevit ad eam ætatem, ut viris Placere posset. At eam ». Sic nihil est in oratione confragosi. Gron. — *At.* Optime Bothius emendavit, si emendandus est locus, *atque*, i. e. statim, quæ est locutio Plauto usitata. Conf. Bacch. II, 3, 45; Captiv. III, 1, 19, 21. Particula vero *at*, quum extraordinarie orationem intercipit, sententiæ inservit, utpote rem significans inexspectatam. Sic fere gallice : *ne voilà-t-il pas*. N.

52. *Adlegavit*, mandavit, misit. Publice legati sunt, privatim allegati. Lamb.

54. *Excubias foris.* Significat pervigilia Veneris et amantium, apud villicum, clam uxorem, patri parata futura. Bothe.

55. *Armigerum.* Inter Romanorum servitia fuere et armigeri,

Qui sibi eam uxorem poscat: scit, si id inpetret,
Futurum, quod amat, intra præsepeis suas.
Uxor senis sensit virum amori operam dare;
Propterea ea una consentit cum filio.
Ille autem postquam sensit filium suum
Eamdem illam amare, et esse inpedimento sibi,
Hinc adulescentem peregre ablegavit pater.
Sciens ejus mater ei dat operam, absenti tamen.
Is, ne exspectetis, hodie in hac comœdia
In urbem non redibit: Plautus noluit:
Pontem interrupit, qui erat eii in itinere.
Sunt heic, quos credo nunc inter se dicere:
« Quæso, hercle, quid istuc est? servileis nuptiæ?
« Servine uxorem ducent, aut poscent sibi?
« Novom adtulerunt, quod fit nusquam gentium».
At ego aio hoc fieri in Græcia et Carthagini,

qui præsto erant dominis vel inter dimicandum, arma et equos ministrantes. Obtruncato prius armigero, corpus opponente, consulem Flaminium Galli occiderunt. T. Liv. XXII, 6. Ab armigero Sullam servatum in prælio adversus Telesinum; ab armigero se jugulari, ne in Parthorum manus veniret, Crassum, Publii filium, jussisse narrat Plutarchus. Ea fuisse mancipiorum præcipua Plinius docet Hist. Nat. X, 29. N.

57. *Quod amat*, amata puella. Cf. Amph. prol. 106. — *Intra præsepeis suas*, in sua potestate. Proverbialis locutio, qua aliquid suum esse Latini significabant. Cf. Rud. IV, 3, 99. Hujusmodi amatoria figura novorum elegantiam offendit; at veteribus neutiquam erat fastidio. N.

63. *Sciens*, i. e. ejus rei conscia ac gnara. Gron. — *Tamen*, id est, quamvis. Vide sup. 20; Captiv. II, 3, 33, 44. N.

66. *Interrupit*, interclusit ei reditum. Allegoriam a re militari sumptam, quia Cæsar, « pontem rescindere » dixit, Livius « intercidere », nonnulli volunt. Ego existimem hic nihil esse allegoricum: sed risus tantum causa dici. Pist. — Hilare commentum oratoris, quo catastrophes nimis abruptæ culpam eludit. N.

68. *Servileis nuptiæ?* Neque enim justæ serviles sunt nuptiæ ex jure civili: neque servorum mulieres dicuntur *uxores*, sed *conjunctæ*; ut ait Varro de Re Rustica, I, 17. Lamb.

70. *Adtulerunt* scenici. N.

71. *Chartagini.* Conf. Captiv. V, 4, 1. N.

Et heic in nostra [etiam] terra, in Apulia.
Majoreque opera ibi servileis nuptiæ,
Quam liberaleis etiam curari solent.
Id ni fit, mecum pignus, si quis volt, dato
In urnam mulsi, Pœnus dum judex siet,
Vel Græcus adeo, vel mea causa Apulus.
Quid nunc? nihil agitis; sentio, nemo sitit.
Revortor ad illam puellam expositítiam,
Quam servi summa vi sibi uxorem expetunt.
Ea invenietur et pudica et libera,
Ingenua Atheniensis: neque quidquam stupri
Faciet profecto in hac quidem comœdia.

72. *Et heic in nostra* [*etiam*] *terra*. Auctoribus Camerario et Lambino *etiam* inserui, sed uncis præclusum, et credo commodius positum. Vulgatæ versum dant pede uno debilem. Qui emendant: « Et h. in n. t. et in Apulia », sensum pervertunt: is est: « Hic in Italica regione, in Apulia ». N.

75. *Id ni fit, mecum*. Id utrum fiat, necne, siquis sponsione mecum certare vult, deponat apud judicem vel arbitrum pignus, et ego quoque deponam, ea conditione, ut uter victus fuerit, non recipiat pignus, nisi urna mulsi data. Genus loquendi, quod non intelligitur, nisi positis exemplis. Bacch. IV, 9, 133: « Edepol, qui me esse dicat cruciatu malo Dignum, næ ego cum illo pignus haud ausim dare ». Epid. V, 2: « Aio, vel da pignus, ni ea sit filia. PE. Quam negat novisse mater? EP. Ni ergo matris filia 'st, In meum nummum, in tuum talentum pignus da ». I. e. depone pignus et certa mecum sponsione, qua ego pauper victus nummum perdiderim, tu locuples talentum. Pœnul. V, 4: « Da pignus, ni nunc perjures, in suavium, uter utri det ». GRON.

76. *Pœnus*. Ideo aut Pœnum, aut Græcum, aut Apulum judicem desiderat, quod supra dixerat, « Carthagini, in Græcia et Apulia » serviles nuptias tam splendide celebrari. Vult igitur judices adhiberi locorum peritos. Quanquam hoc de nuptiis servilibus in hisce locis curatis, comica quadam licentia potius confictum, quam ut pro historiæ testimonio possit allegari. PISTOR. — Immo etiam orator ipse parum dictis suis credendum jocose fateri videtur, quum et Punica (cf. Pœnul. prol. 113) et Græca (cf. Asin. I, 3, 47) fide judices, aut Apulum Apulus gratia sua sibi dari postulet. N.

78. *Nihil agitis*, quod ego provoco. Pignore dato mecum non certatis. LAMB.

81. *Pudica* corpore magis, quam animo, i. e. intemerata, a viro integra. Conf. Curcul. I, 1, 51;

Mox, hercle, vero post, transacta fabula,
Argentum si quis dederit, ut ego subspicor,
Ultro ibit nubtum, non manebit auspices.
Tantum est: valete, bene rem gerite, et vincite
Virtute vera, quod fecistis antidhac.

Terent. Hecyr. I, 2, 70. Pudicitia veteribus comicis hæc est. N.

84. *Post*, postea. — *Transacta*, finita. Cf. Capt. II, 2, 95. N.

85. *Argentum si quis ded.* etc. Ut Mercurius præfatus Amphitruonem Plautinam et Jupiter (ead. fab. III, 1) de duplici conditione histrionis et personæ scenicæ ipsi semet ridendos præbuerunt, ita nunc prologus sub Casinæ persona latentem mimam detegit, nec minus honeste quidem, quam mulierum sane apud Veteres theatralium fama et spectantium mores tolerabant. Romæ jam Veterum more vulgatam insaniam, qua mimarum amatores illis donarent patrium fundumque laremque, nisi Horatius doceret, Plautus testaretur passim argumentis et præcipue disertis verbis Epidico, II, 2, 42. Cur autem mimas latinas prostibula omnes fuisse, græcas vero tali infamia immunes videamus, quæ causa est? Histrionalis conditio apud Romanos servilis et probrosa, apud Græcos liberalis et honesta erat. N.

86. *Ultro ibit nubtum.* Nuptias subitarias, neque diuturnas, dote meretricia, contrahet. — *Non manebit auspices.* Auspices i. q. pronubi, παράνυμφοι, aderant contrahendo matrimonio, ut nuptiarum omnia rite fierent : præsertim, sponso quem ducebant, egrediente ad conjugem, capiendis auspiciis dabant operam. Etiam quum auspicato inire matrimonium Romani desierunt, re omissa, auspices tamen nomine manserunt, veteris consuetudinis monumentum. Cic. Divin. I, 16; Val. Max. II, 1, 1. N.

87. *Tantum est.* Hucusque narratio, neque ultra. Locutio usitata significare volentibus omnia dicenda esse dicta. Conf. Trin. prol. 22; Merc. II, 2, 12. Sic Rablaisius disputationem claudit : *tant jaser.* Gargant. I, 12. N.

88. *Virtute vera*, sincera, proba, sine dolo et perfidia. Oblique in Pœnos dictum. — *Antidhac*, antehac. Cf. Aulul. Hujusmodi felicia verba in fine prologi invenies Captiv. Cist. Rudent. N.

M. ACCII PLAUTI

SARSINATIS UMBRI

CASINA.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

OLYMPIO, CHALINUS.

OLYMP. Non mihi licere meam rem me solum, ut volo,
Loqui atque cogitare, sine ted arbitro?
Quid tu, malum, me sequere? CHAL. Quia certum 'st mihi,
Quasi umbra, quoquo ibis tu, te persequi.
Quin, edepol, etiam, si in crucem vis pergere,
Sequi decretum 'st: dehinc conjicito ceterum,
Possisne, necne, clam me sutelis tuis
Præripere Casinam uxorem, proinde ut postulas.
OLYMP. Quid tibi negoti mecum 'st? CHAL. Quid ais, impudens?

1. *Meam rem me solum.* Cf. Capt. III, 4, 99. N.

2. *Sine ted arbitro*, te non præsente. Cf. Captiv. II, 1, 17. N.

3. *Malum.* Conf. Amphitr. I, 1, 247. N.

4. *Quasi umbra.* Sic scripti et impressi libri. Lambin. emendat syntaxis justioris causa « umbræ » in tertio casu. N.

7. *Sutelis.* Conf. Captiv. III, 5, 34. N.

8. *Postulas*, tentas. Cf. Amphit. I, 1, 205. N.

9. *Quid ais?* Hoc, opinor, non ad Olympionis ante dicta respicit, sed

Quid in urbe reptas, villice, heic magni preti?
OLYMP. Lubet. CHAL. Quin ruri es in præfectura tua?
Quin potius, quod legatum 'st tibi negotium,
Id curas, atque urbanis rebus te abstines?
Quid huc venisti sponsam præreptum meam?
Abi rus, abi dierectus tuam in provinciam.
OLYMP. Chaline, non sum ego oblitus opficium meum.
Præfeci, rure recte qui curet tamen.
Ego, huc quod veni in urbem, ubi inpetravero,
Uxorem ut istanc ducam, quam tu deperis,
Bellam et tenellam Casinam, conservam tuam,
Quando ego eam mecum rus uxorem abduxero,
Rure incubabo usque in præfectura mea.
CHAL. Tun' illam ducas? hercle, me suspendio,
Quam tu ejus potior fias, satiu'st mortuum.

ad initium futuræ interrogationis attinet. Gall. *dis-moi*, *insolent*. Cf. Asin. II, 2, 104; Aul. IV, 9, 7. N.

10. *Quid in urbe reptas*, etc. Lego, et ex parte cum Lambino emendo: « Quid in urbe restas, villice, haud magni pretii ». Primum fastidium est in eo quod sit villicus, ac eum propterea non deceat *in urbe restare*, hoc est, remanere et cunctari: postremum quod non sit magni pretii. DISSALD. et BOTH. — Defendi potest vulgata. Namque acrior est ironia « magni preti », et *heic* abundans, nomine loci nominato, sæpe reperias. Cf. prol. 72, et inf. vs. 18. Et *reptas* contumeliosum. N.

12. *Legatum*, mandatum est.

15. *Dierectus*. Conf. Bacch. IV, 1, 7. N.

17. *Tamen* ellipsis, i. e. quo vicario res curetur, quamvis absim. Vid. supr. prol. 20; Captiv. II, 3, 33; III, 4, 71. N.

18. *Ego, huc quod veni*. Τὸ *huc*, cui tentant *hoc* subjicere, sine vitio est. Nam « huc quod veni in urbem » est ob quod huc in urbem veni. At quod sequitur, intentatum relinquunt, quum tamen Camer. codex et omnes scripti Pall. « nisi impetravero ». Scribendum autem, ut et Pareus voluit in scriptis notis, « si impetravero ». Ea enim particula utuntur interdum ea vi, qua alioquin *ubi* vel *simulatque*. Catull. « Nam si luxerit, ad librariorum Curram scrinia ». GRON.

19. *Uxorem ut*, etc. Ubi impetravero id, ut ducam, etc. N.

24. *Potior fias*, i. e. præferaris mihi, potiore apud eam habearis loco, quam ego. Nihil ergo hic mutandum. BOXHORN. — *Potior ejus*, ni fallor, est compos illius, sensu eodem, quo positivum *potis*, figura comparandi addita, quia superior exsistat, necesse est, qui Casina

OLYMP. Mea præda est illa : proin' tu te in laqueum induas.
CHAL. Ex sterquilinio ecfosse, tua illæc præda sit?
OLYMP. Scies hoc ita esse. Væ tibi, quot te modis,
Si vivo, habebo in nuptiis miserum meis.
CHAL. Quid tu mi facies? OLYMP. Egone quid faciam tibi?
Primum omnium, huic lucebis novæ nubtæ facem,
Postilla ut semper inprobus nihilque sis.
Post id locorum, quando ad villam veneris,
Dabitur tibi amphora una, et una semita,
Fons unus, unum ahenum, et octo dolia :
Quæ nisi erunt semper plena, ego te inplebo flagris.

potietur. *Potior* eumdem casum ducit, quem verbum *potiri* et *potire*. Cf. Amph. I, 1, 23. N. — *Satiu'st mortuum* me. Formula vehementer denegantium aliquid se passuros. Cf. Aul. IV, 5, 1; Asin. I, 1, 108, IV, 2, 7; Truc. IV, 2, 29, V, 1, 34. N.

26. *Ex sterquilinio ecfosse.* Fastidiosa urbani scurræ superbia erga villicum, rusticum quidem et stabularium. Sic Mostell. I, 1, 50, Tranio urbanus conservo villico : « decet me amare et te bubulcitarier ». Hoc loco sordidum Olympionem esse Chalinus significat. Sed turpes quoque et probri plenos appellabant sterquilinium. Cf. Pers. III, 3, 3; Terent. Phorm. III, 2, 41. N.

28. *Si vivo.* Conf. Aul. III, 6, 37. — *Habebo... miserum.* Male mulctabo, miserum efficiam. Cf. Asin. V, 2, 19. N.

30. *Lucebis nov. nubt. facem.* Sic Curcul. I, 1, 9, « luces cereum ». Et Enn. in Ann. « prodinunt famuli; tum candida lumina lucent », verbo *lucent* casum *lumina* regente. In nuptiis Romanorum quinque præferebantur faces egredienti ad virum sponsæ. Plutarch. Quæst. Rom. 2; Catull. LXI, 120. N.

31. *Postilla ut semper*, etc. Inde Muretus suspicatur ominosum olim fuisse, si qui novæ nuptæ luxissent facem, creditumque eos postea nihili fore. Sed ea divinatio est, nulla auctoritate. Immo vero, si divinandum, omnia, quæ ad nuptias pertinebant, fausta probaque fuisse satius arbitrari videtur. Unde sic interpretor : « lucebis facem nuptæ, ita tamen ut postea nihilo melior existimere, sed semper improbus nihilique sis ». *Nihili*, nisi fallor, hic magis Plautinum, quam *nihil*.

32. *Post id locorum*, deinde. Secunda pars enumerationis, cujus prima vs. 30. N.

33. *Amphora*, 26 litrorum capax. — *Semita.* Genus vasis fuisse hoc series orationis ostendit. Sed quale quantumque haud usquam reperio. Forsan dimidium amphoræ, si deductum nomen fuerit a *semisse*.

34. *Fons.* Nomen hoc loco a dominante sensu detortum generi cuidam vasis adhibetur, ut et lacus significat quoque vindemialem cupam. N.

Ita te adgerunda curvom aqua faciam probe,
Ut postilena possit ex te fieri.
Post autem, ruri nisi tu acervom ederis;
Aut, quasi lumbricus, terram, quod te postules
Gustare quidquam, nunquam, edepol, jejunium
Jejunium 'st æque, atque ego ruri reddibo te.
Post id, quom lassus fueris et famelicus,
Noctu ut condigne te cubes, curabitur.
CHAL. Quid facies? OL. Concludere in fenestram firmiter,
Unde auscultare possis, quom ego illanc osculer;
Quom mihi illa dicet: Mi animule, mi Olympio,
Mea vita, mea mellilla, mea festivitas,
Sine tuos ocellos deosculer, voluptas mea,
Sine, amabo, te amari, meus festus dies,

37. *Postilena*, lorum crassum sub jumentorum cauda ad continendum ephippium. N.

38. *Acervom ederis.* Sic omnes impressi, mendose videlicet. Turnebus hoc interpretatur « edere de acervo frumenti, ut mures ». Salmasius tentat « acer boum », ut sit « acer » pro « acus, aceris », i. e. palea. At ervum pabulo bubus fuisse Plautus ipse testatur Mostell. I, 1, 59; et Lambinus docte correxit « nisi ruri tu ervum comederis ». Minus a vulgata lectione recedas, si versus ita restituatur: « Post autem, nisi ruri tute acre ervom ederis ». N.

39. *Quod tu postules*, i. q. si velis. De hac figura dicendi conf. Asin. IV, 1, 12. Tota sententia est: Post autem labores exantlatos, quum aliquid gustare voles, nisi ervum edes, terramve, sicut lumbricus, eris jejunior quam ipsum jejunium. N.

43. *Condigne te*, dignum te sit cubile. N.

44. *In fenestram*, accusativ. pro ablativo, ut sæpe alias. Cf. inf. V, 2, 3. Lipsius non pro cubiculari aliqua fenestra hanc accipiendam, sed fuisse caveam in pariete effossam, quasi armarium, ubi concludi Chalinus posset, judicavit, vs. 52 fretus. At pace tanti viri dicere liceat, ego cur a solenni vocis significatione decedatur, non video, cur in hac stetur, video. Credibile sane est parietes domuum, ut comparent apud nos vetera ædificia, ea fuisse crassitudine, ut rima, quæ diem in cubiculum immittebat, neque tum occlusa erat specularibus, potuerit, quasi carceraria cavea, hominem concludere. N.

47. *Mellilla.* Est diminutivum verbi *mellina*, quo alibi utitur. MEURS. — Mellillam vocat amans amatum; ut « mel meum » Bacch. V, 2, 80. N.

49. *Sine, amabo, te amari. Amabo* i. q. quæso; nam valet « amabo ob hoc, id est, si, quod peto,

Meus pullus passer, mea columba, mi lepus.
Quom mi hæc dicentur dicta, tum tu, furcifer,
Quasi mus, in medio pariete vorsabere.
Nunc ne tute mihi respondere postules,
Abeo intro; tædet sermonis tui. CHAL. Te sequor.
Heic quidem, pol, certo nihil ages sine me arbitro.

id feceris ». Hac oratione clarius ostendere nullum aliud exemplum possit, locutionem *amabo* in formulam precandi longe a nativo sensu abiisse. Cf. et II, 2, 19. *Sine te amari*, demulceri blanditiis. — *Festus dies*, nominativus pro vocandi casu. Blanda vel amoris vel amicitiæ hæc est appellatio. Ter. Eun. III, 5, 12, « o festus dies hominis », i. q. o festive homo. Sic Trucul. II, 7, 59, « scelus viri » p. vir scelestus. Cf. sc. seq. vs. 8. N.

50. *Pullus.* « Puerum quem quis amabat, pullum ejus vocabant », inquit Festus. — *Mi lepus.* Salacissima ac venustissima animalia commemorat, columbam, passerem, leporem. PALM.

52. *In medio*, etc. In illa fenestra. Cf. vs. 44. LAMB.

53. *Postules*, velis, tentes. N.

55. *Sine me arbitro*, me non inspiciente. Cf. Capt. II, 1, 17, 24. N.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

CLEOSTRATA, PARDALISCA.

CLEOSTR. OBSIGNATE cellas, referte anulum ad me:
Ego huc transeo in proxumum ad meam vicinam.
Vir si quid volet me, facite hinc me arcessatis.
PARD. Prandium jusserat senex sibi parari.
CLEOSTR. St, tace atque abi; neque paro, neque hodie
Coquetur, quando is mihi et filio advorsatur
Suo, animique amorisque causa sui.
Flagitium illud hominis! ego illum fame, ego illum
Siti, maledictis, malefactis, amatorem
Ulciscar; ego, pol, illum probe inconmodis
Dictis angam; faciam uti, proinde ut est dignus,

1. *Obsignate.* Mos fuit apud veteres, ut cera apposita signoque in ea impresso cellas penuarias, armariola cæteraque hujusmodi clauderent, quæ nisi cera avulsa et disrupto charactere non possent recludi. Signum gerebant in annulo; unde annuli sigillaritii inter præcipua procurationis domesticæ instrumenta numerantur. N. — *Anulum.* Signatorium annulum intelligit, sive, ut alii appellant, sigillaritium, qui habeat χαρακτῆρα. De quo Vopiscus in Aureliano: « Uxori et filiæ anulum sigillaritium quasi privatus instituit ». LIPS.

3. *Facite...arcessatis* i. q. arcessite. Cf. Capt. prol. 65, et Bacch. V, 9, 34: « facito ut facias ». N.

7. *Animi...causa*, cupidinis, libidinis gratia. Conf. Asin. III, 1, 38. N.

8. *Flagitium... hominis!* O hominem flagitiosum! Sic Aulul. IV, 8, 3: « hominum mendicabula ». Vide notam I, 1, 49. — *Ego, pol, illum*, etc. Vide quam vehementi sermone, quam vero, ipsa, qualis sit, jam ab incœpto profitetur, quæ sibi ad extremum constabit. N.

Vitam colat, Acheruntis pabulum, flagiti
Persequentem, stabulum nequitiæ : nunc hinc
Meas fortunas eo questum ad vicinas.
Sed foris concrepuit; atque ea ipsa, eccam, egreditur
Foras : non, pol, per tempus iter mihi incepi.

SCENA SECUNDA.

MURRHINA, CLEOSTRATA.

MUR. Sequimini, comites, in proximum me huc.
Heus vos : ecquis hæc, quæ loquar, audit? ego heic ero,
Vir si, aut quispiam quæret. Nam ubi domi sola sum,
Sopor manus calvitur. Jussin' colum

12. *Acheruntis pabulum.* Quo Acheruns pascitur : senem, qui Acherunti debetur. « Orci victimam », ut loquitur Horat. Od. II, 3. Conf. Amph. II, 1, 35; Bacch. III, 6, 16. LAMB. — Τὸ *Acheruntis pabulum* et quæ sequuntur, refert Acidalius cum Lambino ad *ulciscar,* et *angam,* verba supra posita. Sed nihil opus est, quod domi habeas, id aliunde emendicari. Latinum et Plautinum est : « faciam Acheruntis pabulum et flagitii persequentem, uti vitam colat ». DISSALD.

13. *Flagiti Persequentem. Persequentem* non concoquo, et divino leg. *flagitii præsepe.* Quum enim *pabulum* et *stabulum* nominarit, quidni etiam *præsepe*, quod istis affine? Et « præsepe flagitii » eadem ratione dixeris, qua « stabulum flagitii » in Trucul. ACID.

14. *Ad vicinas.* Lego « ad vicinam », ut supra vs. 2 hujus scenæ, et versu huic proximo : « ea ipsa eccam egreditur foras ». *Ea ipsa*, nempe vicina, non vicinæ. DISSALD. — In Dissaldæi sententiam concedere non libet. Namque iratæ et multiloquæ non satis fuit, nisi convicium apud multas effutiret. Atque *ea ipsa* est domina ædium, unde foris crepuit. Namque potuisset vir egredi, aut quivis alius. Cf. Aul. III, 1, 9. N.

15. *Concrepuit.* Conf. Aulul. IV, 5, 5. N.

1. *Sequimini, comites.* Virgines et matronæ, sive alioqui materfamilias aliqua ordinis honestioris, nunquam sine assectarum pedissequio in publicum prodibant. Cistell. « adstat ea in via sola : Prostibulum sane est ». Amph. III, 2, 48. GRON. — Juv. Sat. VI, 352 : « ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem, Conducit comites ». N.

2. *Ecquis... audit?* I. e. an aliqua vestrum audit? I. q. audite. Ea est sæpe imperandi formula. Vid. v. 4. *Quis* feminini æque ac masculini generis apud antiquos. Vid. Aulul. II, 1, 16. N.

4. *Calvitur*, frustratur, decipit.

Ferri mihi? CLEOSTR. Murrhina, salve. MUR. Salve,
Mecastor: sed quid tu es tristis, amabo?
CLEOSTR. Ita solent omneis, quæ sunt male nubtæ;
Domi et foris ægre quod sit, satis semper est.
Nam ego ibam ad te. MUR. Et, pol, ego istuc ad te: sed quid est,
Quod tuo nunc animo ægre est? nam quod tibi est
Ægre, idem mihi est dividiæ. CLEOSTR. Credo, ecastor;
Nam vicinam neminem amo merito magis, quam te,
Nec quacum plura sunt mihi, quæ ego velim.
MUR. Amo te, atque istuc expeto scire, quid sit.
CLEOSTR. Vir me habet pessumis despicatam modis,
Nec mihi jus meum obtinendi optio 'st.

Auctor Vocab. Latin. Græc. *Calvitur,* i. e. ἐξαπατᾷ. Significat autem Myrrhina, se, quum sola est domi, somno urgeri atque opprimi, sibique somnolentæ opera muliebria e manibus excidere. LAMB.

6. *Amabo?* Cf. I, 1, 49. N.

8. *Ægre quod sit.* Mihi ægre est i. q. ægritudine afficior, doleo. Cf. Bacch. V, 1, 27; Curcul. I, 3, 13; Mostell. II, 2, 85, et inf. sc. 6, vs. 69, sc. 7, vs. 6. N.

9. *Nam* disjunctiva, i. q. autem. Cf. Amph. prol. 104. N.

11. *Dividiæ*, dolori. Conf. Bacch. IV, 6, 1. N.

13. *Nec quacum plura.* Non potest Plautus aliter scripsisse, quam voluit Camerarius, et jam exposuit Acidalius. Ita enim loquebantur: «Multa mihi cum illo sunt: Omnia mihi cum illo sunt»: intelligentes «vincula et jura amicitiæ ac benevolentiæ». Cic. ad Div. XIII, 1: «Cum Patrone Epicureo mihi omnia sunt, nisi quod in philosophia vehementer ab eo dissentio». Lib. XIV, ep. 10: «Si mihi tecum minus esset, quam est cum tuis omnibus, allegarem ad te illos, a quibus intelligis, me præcipue diligi». Sic contra, «Nihil esse alicui cum aliquo». Cicero ad Atticum, lib. XIV, epist. 17: «Bruto certe meo nullo loco deero, idque etiamsi mihi cum illo nihil fuisset, fecerim, propter ejus singularem incredibilemque virtutem». Nec habeo, inquit, aliam, quicum plura sint mihi, quæ ego velim mihi esse cum quoquam necessitudinis jura. GRON.

14. *Amo te* ob hoc, gratias tibi habeo, ut *amabo* valet *quæso*, sup. I, 1, 49; Amph. I, 3, 42. Conf. Terent. Phorm. I, 2, 4: «amo te, et non neglexisse habeo gratiam». N.

16. *Jus meum obtinendi optio 'st.* *Optio* proprie est arbitrium et potestas optandi vel eligendi aliquid e duobus vel pluribus. Inde conjungit Cicero in Vatinium: «An erit hæc optio et potestas tua, ut cum velis, etc.» Hinc transfertur ad omnem aliam copiam vel facul-

MUR. Hem, quid est? dic idem hoc; nam, pol, haud satis meo
Corde accepi querelas tuas, obsecro.
CLEOSTR. Vir me habet pessumis despicatam modis.
MUR. Mira sunt, vera si prædicas; nam viri
Jus suum ad mulieres obtinêre haud queunt.
CLEOSTR. Quin, mihi ancillulam ingratis postulat, quæ mea 'st,
Quæ meo educata sumtu est, villico suo se dare.
Sed ipsus eam amat. MUR. Obsecro, tace. CLEOSTR. Nam heic nunc
Licet dicere; nos sumus. MUR. Ita 'st : unde ea tibi 'st?
Nam peculi probam nihil habere addecet

tatem. *Jus* autem *suum* vocat Cleostrata, non quod per legitimum matrimonium sibi quæsierat, mariti amorem integrum, ut interpretantur : sed quod obtinere postulat in receptitia quasi et ipsius sumptu educata ancilla, quam non permittebat ei maritus, cujus vellet, in contubernium dare : ut ipsa exponit versu 22. GRON.

18. *Corde*, intelligentia. N.

20. *Mira sunt* i. q. mirum est, miror. Cf. Bacch. III, 3, 46. N.

21. *Jus suum ad mulieres. Ad* i. q. apud, cum. Jus suum nihil aliud est quam imperium domesticum, quod contumacia feminarum turbat atque impedit. Evenit autem sæpe, ut castissimæ quæque sint contumacissimæ et morosissimæ, ut Plautus alibi loquitur, oblatratrices. GRONOV. — Illas vide, quæ territant viros, Artemonam Asin. Dorippam Merc. uxorem Menæch. et Nausistratam Terent. Phorm. quibus similes Molierus appellat *des vertus diablesses.* Hæc est dotatarum quidem superbia, quam taxat Martialis, Epigr. VIII, 12 : « Uxorem quare locupletem ducere nolim Quæritis? uxori nubere nolo meæ ». Sed matronarum romanarum honoris causa facile crediderim hæc majora vero a poetis ad festivitatem comicam efficta, et sæpius talia in scena quam domi Romanos vidisse : hoc perhibet Afranius Emancipato : « quam beatæ scenicæ videntur mulieres, Quæ jurgio et benevolentia terrent desubito viros ». N.

22, 23. *Mihi ancillulam*, quasi meam ancillam. — *Ingratis*, me nolente. — *Postulat...se dare*, vult dare. Plautus in hujusmodi locutione subjunctam orationem implere et pronomen *me*, *te*, *se* verbo præponere, vel cum periculo ambiguitatis amat. Cf. II, 4, 8. N.

24. *Nam*, scil. nempe. — *Nos sumus.* Ellipsin hoc loco eruditi suspicantur, quasi voluisset dicere « nos

Clam virum : et quæ habet partum, ei haud conmodi 'st,
Quin viro aut subtrahat, aut stupro invenerit.
Hoc viri censeo esse omne, quidquid tuum'st.
CLEOSTR. Tu quidem advorsum tuam amicam omnia loqueris.
MUR. Tace, sis, stulta, et mihi ausculta : noli, sis, tu illi
Advorsari ; sine amet, sine, quod lubet, id faciat :
Quando tibi nil domi deliquom 'st.
CLEOSTR. Satin' sana es? nam tu quidem advorsus tuam ista rem
Loquere. MUR. Insipiens ! semper tu huic verbo vitato
Abs tuo viro. CLEOSTR. Quoi verbo? MUR. I foras, mulier. CLEOSTR. St !
Tace. MUR. Quid est? CLEOSTR. Hem. MUR. Quis est, quem vides? CLEOSTR. Vir, eccum, it.
Intro abi, adpropera, age, amabo. MUR. Inpetras.
Abeo. CLEOSTR. Mox magis quom otium mihi et tibi erit,
Igitur tecum loquar : nunc vale. MUR. Valeas.

sumus solæ », nisi fuisset interpellata. Sed videtur absoluta oratio, sicut Amph. IV, 1, 1, « ego sum ». Itaque intelligit « nos sumus quæ confabulamur, neque quisquam adest arbiter. N.

27. *Et quæ habet partum, ei*, etc. In vetustis codicibus perperam scriptum fuit *commodi* pro *commode*. Ut alio loco *primi cata* pro *prime cata*. Scribendum igitur : « et quæ habet, partum ei haud commode est ». SALM.

36. *I foras, mulier*. Jubet Murrhina, ita se gerat Cleostrata, ne habeat necesse audire divortii formulam, quæ erat : « I foras, mulier ». GRUT.

37. *Hem*, vox monstrantis aliquid alicui, vel significantis aliquem adesse. Cf. Aulul. IV, 4, 14; Capt. IV, 2, 79.—*Eccum* i. q. ecce. Cf. Amph. prol. 120. — *It*, venit. Cf. Bacch. V, 2, 67. N.

40. *Igitur*. Conf. Bacchid. III, 4, 19. N.

SCENA TERTIA.

STALINO, CLEOSTRATA.

STAL. Omnibus rebus ego amorem credo et nitoribus nitidis antevenire.
Nec potis quidquam conmemorari, quod plus salis, plusque leporis hodie
Habeat. Cocos equidem nimis demiror, qui tot utuntur condimentis,
Eos eo condimento uno non utier, omnibus quod præstat.
Nam ubi amor condimentum inerit, quoivis placiturum credo.
Neque salsum, neque suave esse potest quidquam, ubi amor non admiscetur.
Fel quod amarum 'st, id mel faciet, hominem ex tristi lepidum et lenem.
Hanc ego de me conjecturam domi facio, magis quam ex auditis.
Qui, postquam amo Casinam, magis initio munditiis munditiam antideo.
Myropolas omneis solicito; ubicumque est lepidum unguentum, ungor,

1. *Nitoribus nitidis.* Pleonasmus; neque auscultandum Gronovio, qui censet mentem Plauti esse: « nitidis *hominibus* antevenire nitoribus». Doctissimus ille neque orationis hujus ingenium, neque Plautinum loquendi morem satis memoriter exsequutus est. Simile enim exemplum est illis « meæ falsæ fallaciæ », Asin. II, 1, 18; « opiparas opimates », Capt. IV, 1, 2. Itaque sensus: « amor præstat, ut reor, omnibus rebus et nitoribus nitidis ». N.

2. *Potis*, omnis generis apud antiquos. Conf. Amph. II, 2, 61. — *Plus salis.* Sal i. q. venustas, lepos, quod placet. Catull. carm. 86, v. 4.

8. *Domi*, i. e. non alieno exemplo, abundat post illud *de me*. Cf. Amph. II, 2, 7. N.

9. *Qui, postquam amo.* Scribo: « Qui, quom amo Casinam ». Scripti enim *quam*, non *postquam*. *Quum* autem est *quod* vel *quia*. Sic infra, vs. 16: « Sanus quam te amo » iidem scripti pro « quom ». *Magis*

Ut illi placeam; et placeo, ut videor. Sed uxor me excruciat, quia vivit.
(aspicit uxorem.) Tristem adstare adspicio: blande hæc mihi mala res adpellanda 'st.
(eam alloquitur.) Uxor mea, meaque amœnitas, quid tu agis? CLEOSTR. Abi, atque abstine manum.
STAL. Eia, mea Juno, non decet te esse tam tristem tuo Jovi.
Quo nunc abis? CLEOSTR. Mitte me. STAL. Mane. CLEOSTR. Non maneo. STAL. At, pol, ego te sequar.
CLEOSTR. Obsecro, sanun' es? STAL. Sanus, quom te amo. CLEOSTR. Nolo ames. STAL. Non
Potes inpetrare. CLEOSTR. Enecas. STAL. Vera dicas velim. CLEOSTR. Credo ego
Istuc tibi. STAL. Respice, oh, mi lepos! CLEOSTR. Nempe ita, uti tu mihi es.
Unde heic, amabo, unguenta adolent? STAL. Oh, perii! manifesto miser

initio, id est, magis quam primum, quam olim, quam solitus. Sic Cicero, « initio proditor, deinde perfuga ». GRON.

11. *Ut videor*, scil. mihi, opinor. LAMB. DOUZA.

12. *Tristem*, vultu severam, trucem. Vid. inf. 14. — *Mala res*, i. e. malum, pestis. Sic malam rem irati minantur, vel imprecantur. Alius malas merces vocat mulieres III, 6, 22. — *Blande... adpellanda.* Hic locus, opinor, e mente Molieri non exciderat, quum illa scriberet: *Et cependant avec toute sa diablerie, Il faut que je l'appelle et mon cœur et ma mie.* N.

13. *Quid tu agis?* Conf. Aulul. I, 2, 39. N.

17. *Enecas* tædio. Cf. Bacch. V, 2, 43. Quod tamen Stalino aliter interpretatur jocans. — *Vera dicas velim.* Hæc dicit aversus, non ita tamen submissa voce imprudens, quin loquentem intercipiat uxor: Credo tibi istuc, quod nunc optas, at non blaude dicta. N.

18. *Nempe ita* sum tibi, ut tu mihi es lepos. N.

19. *Amabo.* Certe hæc locutio non sensu nativo, sed vulgari et corrupto hic usurpatur. Conf. I, 1, 49. — *Unguenta adolent?* Olim elegantiores homines odoratis unguentis caput perfundere solebant. Martialis, Epigr. VIII, 77: « Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo Splendeat, etc. » MURET. — *Manifesto miser Teneor!* Hic ordo: Ego miser teneor manifesto, i. e. me manifestum voluptarii furti habet. N.

Teneor : cesso caput pallio detergere? uti te bonus
Mercurius perdat, myropola, qui hæc mihi dedisti. CLEOSTR. Eho tu,
Nihili, cana culex : vix teneor, quin, quæ decent te, dicam,
Senecta ætate unguentatus per vias, ingnave, incedis.
STAL. Pol, ego amico dedi quoidam operam, dum emit
Unguenta. CLEOSTR. Ut cito conmentatus est!
Ecquid te pudet? STAL. Omnia quæ tu vis. CLEOSTR. Ubi in lustra jacuisti?
STAL. Egone in lustra? CLEOSTR. Scio plus, quam tu me arbitrare. STAL. Quid id est?
Quid tu scis? CLEOSTR. Te sene omnium senem neminem esse ingnaviorem.
Unde is, nihili? ubi fuisti? ubi lustratus? ubi bibisti?
Id est, mecastor : vide, palliolum ut rugat. STAL. Di me et te infelicitent,
Si ego in os meum hodie vini guttam indidi. CLEOSTR. Imo age, ut lubet,
Bibe, es, disperde rem. STAL. Ohe, jam satis, uxor, est; conprime te, nimium tinnis.
Relinque aliquantum orationis, cras quod mecum litiges.
Sed quid ais? jam domuisti animum, potius ut, quod vir velit

20. *Uti*, utinam. N.

26. *In lustra.* *In* quartum et sextum promiscue casum ducit. Conf. Aulul. IV, 3, 4. N.

28. *Ingnaviorem*, nequam, voluptate perditum. Ut is, qui rem tum privatam, tum publicam probe gerebat, strenuus audiebat, ita qui indulgebat vitio, ignavus. N.

29. *Is*, venis. Bacch. V, 2, 67. N.

30. *Id est, mecastor.* Rogarat eum, ubi perpotasset; tum acrius in habitum intuens, « Id est, mecastor », ait : scilicet perpotavit : nam vel hoc palliolum vide, ut rugas contraxit a desidiabulo illo sedentario. *Id est*, vel *Hoc est*, eorum quæ dicta sunt, adseverationem habet. J. GUL.

32. *Jam satis, uxor, est.* Gruter. « jam satis uxor es! » hoc sensu : Jam satis equidem implevisti morem et munus uxorium. Nimis argute. N. — *Nimium tinnis.* Nimis acute clamas : tralatio ab aere. Vide prol. in Pœnul. 33. GRON.

34. *Sed quid ais?* Cf. Aulul. II, 2, 104. Sic omissa rixatione, aliud proponit, de quo colloquantur,

Fieri, id facias, quam advorsere contra? CLEOSTR. Qua de re? STAL. Rogas?
Super ancilla Casina, ut detur nubtum nostro villico,
Servo frugi, atque ubi illi bene sit, ligno, aqua calida, cibo,
Vestimentis, ubique educat pueros, quos pariat, potius
Quam illi servo nequam des armigero, nihili atque inprobo,
Quoi homini hodie peculi numus non est plumbeus.
CLEOSTR. Mirum, escastor, te senecta ætate opficium tuum
Non meminisse? STAL. Quid jam? CLEOSTR. Quia, si facias recte aut conmode,
Me sinas curare ancillas, quæ mea est curatio.
STAL. Quî, malum, homini scutigerulo dare lubet? CLEOS. Quia enim filio
Nos oportet opitulari unico. STAL. At quamquam unicu'st,
Nihilo magis unicu'st ille mihi filius, quam ego illi pater:
Illum mihi æquiu'st, quam me illi, quæ volo, concedere.
CLEOSTR. Tute, ecastor, tibi, homo, malam rem quæris. STAL. (seorsum.) Subolet, sentio.
(ad Cleostratam.) Egone? CLEOSTR. Tu. Nam quid frigutis? quid istuc tam cupide cupis?

scil. nuptias Casinæ cum villico, quas ut Cleostrata fieri sineret, domandus erat animus. Sic a jurgio ad mentionem de filiæ matrimonio Chrysalus transit apud Molierum. N.

37. *Ubi illi bene sit, ligno*, etc. Apud quem illa beate vivat affatim habens ligni, etc. N.

38. *Quos pariat.* Subjunctivus valet futurum, ibi positus, quia res est in incerto. Cf. Capt. II, 3, 3. N.

40. *Numus non est plumbeus*, hyperbole. Conf. Trinum. IV, 2, 120: « ei ne aurum crederem, Quoi ... numum nunquam credam plumbeum ». Falsam monetam plumbo cudebant adulteratores. N.

44. *Malum.* Cf. Amph. I, 1, 247. N. — *Scutigerulo*, per contemptum, pro « cacula militari », Trin. III, 2, 95. DOUZA.

45. *Opitulari*, adjuvare suo armigero faventem. N.

48. *Tibi, homo, malam rem quæris.* Vide quam superbe comminetur viro, quam contumeliose, his verbis, « homo, malam rem ». Cf. Amph. prol. 31; Aulul. III, 5, 9. N. — *Subolet.* Subolet uxori hoc quod ago, id est, amatio mea. GRON.

49. *Frigutis.* Varro deducit a no-

STAL. Ut enim frugi servo detur potius, quam servo inprobo.
CLEOSTR. Quid si ego inpetro atque exoro a villico, causa mea
Ut eam illi permittat? STAL. Quid si ego autem ab armigero inpetro,
Eam illi permittat? atque hoc credo inpetrassere.
CLEOSTR. Convenit: vis tuis Chalinum huc evocem verbis foras?
Tu eum orato, ego autem orabo villicum. STAL. Sane volo.
CLEOSTR. Jam heic erit: nunc experiemur, nostrum uter sit blandior.
(abit.)
STAL. Hercules dique istam perdant, quod nunc liceat dicere.
Ego discrucior miser amore: illa autem quasi ob industriam
Mi advorsatur. Subolet hoc jam uxori, quod ego machinor;
Propter eam rem magis armigero dat operam de industria.

mine avis frigillæ. Et Planciades enarrat «frigutire» tanquam adgannire subtiliter, i. e. argute. H. l. valet volubiles et acutas voces fundere. — *Cupide cupit*. Ennius Phœnic. «Stultus est, qui cupida cupiens cupienter cupit». N.

53. *Inpetrassere*, impetraturum esse. Cf. Amph. I, 1, 55. N.

54. *Convenit*, adstipulor, pactum est. — *Tuis verbis*. Conf. Amphitr. III, 3, 12. N.

56. *Nunc*, scil. jam non audiente illa. LAMB.

58. *Miser*. Vehementissime, violentissime affectus. Sic Horat. Sat. I, 9, 14, «misere cupis». N. — *Ob industriam*, i. e. de industria. L.

SCENA QUARTA.

STALINO, CHALINUS.

STAL. Quî illum di omneis deæque perdant. CHAL. Te aiebat tua
Me vocare. STAL. Ego enim vocari jussi. CHAL. Eloquere quid velis?
STAL. Primum ego te porrectiore fronte volo mecum loqui.
CHAL. Stultitia est ei te esse tristem, quojus potestas plus potest.
STAL. Pro! bonæ frugi hominem te jam pridem esse arbitror. CHAL. Intellego.
Quin, si ita arbitrare, emittis me manu? STAL. Quin, id volo.
Sed nihil est, me cupere factum, nisi tu factis adjuvas.
CHAL. Quod velis, modo id velim me scire. STAL. Ausculta ergo, loquar.
Casinam ego uxorem promisi villico nostro dare.
CHAL. At tua uxor filiusque promiserunt mi. STAL. Scio.

1. *Quî illum di omneis. Quî* pro *ut*, vel *utinam*. Sic fere Donatus ad Terent. Phorm. I, 2, 73. Conf. Plautus Pers. V, 2, 6: « quî illum Persam atque omneis Persas... male di omneis perdant ». Men. III, 1, 5: « quî illum di omnes perduint, qui primus commentus est concionem ». Etsi in Terentiana oratione potest dubitari *qui* expletivumne sit, an pronomen; at in his locis quid valeat non ambigitur; neque in illo Ciceronis: « de Apollonio, quod scribis, quî illi dii irati (sint) homini græco! » ad Att. IV, 7. L.— *Tua*. Nomina uxoris, filii, et similia sæpe veteres sermone supprimebant.

2. *Eloquere quid velis?* Truculente hæc dicit Chalinus. N.

3. *Porrectiore fronte*, hilariore. Terent. Andr. V, 3, 53: « da te hodie mihi; exporge frontem ». Rursus frons tristis est contracta, astricta. LAMB.

4. *Te esse*, etc. Hac figura secundæ personæ sententia generatim intelligitur, ut sæpissime apud Latinos. Ex. gr. Sallust. Catil. « frustra judicia implores ». Ed. nost. p. 90. — *Tristem*. Cf. sc. præc. v. 7. N.

5. *Intellego*. Hoc secum dicit. I. e. video quo spectent blanditiæ. N.

7. *Me cupere factum*, i. q. cupere id fieri, ut « factum volo ». N.

Sed utrum nunc tu, cœlibem esse te mavis liberum,
An maritum servom ætatem degere et gnatos tuos,
Optio hæc tua 'st; utram harum vis, conditionem adcipe.
CHAL. Liber si sim, meo periclo vivam, nunc vivo tuo.
De Casina certum'st, concedere homini nato nemini.
STAL. Intro abi, atque actutum uxorem huc evoca ante ædeis cito.
Et sitellam huc tecum adferto cum aqua et sorteis. CHAL. Satis placet.
STAL. Ego, pol, istam jam aliquovorsum tragulam decidero.
Nam si sic nihil inpetrare potero, saltem sortiar.
Ibi ego te et subfragatores tuos ulciscar. CHAL. Attamen
Mi obtinget sors. STAL. Ut quidem, pol, pereas cruciatu malo.
CHAL. Mihi illa nubet; machinare quodlubet quovis modo.
STAL. Abin' hinc ab oculis? CHAL. Invitus me vides: vivam tamen.
(abit.)
STAL. Sumne ego miser homo? satin' omneis res sunt adversæ mihi?

11. *Sed utrum... mavis*, etc. Ordo est : « utrum mavis, non ducta uxore, te dimitti liberum, an, ducta, servire, dum vives, cum tuis natis. N.

14. *Meo periclo vivam*. Latius intelligitur hic periculum. I. e. mea impensa, meo damno. Aliud est illud Tyndari, cui herus mortem minitatur : « periclum vitæ meæ stat tuo periculo », Captiv. III, 5, 82. N.

17. *Sitellam*. Vid. II, 6, 22. N.

18. *Aliquovorsum*, scil. ita me vertam, ut decidam istam tragulam. — *Istam tragulam decidero*. Tragulam vocabant telum missile hamatum, quod infixum corpori, extrahi non posset, nisi exscinderetur. Igitur telum decidere Latinis erat, ut Homero ἐκτέμνειν βέλος, vulnere latius inciso evellere. Hoc autem loco Stalino allegoria significat se, licet victus sit, et vulnus acceperit immissa ista tragula, tamen periculo evasurum. Conf. Epid. V, 2, 25; Pseudol. I, 4, 14. N.

19. *Sic*, nempe orando, ut concedas Olympioni puellam. N.

20. *Ulciscar*, profligam. N.

21. *Ut quidem*, etc. Alio vertit, quæ Chalinus dixit. Hic voluit « Mi obtinget sors », scilic. qua conjux Casinæ optabor. At ea sors, inquit Stalino, obtinget, ut pereas in cruce. Conf. Captiv. III, 4, 116, et inf. scen. 6, v. 38. N.

Jam metuo, ne Olympionem mea uxor exoraverit,
Ne Casinam ducat; si id factum 'st, ecce me nullum senem:
Si non inpetravit, etiam specula in sortitu 'st mihi.
Si sors autem decolassit, gladium faciam culcitam,
Eumque incumbam : sed progreditur optume eccum Olympio.

SCENA QUINTA.

OLYMPIO, STALINO.

OLYMP. Una, edepol, opera in furnum calidum condito,
Atque ibi torreto me pro pane rubido,
Hera, quam istam operam a me inpetres, quod postulas.
STAL. Salvos sum, salva spes est, ut verba audio.
OLYMP. Quid tu me vero libertate territas?

26. *Ne Casinam ducat.* Uxor exorando persuaserit, ut nolit Casinam ducere. — *Nullum*, quasi mortuum. Perii. N.

27. *Specula* dicitur a *spes*, ut *recula* a *res*. — *In sortitu'st mihi.* MS Camer. habet : « etiam specula insortita sunt mihi »; et ita omnes MSS Lang. et Palat. vett. nisi quod *spicula* legant. Hinc Gruterus fecit : « etiam specula in sortitu'st mihi » : nam *st* sæpe degeneravit in *sunt* : plane, ut ex conjectura etiam Acidalius. *Sortitus*, ipse sortiendi actus. Gron.

28. *Si sors autem decolassit*, delicuerit, effluxerit, ad nihilum redigetur. Vide ad Captiv. II, 1, 37. Gron. — *Gladium faciam culcitam.* Comice comicam desperationem exprimit, quæ sententia erat : Gladio me transfodiam, incumbens acumini. N.

29. *Eumque incumbam.* Ea vis est præpositionis additæ verbo « incumbam », ut *eum* regat in quarto casu. N.

1. *Una, edepol, opera*, etc. Cleostratæ intus loquitur, quæ illum, ut Stalino Chalinum, frustra tentavit. — *Una opera*, est simul, ut « eadem opera », Bacchid. I, 1, 15. Eadem quâ me oras opera, ut nuptias omittam, me in furnum condito, etc. i. e. non solum precibus, sed etiam cruciatu me tenta, si velis. N.

2. *Pro pane rubido.* Eruditi rubidum panem intelligunt, ex enarratione Isidori, recoctum et rubefactum. N.

3. *Quam*, potiusquam. — *Inpetres operam*, obsequentiam, in id *quod postulas*. N.

5. *Libertate territas*, conaris deterrere, libertate proposita. N.

Quid? si tu nolis, filiusque etiam tuus,
Vobis invitis atque amborum ingratiis
Una libella liber possum fieri.
STAL. Quid istuc est? quicum litigas, Olympio?
OLYMP. Cum eadem, qua tu semper. STAL. Cum uxorene mea?
OLYMP. Quam tu mi uxorem? quasi venator tu quidem es,
Dies atque nocteis cum cane ætatem exigis.
STAL. Quid agit? quid loquitur tecum? OLYMP. Orat, obsecrat,
Ne Casinam uxorem ducam. STAL. Quid tu postea?
OLYMP. Negavi enim ipsi me concessurum Jovi,
Si is mecum oraret. STAL. Di te servassint mihi.
OLYMP. Nunc in fermento tota'st, ita turget mihi.
STAL. Edepol, ego illam mediam diruptam velim.
OLYMP. Credo, edepol, esse, siquidem tu frugi bonæ es.
Verum, edepol, tua mihi odiosa'st amatio:
Inimica tua'st uxor mi, inimicus filius,
Inimici familiareis. STAL. Quid id refert tua?
Unus tibi hic dum propitius sit Jupiter,

7. *Amborum ingratiis*. Hinc apparet, inquit Lamb. et Sciopp. Verisim. l. I, 20, *ingratiis* nomen esse, non adverbium. Sic Merc. act. II, 4, 11, « tuis ingratiis ». TAUBM.

8. *Una libella*, i. e. minimo, nullo pretio. Cf. Captiv. V, 1, 27.—*Liber possum fieri*, scilic. hero volente, summo domus arbitro. N.

11. *Quam tu mi uxorem* nominas? Gallice : *elle votre femme!* Cf. Capt. III, 4, 41, « quem patrem? » Hic sensus : « Falso eam appellas uxorem; quæ tibi, ut canis, semper oblatrat ». N.

16. *Mecum oraret*. Cf. Asin. III, 3, 72; Casin. II, 5, 16; Curcul. III, 1, 62; Ter. Hec. IV, 4, 64. N.

17. *In fermento 'st*, animus illius fervet. Mercat. V, 3, 14.—*Ita turget* præ ira. N.

18. *Mediam diruptam velim*. Alludit ad metaphoram verbi *turgere*. Utinam eo usque turgeat, ut dirumpatur! N.

19. *Credo, edepol, esse* diruptam mediam.—*Si frugi bonæ es*, si probus et fortis maritus es. Hoc genus festivitatis verecundæ aures nostratum haud tolerent. N.

20. *Tua odiosa'st amatio*. Mihi molestiam afferunt tui amores. N.

22. *Familiareis*, famuli, conservi. Cf. Amph. I, 1, 197. N.

Tu istos minutos cave deos floccifeceris.
OLYMP. Nugæ sunt istæ magnæ : quasi tu nescias
Repente ut emoriantur humani Joveis.
Sed tandem si tu Jupiter sis emortuus,
Quom ad deos minores redierit regnum tuum,
Quis mihi subveniet tergo, aut capiti, aut cruribus?
STAL. Opinione melius res tibi habeat tua,
Si hoc inpetramus, ut ego cum Casina cubem.
OLYMP. Non, hercle, opinor posse, ita uxor acriter
Tua instat, ne mihi detur. STAL. At ego sic agam :
Conjiciam sorteis in sitellam, et sortiar
Tibi et Chalino. Ita rem natam intellego;
Necessum'st vorsis gladiis depugnarier.
OLYMP. Quid, si sors aliter, quam voles, evenerit?
STAL. Benedice. Dis sum fretus, deos sperabimus.
OLYMP. Non istuc ego verbum emissim titivillitio.

29. *Quis mihi subveniet tergo.* Hellenismus est in hoc versu, ὅλον καὶ μέρος. Homer. Iliad. A : Ἀλλ' οὐκ Ἀτρείδῃ Ἀγαμέμνονι ἥνδανε θυμῷ. DES. HERALD. — *Tergo*, quod fiet totum ulmeum. Cf. Asinar. II, 2, 96. — *Capiti*, cui pix ardens illucebit. Cf. Captiv. III, 4, 65. — *Cruribus*, quæ manet crurifragium. Pœnul. IV, 2, 64. N.

30. *Opinione melius*, etc. Melius se habebit res tua, quam speras. — *Habeat.* Subjunctivus rem incertam significat. N.

35. *Ita rem natam intellego*, eam esse rei naturam, i. e. rem ita se habere, ut maxima vi depugnandum sit. N.

36. *Vorsis gladiis.* Dirempta prælusione, abjectisque lusoriis armis, transibant ad vera. Atque hoc est, quod «dimicare ad certum», Tertullianus alibi vocat. Appellabant id etiam, «pugnare versis armis». Ita censet Caper literator hunc Plauti locum laudans et hoc Ovid. A. A. III, 589 : «Ponite jam gladios hebetes; pugnetur acutis». LIPS. — Quid, si intelligatur de re bellica magis quam de gladiatoria, illa proverbialis locutio, tanquam velit «nunc emissis pilis, ad gladios res venit»? Illa enim ætate, militia magis quam gladiatura in animis et ore omnium erat. Vid. inf. v. 44, et scen. seq. v. 5. At sententia hujus loci eadem manet. N.

38. *Benedice*, cave infaustis verbis. *Point de mauvais augure.* Conf. Asin. III, 3, 154. N. — *Deos sperabimus. Deos sperare* est diis confidere. GRONOV.

39. *Emissim*, emerim. Acidal. non sine ratione *emsim;* alii, *empsitem.* N. — *Titivillitio.* Non emere titivill. est nihili facere. Festus : «Titivillitio nullius significationis est, ut apud

Nam omneis mortaleis diis sunt freti : sed tamen
Vidi ego diis fretos sæpe multos decipi.
STAL. Tace parum. OLYMP. Quid vis? STAL. Eccum exit foras
Chalinus intus cum sitella et sortibus.
Nunc nos conlatis signis depugnabimus.

SCENA SEXTA.*

CLEOSTRATA, CHALINUS, STALINO, OLYMPIO.

CLEOST. Face, Chaline, me certiorem, quid meus vir me velit.
CHAL. Ille, edepol, videre ardentem te extra portam Metiam.

Græcos βλιτυρὶ et σκινδαψός ». Fulgentius : « Titivillitium dici voluerunt fila putrida, quæ de telis cadunt. Plautus Casina : Non ego istuc verbum emsitem titivillitio : re admodum vilissima. Nam et M. Cornutus in satyra ait : Titivilles, Flacce, do tibi ». De hac voce variæ sunt eruditorum conjecturæ. Alii *textivillitium*, quasi a textus vilitate: alii *totivillitium* volunt, quasi totum vile. *Villus* est floccus lanæ vel pilorum in animantibus. A villo *villitium*, ut a lana *lanitium*, a capillo *capillitium*. Haud dubie intelligendum est *villitium Titi*, et putandum fuisse quemdam sive agricolam sive pastorem (ut quondam maxima pars Romanorum) Titum nomine, cujus, quod de scabris et male curatis ovibus pessimæ notæ villum colligeret, villitium primo in vicinia, post sermone vulgi pro vilissimo in eo genere, denique pro quavis re vili et nullius pretii proverbio jactatum sit. Neque vox una est, sed duæ, nempe *Titi villitium*, aut si mavis unam esse, non aliunde duplicata est, quam a nomine *Titi* et *villitio* ejusdem. In loco Cornuti scribendum : « Titi villos, Flacce, do tibi », hoc est, rem vel opusculum minimi pretii. Sic etiam *floccus* (nihil autem aliud floccus quam villus) pro re nihili : unde « flocci facere, flocci non facere, flocci æstimare, flocci pendere ». ACID. GRON.

40. *Nam omneis mortaleis*, etc. Impia vox, sed quam ipsa dicentis improbitas elevet. Longe alia de diis sentientes induxit actores in comœdiis ad mores pudicos factis, quibus non insunt spurcidi versus immemorabiles, sc. Captiv. prol. 22, II, 2, 63; etiam Rudent. prol. 10-27. N.

43. *Intus*, e domo. Cf. Amph. II, 2, 138. N.

* Hæc scena ex iis una est, quibus Plautus, ut ait Varro, palmam sermonis comici artificio sibi peperit. Quam vivida imago! quam curiosa in singulis exprimendis felicitas! quanti motus animorum! quanta in levissima re gravitas! quanta exspectatio! N.

2. *Ardentem* jam mortuam in rogo. GRUT. — *Portam Metiam*, ubi

CLEOSTR. Credo, ecastor, vellet. CHAL. At, pol, ego haud credo, sed certo scio.
STAL. Plus artificum 'st mi, quam rebar; hariolum hunc habeo domi.
Quid si propius adtollamus signa, eamusque obviam?
Sequere: quid vos agitis? CHAL. Adsunt, quæ inperavisti, omnia,
Uxor, sorteis, situla, atque egomet. STAL. Te uno adest plus, quam ego volo.
CHAL. Tibi quidem, edepol, ita videtur: stimulus ego nunc sum tibi.
Eo dico, corculum adsudascit jam ex metu. STAL. Mastigia!

pauperiorum cadavera comburebantur. Metia porta ea est, quæ nomen a Metio Asthemio habet, qui pro peste sedata, diis, omnia quæ novo vere nascebantur, et homines, et pecora etiam obtulit. Sunt qui a Metio illo fœdifrago dictam portam velint, et quoniam ibi torquerentur homines, romano populo invisam fuisse contendant. LONGOL.—Vid. Pseudol. I, 3, 9, et Mil. II, 4, 6. Parum curat poeta, an res romanæ palliatis conveniant. Imo, opinor, hic et in multis locis aliis de industria sic peccavit, ut populo placeret. N.

3. *Certo scio*, certa est opinio. *Scire* est sæpe Plauto et Terentio, non quod ex aliis didiceris, sed quod animo reputaveris. Vid. Asin. II, 2, 111; Captiv. III, 4, 55; Terent. Adelph. III, 2, 61; Hec. IV, 4, 34. N.

4. *Plus artificum 'st*, etc. Hæc secum Stalino, vel conversus ad Olympionem, clam uxore. *Artificum*. Gaudet ironice, quia hariolatio Romæ quæstus erat. Cf. Mil. III, 1, 99, et servos artifices foris locabant heri, quæstus causa. Hariolum autem Chalinum autumat, quia ille quid vir de uxore sentiret vere divinavit. Terent. Phorm. III, 2, 7: « PH. Non mihi credis? DO. Hariolare ». N.

5. *Adt. signa*. Cf. sc. præc. v. 44.

6. *Quid vos agitis?* Solita locutio amice homines adeuntium. Cf. Aul. I, 2, 39; Bacch. I, 1, 5. N.

7. *Te uno adest*, etc. I. e. plus est, quam velim, te uno. *Tu es seul de trop*. Cf. Amph. II, 1, 63. N.

8. *Stimulus ego tibi*. Hoc proverbium olet. Tibi sum molestus, ut stimulus jumentis, vel pigrioribus servis. N.

9. *Adsudascit*. Non improbarem legi, *assultassit*. Nihil frequentius Græcis, quam πηδῶσα κραδία, nunquam vero ἱδρῶσα legitur. SALMAS. —Forte: « En ut corculum adsultascit ». Nam liber optimus, *adsudascis*. GRON. — Vid. inf. sc. 7, v. 10, et Capt. III, 4, 104. — *Eo dico, corculum adsudascit*, etc. Quasi sic loqueretur: Itaque dico corculum tuum sudare. Sic Juv. sat. I, 167: « tacita sudant præcordia culpa ». *Eo*, pro igitur, itaque, Plauto usi-

CLEOSTR. Tace, Chaline: conprime istum. OLYMP. Imo istunc, qui didicit dare.

STAL. Adpone heic sitellam, sorteis cedo mihi: animum advortite.

Atque ego censui abs te posse hoc me inpetrare, uxor mea,

Casina ut uxor mihi daretur, et nunc etiam censeo.

CLEOSTR. Tibi daretur illa? STAL. Mihi enim? ah, non id volui dicere:

Dum mihi volui, huic dixi: atque adeo dum mihi cupio, perperam

Jamdudum, hercle, fabulor. CLEOSTR. Pol, tu quidem, atque etiam facis.

STAL. Huic, imo, hercle, mihi: vah, tandem redii vix veram in viam.

tatum. Cf. Aul. II, 2, 63; Asin. II, 4, 29; Bacch. II, 3, 85. Hujusmodi autem divisio orationis, «dico, cor adsudascit», familiare illi est. Ne longe petam exempla, vid. sc. præc. vss. 35, 36, «ita rem natam intellego; Necessum 'st», pro «ut necessum sit». Cf. Bacchid. III, 6, 17. Ergo mutare «eo quod» vel «fodico corculum» non opus est. N.

10. *Conprime istum*, retine Olympionem, ne aliquid turbet. Sed verbo *comprimere* aliquid obscœnitatis intelligi potest (cf. Amph. I, 1, 192), quam Olympio occupat, et sic fœde jocatur: «imo istunc potius comprimi jube Chalinum, qui se præbere cinædice callet». Hic sensus inest verbo *dare*. N.

11. *Cedo*, da. N.

12. *Atque*, i. q. atqui, adversativa conjunctio. N.—*Censui abs te p. hoc me inpetrare.* Nostri codices omnes, «mecum inpetrare». Vide an scripserit: «Atque ego censui me posse hoc tecum inpetrare». Cui explicando videtur aliquis apposuisse *abs te*. Nam id Plautus dixit «tecum inpetrare», ut «tecum oro». Gudianus: «abs te hoc posse negotium inpetrare». GRON.

14. *Mihi daretur.* Lepidum sane et naturale erratum. Ita obversatur menti amor. N.

15. *Dum mihi vol. h. dixi.* Par et consentaneum erat dicere: Dum dixi mihi, huic volui. Sed amore perturbatus senex loquitur, quod fert libido, non quod ratio postulat. LAMB. — *Atque dum mihi cupio*, præ cupidine, atque simul pudore et metu, coram conjuge, ita sui animi impos, ut perpetuo labatur errore, et quo magis se corrigere tentet, eo magis fallatur, tandemque se, quid dicat, plane haud sapere confitetur. N.

16. *Pol, tu quidem.* Non solum perperam fabularis, sed etiam perperam facis. GRON.

17. *Huic, imo, hercle, mihi. Huic* alta voce, *imo, hercle, mihi*, sub-

CLEOSTR. Per, pol, sæpe peccas. STAL. Ita fit, ubi quid tantopere expetas.

Sed te, uterque suo pro jure, ego atque hic oramus. CLEOSTR. Quid est?

STAL. Dicam enim, mea mulsa : de istac Casina huic nostro villico

Gratiam facias. CLEOSTR. At, pol, ego neque facio, neque censeo.

STAL. Tum igitur ego sorteis utrimque jam. CLEOSTR. Quis vetat?

missa pronuntiandum opinor. Priore uxori, posteriore sibi gratum facit. Denique, rursum alloquutus conjugem : Vah! inquit, tandem ad rectam dicendi viam, non sine difficultate quidem, redii. N.

18. *Per, pol.* Servius Æn. I, *pol*, per se plenum est jurantis adverbium, cui præpositio separatim nunquam cohæret. Ter. Hec. act. I, 1 : « Per, pol, quam paucos reperias », id est, perquam paucos. Sic et hic persæpe. GRON. — *Expetas*, id est, expetat aliquis. N.

20. *Mea mulsa*, blandula appellatio. Stich. V, 5, 14 : « mulso mulsior ». Ita fere, sed venustius : « O melle dulci dulcior tu mihi es », Asin. III, 3, 24. N.

22. *Tum igitur ego*, etc. Specta ordine sortitionis ritus, Plauto exhibente. Afferuntur sitella cum aqua et sortes v. 7; contendentibus sortes diribuntur, notatæ altera uno, altera videlicet duobus, vss. 25-27; cavetur ne alterutra leviore sit ligno, supernatante scil. in aqua, vs. 32. Antequam uterque in sitellam sortes conjiciat, æquandas judex curat vs. 35. Tandem victura effertur vs. 63. Præterea hunc de sortitione Salmasii Excursum apponere haud inutile credidi ex editione Gronoviana compendiatum. N. — Hereditates primæ olim et quæcumque inter plures dividenda erant, sortitione distribui solebant, et ea sortiendi quidem ratione cujus hic mentio. Unde κλῆρον Græci vocabant hereditatem, quia sortito eam heredes partiebantur, id est, κληρώσει: quum de primatu in re aliqua consequendo contenderetur inter plures, sortito deferebatur. Præmia, et alia quæcumque sorti committebantur. Sortito quoque sic nomina judicum legebant. In vas aliquod conjiciebantur sortes, cum aqua aut sine aqua. Si sine aqua esset, sortes ex terra molli et pingui ut plurimum fiebant. Si cum aqua, ex materia aliqua ponderosiore, quæ fundum peteret, et duriore, quæ non facile liquesceret : scil. calculo, aut lapillo, aut ligno duro, aut simili. Grammatici κλῆρον, id est, sortem interpretantur, σημεῖον ὅ τις ἐμβάλλει τῷ ἀγγείῳ τοῦ λαχμοῦ, ψηφὶς τυχὸν, ἢ δακτύλιος, ἢ βῶλος ἀρούρας κατὰ Σοφοκλῆν (i. e. signum, quod quis injicit in sortitionis urnam, sive calculus, sive annulus, aut terræ globus, ut

STAL. Optumum atque æquissumum istud esse, jure judico.
Postremo, si illuc, quod volumus, eveniet, gaudebimus:
Sin secus, patiemur animis æquis: tene sortem tibi.
Vide quid scribtum 'st. OLYMP. Unum. CHAL. Iniquom 'st, quia isti prius, quam mihi est.
STAL. Adcipe hanc, sis. CHAL. Cedo; mane: unum venit in mentem modo.
Vide, ne qua illeic insit alia sortis sub aqua. STAL. Verbero,
Men' te censes esse? nulla 'st: habe quietum animum modo.
CHAL. Quod bonum atque fortunatum sit mihi, tuum magnum malum.

est apud Sophoclem). Sortibus imprimebant signa, quisque suum. Ideo sitellam aqua implebant, ne in fundo conspicuæ sortes fierent, vel alio modo agnoscerentur. Græci ὑδρίαν vocant. Si in vas sine aqua sortes mitterentur, interdum festucis exæquatis sortitio peragebatur. Unde κάρφια βαλεῖν Græci dixerunt de hujusmodi sortitione. Apud Homerum sortitio fit militaris, in galeam conjectis sortibus, sine aqua ut videtur. Κλήρους ἐν κυνέῃ χαλκήρεϊ πάλλον ἑλόντες. Movebant, sortes in vase ut turbarentur, ne fraus fieret in extrahendis. Inde πάλος pro sorte. Hodie chartulis complicatis et nomine ejus notatis cujus sors est, utimur in pileum conjectis, et per puerum in singulos sortientes distributis. Hoc genere sortitionis quo sortes in vas conjiciuntur, milites partiti sunt vestimenta Christi, quod dicitur apud Johannem βαλεῖν κλῆρον. *Sortem mittere* Latini dicunt de sortitione, quod græce est κλῆρον βαλεῖν. Ita milites agros sibi assignatos sortiebantur. Sortientium nomina in pittaciis scribebantur, quæ in vas aliquod conjiciebantur, et inde tollebantur, et singulis sortientium distribuebantur, ut ex Hygino constat de limitibus constituendis. Buxeæ erant illæ sortes, sive pittacia pro sortibus in sitellam conjectis, quia buxum non supernatat, sed fundum petit. *Sorticulæ buxeæ* fit mentio in veteri tabula ænea, et sitellæ jam aqua, in quam erat demittenda, aperta et brachio aperto. SALM. — Sortibus in sitellam conjectis sortiebantur provincias. Tit. Liv. XLI, 18. — *Tum igitur ego*, etc. Deest hic orationi verbum, metro pes unus; neque comparet in MSS. Eruditi varie tentarunt versum explere. Alii « dabo vel danam », alii « sortio », alii « utrique utrinque », subaud. mittam, jaciam, scil. in sitellam. N.

23. *Istud*, scilic. illam rationem optandi, uter Casinam ducat. N.

26. *Unum*. Nota, quæ μονάδα significat. CAMER. — *Mihi est*, scilic. data sors. LAMB.

27. *Hanc, sis*, scil. alteram, si vis. — *Cedo*, da. GRON.

28. *Sortis*. *Sortis*, pro *sors*, teste Prisciano, VII, 8, 39. GRON.

30. *Quod bonum atque fort. sit mihi*.

OLYMP. Tibi quidem, edepol, credo eveniet; gnovi pietatem tuam.

Sed manedum : num ista aut populna sors, aut abiegna est tua?

CLEOSTR. Quid tu id curas? OLYMP. Quia enim metuo, ne in aqua summa natet.

STAL. Euge : cave: conjicite sorteis nunc jam, amabo, huc : eccere.

Uxor, æqua. OLYMP. Nolim uxori credere. STAL. Habe animum bonum.

OLYMP. Credo, hercle, hodie devotabit sorteis, si adtigerit. CLEOSTR. Tace.

OLYMP. Taceo; deos quæso... CHAL. Ut quidem tu hodie canem et furcam feras.

Solennis formula quodlibet negotium ineuntis. Cf. Aul. II, 2, 41; IV, 10, 57. Et comice addit: Magnum malum tibi, Olympio. Hæc videlicet effatus est, quum sortem acciperet. N.

31. *Pietatem.* Nempe pios dii adjuvant. Quod aliter videatur evenire, Ovidius indignatur, deflens Tibulli mortem : « vive pius, moriere pius ». N.

33. *Natet.* Fiebant enim sortes ex ligno durissimo, puta quercu, aut robore, ut in aqua subsiderent. LAMBIN.

34. *Euge : cave.* His hortatur Olympionem, ut sortem Chalini inspiciat. —*Eccere*, quasi « ecce rem ». Adverbium demonstrandi, i. q. ecce. Cf. Amph. II, 1, 4. N.

35. *Uxor, æqua.* Falluntur, qui *æqua* deducunt ab *æquus*, non ab *æquare*. Hoc est, æqua sortes, ut pares fiant, neque discriminari possint in sitella. Mirum, quod devii fuerunt, quum haberent in promptu Cicer. pro Cornelio : « Dum sitella defertur, dum æquantur sortes, dum sortitio fit ». Idem, lib. I de Divinatione : « Cujus generis oracula etiam habenda sunt, non ea, quæ æquatis sortibus ducuntur ». GRON.

36. *Devotabit.* *Devotare*, est sortes diris precationibus obligare, seu devotas et exsecratas reddere. Auctor libri de Herbis, qui Apuleius vulgo habitus, cap. 7 : « Si quis devotatus defixusque fuerit in suis nuptiis, sic eum resolvas. ». GRUT.

37. *Canem. Canem ferre*, hic est, vinctum esse. Sic *catellum ferreum* dixit per diminutionem Curcul. V, 3, 13, eodem modo Græci σκύλακα vocant. TURN. — Festus : « Catulus, genus quoddam vinculi, qui interdum canis appellatur ». SALMAS. — Lucil. « Cum manicis, catulo, collarique, ut fugitivum deportem ». Quod autem genus supplicii fuerit furcam collo ferre, quæ junctis lignis duobus hac figura V, vel tribus

OLYMP. Mi ut sortitio eveniat. CHAL. Ut quidem, hercle, pedibus pendeas.
OLYMP. At tu ut oculos emungare ex capite per nasum tuos.
Quid times? paratum oportet esse jam laqueum tibi.
Periisti. STAL. Animum advortite, amabo. OLYMP. Taceo. STAL. Nunc tu, Cleostrata,
Ne a me memores malitiose de hac re factum, aut subspices,
Tibi permitto: tute sorti. OLYMP. Perdis me. CHAL. Lucrum facit.
CLEOSTR. Benefacis. CHAL. Deos quæso, ut tua sors ex sitella ecfugerit.
OLYMP. Ain' tu? quia tu es fugitivos, omneis te imitari cupis.
Utinam tua quidem, sicut Herculeis prædicant
Quondam prognatis, ista in sortiendo sors delicuerit.

illa II, constabat, Plutarchus diligenter describit in vita Coriolani; unde dicti sunt furciferi. N.

38. *Ut quidem*, etc. Cf. sup. sc. 4, vs. 21. — *Pedibus pendeas*, i. q. per pedes. Asin. II, 2, 35. Servi verberabantur pendentes, pedibus demissis centupondio gravibus. N.

39. *At tu ut oculos*, etc. Effodiantur oculi. At qua figura hoc expressum, piget enarrare. Hæc riserint, qui romanos mores sapiunt. N.

40. *Quid times? paratum*, etc. Chalinus vultu et gestibus se timentem profitetur, scilicet, quid sors ferat. Sed Olympio contumeliosius illius metum per jocum interpretatur. Hic *oportet* sensu conjecturæ usurpatum, ut Pœnul. V, 2, 70: «Servom, hercle, te oportet esse et nequam et malum». N.

41. *Amabo*. Bothius scribit «ambo». N.

42. *Subspices*. Vetustissimæ edd. *suspicere*, et ita etiam in MS Camer. sed a manu secunda. TAUBM. — *Subspicare* primitivum fuit, unde postea *suspicari*. N.

43. *Tute sorti*. Tu ipsa educ sortem. Sortire, sortio, in voce activa pro sortiri dixerunt Veteres. LAMB. — *Lucrum facit*. Chalinus jocatur interpretatione ambigua hujus «me perdis». Namque perdere, amittere servum nequam lucrum est. At Olympio se perditum querebatur, quia iniquam sibi fore Cleostratam putabat. N.

44. *Benefacis*. Donatus ad Terent. Eunuch. I, 2, 106: «In consuetudinem venit *benefacis* et *benefecisti* non judicantis esse, sed gratias agentis». N.

45. *Ain' tu?* i. q. te quæso, dic mihi. Gallice, *vraîment!* Cf. Ter. Phorm. V, 7, 77. N.

46, 47. *Utinam tua quidem*, etc. Utinam tua sors delicuerit, lique-

CHAL. Tu ut liquescas, ipse actutum virgis calefactabere.
STAL. Hoc age, sis, Olympio. OLYMP. Si hic literatus me sinat.
STAL. Quod bonum atque fortunatum mihi sit. OLYMP. Ita vero, et mihi.
CHAL. Non. OLYMP. Imo, hercle. CHAL. Imo mihi, hercle. STAL. Hic vincet, tu vives miser.
Præcide os tu illi hodie : age, ecquid fit? CLEOSTR. Ne objexis manum.
OLYMP. Conpressan' palma an porrecta ferio? STAL. Age, ut vis. OLYMP. Hem tibi.

facta fuerit, sicut sortem delicuisse Herculeis prognatis ferunt. Malit Gronovius « Herculeo prognatis », scilicet Aristodemi filiis, qui e stirpe Herculea ortus erat. N. — Illam sortitionem inter Cresphontem et Aristodemi filios narrat Pausanias in Messeniacis : eum, cujus prima sors exiisset, Messenam obtenturum, convenisse; Temenum vero, qui bene vellet Cresphonti, pro sorte filiorum Aristodemi, orbiculum vel tesseram, κλῆρον appellat, ex luto sole indurato in urnam conjecisse. At Cresphontis sors erat ex terra igne cocta. Dissoluta in aqua sorte Aristodemi filiorum, prima sors exiit Cresphontis, quod necesse fuit, quum sola esset, altera utpote liquefacta ac deperdita. Quum prima autem Cresphontis educta esset, quæ Messenam illi assignabat, non opus fuit alteram extrahere, quæ nihil dabat. Ideo sic fraus tunc latuit. Eadem est sortiendi ratio, qua hic apud Plautum duo servi ancillam Casinam sortiuntur. SALM.

49. *Hoc age, sis*, te præbe attentum. Conf. Captiv. V, 1, 10. N. — *Literatus*. Literis in vultu notatum interpretor, etsi contra nitente Lambino : veræ literæ fronti inscribi solitæ, imo vultui sæpe toti. Literæ, dico, aut plura verba, quæ crimen continerent causamque notæ, puta, « cave a fure, a fugitivo ». Sæpe etiam plurium verborum fuit illa inscriptio, imo versuum. Ratio autem inscribendi ita habuit, ut primitus literæ inurerentur candenti ferro : deinde atramentum infunderetur, quo eminerent magis literæ, et præberent se lectui. LIPS. — Nævius (vel Novius) apud Priscian. V, 7, 41 : « Signare oportet frontem calida forcipe ». N.

51. CH. *Non.* — OL. *Imo hercle.* — CH. *Imo*, etc. Ut certamen sit nervosius, ita variat. ACID. — Atque ab hac mutua obscævatione pendere ait intellectum ejus dicti, quod inferius male interpretantur de pulsatione : « OL. Cur omen mihi vitup. » GRONOV.

52. *Præcide*, tu, Olympio, valide cæde os Chalino. Cf. scen. 8, vs. 6. — *Ecquid fit?* Num ergo fit, quod jubeo? LAMB. — *Objexis*, objeceris. *Ob* pro *ad* Veteres dixisse ex Festo notum. « Ne objexis manum » est « ne attigeris ». N.

53. *Conpressan'*, pugno. — *Porre-*

CLEOSTR. Quid tibi istunc tactio 'st? OLYMP. Quia Jupiter jussit meus.
CLEOSTR. Feri malam tu illi rursum. OLYMP. Perii, pugnis cædor, Jupiter.
STAL. Quid tibi tactio hunc fuit? CHAL. Quia jussit hæc Juno mea.
STAL. Patiundum 'st, siquidem me vivo mea uxor inperium exhibet.
CLEOSTR. Tam huic loqui licere oportet, quam isti. OLYMP. Cur omen mihi
Vituperat? STAL. Malo, Chaline, tibi cavendum censeo.
CHAL. Temperi, postquam obpugnatum 'st os. STAL. Age, uxor mea, nunc jam
Sorti : vos advortite animum : præbe tu. OLYMP. Ubi sim nescio.
Perii! cor lienosum, opinor, habeo, jamdudum salit:

cta, aperta et cava. — *Hem tibi*, accipe. N.

54. *Quid tibi istunc tactio 'st?* Cur eum audes percutere? De verbalibus cf. Amph. I, 3, 21.

55. *Rursum*, in vicem. N.

57. *Inperium exhibet*, exercet, palam agitat. Vid. notas Bacch. III, 3, 44. Imperium erat proprium patrisfamilias. At imperatores sæpe imperio exuti. Cf. Asin. I, 1, 74; orat. Catonis apud Liv. XXXIV, 1. N.

58. *Cur omen mihi Vituperat*, vitiat, i. e. cur male mihi ominatur. Vid. vs. 51. N. — *Omen mihi Vituperat.* Mihi religiose omen captanti vitium facit, inauspicatum aliquid objicit. Sic magistratus *vitio creatos*, aliquid *vitio factum* passim: apud Livium, apud Ciceronem, Claudium et Junium, *vitio navigasse* legimus. Sed quomodo hic fit vitium? Non pulsando conservum, ut voluit Turnebus: sed unica voce *non* versu 51, quod intellexit Acidalius. GRON.

60. *Temperi* mones. Sic fere apud Molierum servus humi lapsus, quum erudita mulier eum objurgat, quod a centro gravitatis destiterit, respondet: « *Je m'en suis aperçu, madame, étant par terre* ». Jocatur Chalinus; nam Stalino haud benevole monebat. N.

61. *Præbe tu.* Lambinus supplet « animum », i. e. esto præsenti animo, Olympio. At ellipsis dura, et oratio. Gronovius: « præbe tu sitellam ». Sed jam apposita est. Tres autem sunt, quos alloquitur. Vos, duo rivales, tu, uxor. Igitur *præbe* consequens est hujus « sorti »; scilicet, educ et exhibe sortem, uxor. N.

62. *Cor lienosum.* Lienosis familiaris est cordis palpitatio. Ergo jocatur Olympio, significans se cor ha-

De labore pectus tundit. CLEOSTR. Teneo sortem. STAL. Ecfer foras.
CHAL. Jamne mortuus? OLYMP. Ostende; mea 'st. CHAL. Mala crux ea est quidem.
CLEOSTR. Victus es, Chaline. STAL. Tum nos diu vivere, Olympio,
Gaudeo. OLYMP. Pietate factum'st mea atque majorum meum.
STAL. Intro abi, uxor, atque adorna nubtias. CLEOSTR. Faciam, ut jubes.
STAL. Scin' tu ruri esse ad villam longe, quo ducat? CLEOST. Scio. STAL. Intro abi:
Et quamquam hoc tibi 'st ægre, tamen fac adcures. CLEOSTR. Licet.
STAL. Eamus nos quoque intro, hortemur ut properent. OLYMP. Num quid moror?
STAL. Nam præsente hoc plura verba non desidero.

bere quasi morbo lienis affectum, quippe quod trepidet. LAMB.

63. *De labore*, id est, præ dolore et anxietate. LAMB. DOUZA.—Corda pavor pulsans.

64. *Jamne mortuus es?* Lacessit Olympionem. — *Mea'st. Mala crux*, etc. Quidquid vehementer oderant et damnabant, Veteres crucem malam appellavere a supplicio servili. Re simili nostrates dicerent: « *C'est le mien.* — *C'est le diable* ». N.

65. *Tum nos diu vivere... Gaudeo.* Nunc diu vivere licet et jucundum est. Hæc nempe dicit, qui, si sors fefellisset, minabatur se gladium culcitam sibi facturum. Sc. 4, v. 28. N.

66. *Atque majorum.* Ridebant Romani talis hominis pietatem, ridebant magis servuli de suis majoribus magniloquentiam. Vid. sup. v. 31. N.

68. *Scin' tu ruri*, etc. Propera, namque scis longe, i. e. longum iter esse hinc ex urbe (cf. I, 1, 10) ad villam ruri, quo ille ducat uxorem. N.

69. *Hoc tibi 'st ægre.* Cf. II, 2, 8. — *Licet.* Locutio frigide assentientis. Conf. Rud. IV, 6, tota scena. N.

70. *Hoc*, Chalino. N.

SCENA SEPTIMA.

CHALINUS.

Si nunc me suspendam, meam operam luserim,
Et præter operam restim sumtifecerim,
Et meis inimicis voluptatem creaverim.
Quid opu'st, qui sic mortuus? equidem tamen
Sorti sum victus. Casina nubet villico.
Atque id non tam ægre'st jam vicisse villicum,
Quam id expetivisse opere tam magno senem,
Ne ea mihi daretur, atque ut illi nuberet.
Ut ille trepidabat! ut festinabat miser!
Ut subsultabat, postquam vicit villicus!
Atat, concedam huc; audio aperiri foreis
Mihi benevolenteis: atque a me prodeunt.

1. *Operam luserim*, nihil proficiens perdiderim, immo et pretium restis. Terent. Phorm. II, 2, 18. N.

4. *Quid opu'st, qui sic emortuus?* Quid opus est (me suspendam), qui sic (hoc rerum statu) emortuus jam sum? — *Tamen* non adversativum, sed affirmativum, valet tandem. Cf. Pseud. IV, 7, 86. Nonius h. voc. laudat cum Plauto Pacuvium et Sallustium. Vid. Ind. Lat. Ciceron. Acidalius distinctionem proponit aliam, haud aspernandam quidem: « Quid o. e. q. s. mortuus equidem tamen? Sorti s. v. » N.

5. *Sorti* i. q. sorte, sc. deductum a *sortis*. Vid. sc. præc. 28. N.

6. *Atque id non tam ægre 'st.* Id autem, quod villicus vicerit, non tam ægre fero, quam quod senex vehementer adeo mihi adversatus fuerit. Hic dolor futuras insidias præparat. Ea est in minimis poetæ solertia. N.

9. *Ille*, Stalino. —*Trepidabat*, sc. curare sortitioni. — *Miser*, multa laborans. Cf. II, 3, 58. N.

12. *Atque a me prodeunt.* Lego: « ...fores. Mihi benevolenteis atque amici prodeunt »; εἰρωνικῶς. Nam quid illud « a me prodeunt? » an, a domo mea? quam servus nullam usquam habuit. Jam si herilem intelligeret, latine dixisset, *a nobis*. Porro, « Ab antiquis ameci et amecæ per E literam efferebantur », ait Festus. Gulielm. — Hanc lectionem probat Acidalius, recepit Bothius, ingeniosam quidem, sed ex ingenio. Si vulgatam præferas, possis intelligere ironice « benevolenteis foreis » quasi inimicæ domus, vel serio, « benevolenteis sunt, quod eum crepando monent, ut caveat

Heic ex insidiis hisce ego insidias dabo.

SCENA OCTAVA.

OLYMPIO, STALINO, CHALINUS.

OLYMP. Sine modo rus veniat, ego remittam ad te virum
Cum furca in urbem, tamquam carbonarium.
STAL. Ita fieri oportet. OLYMP. Factum et curatum dabo.
STAL. Volui Chalinum, si domi esset, mittere
Tecum opsonatum, ut etiam in mœrore insuper
Inimico nostro miseriam hanc adjungerem.
CHAL. Recessim cedam ad parietem, imitabor nepam.
Captandu'st horum clanculum sermo mihi.
Nam illorum me alter cruciat, alter macerat.
At candidatus cedit hic mastigia,
Stimulorum loculi : protollo mortem mihi.

et inimicos observet ». Etiam potuit per librarii errorem *a me* pro *ad me* scribi. N.

13. *Ex insidiis insidias*. Prior locum, posterior factum denotat. N.

1. *Veniat*. De ipso, qui ex insidiis auscultat, loquitur. N.

2. *Cum furca*. Servi carbonarii furca dorso aptata oneris portandi utebantur. Vid. Festus voc. *ærumnulæ*. Et servi nequam circumducebantur furciferi in exemplum. Hic ludit in duplici. TURN.

7. *Recessim*, nempe cedendo recessim. GRON. — *Nepam*, id est, cancrum.

9. *Cruciat* herus. — *Macerat* conservus. Ille me opprimit, huic invideo. Chalinus nondum de amore Stalinonis suspicatur, ut sequentia sunt argumento vs. 33. N.

10. *At candidatus*. Sponsi enim candidati. Infra, « Villicus hic autem cum corona, candide vestitus ». Ad morem libertorum in mutanda veste refert. Loquitur enim de Olympione, quasi jam liberto. At liberti novi in toga apparebant, id est, communi civium veste, quæ erat alba. LIPS. — *Mastigia* et *candidatus* ridicule pugnant inter se. Cf. Aul. IV, 9, 6, « qui vestitu et creta obcultant sese, atque sedent quasi sint frugi ». *Cedit* p. incedit. Conf. Aulul. III, 4, 52. — *Stimulorum loculi*, i. e. thesaurus plagarum. Nam voluisse Plautum, ut Lambinus censet, corpus servi ita variegatum virgis, ut, loculorum instar, discrimine multo signatum videretur, inducere in mentem vix possim. Bothius, *joculi*. N.

11. *Protollo*, prorogo in alium diem. Primo enim dubitaverat, an suspenderet se. Vide scen. præced. vs. 1. N.

Certum 'st, hunc Acheruntem præmittam prius.
OLYMP. Ut tibi ego inventus sum obsequens! quod maxume
Cupiebas, ejus copiam feci tibi.
Erit hodie tecum, quod amas, clam uxorem. STAL. Tace.
Ita me di bene ament, ut ego vix reprimo labra,
Ob istam rem quin te deosculer, voluptas mea.
CHAL. Quid? deosculere? quæ res est? voluptas quæ tua?
OLYMP. Ecquid amas nunc me? STAL. Imo, edepol, me, quam te, minus.
Licetne amplecti te? CHAL. Quid? amplecti? OLYMP. Licet.
STAL. Ut, quia te tango, mel mi videor lingere!
CHAL. Ecfodere, hercle, hic volt, credo, vesicam villico.
OLYMP. Ultro te, amator, apage te a dorso meo.
CHAL. Hodie, hercle, opinor, hi conturbabunt pedes:
Solet hic barbatos sane sectari senex.
Illuc est, illuc, quod hic hunc fecit villicum: et
Idem me pridem, quom ei advorsum veneram,
Facere atriensem voluerat sub janua.

12. *Acheruntem præmittam.* Homero est ἄϊδι προϊάψω. TAUBM. — *Prius*, quam me. Cf. sc. 7. N.

13. *Tibi inventus sum*, me habuisti. Sup. II, 2, 28. N.

15. *Quod amas.* Supr. prol. 57. Casinam non nominavit, et fortuito uti hac ambigua locutione videtur, qua nesciens, sed non sine lepido poetæ artificio, errorem Chalini protelaret. N.

18. *Quid? deosculere?* Vulgatæ, « quid, deosculer? » tanquam « quid loqueris: deosculer? » Sed Bothius, ratione metri et sequentis orationis « volup. quæ tua » poscente, veram lectionem restituit, quam nostram fecimus. N.

23. *Ultro*, apage, procul. Conf. Amph. I, 1, 164. N.

24. *Conturbabunt*, miscebunt. Vide, si voles, Lamb. et P. Manut. ad lib. II, epist. 1, ad Atticum. N.

26. *Illuc*, illud. — *Illuc est quod*, etc. ea causa est cur, etc. Inf. III, 2, 1. N.

27. *Idem me pridem.* Hic aliquid scabrum agnoscunt viri docti, vel dum laborant in explicando. Sed omnia erunt planiora, si legas: *Item*, id est, similiter, eadem lege atque pacto, nempe si ei morigeratus essem sub janua, me voluit atriensem facere. GRON.

28. *Facere atriensem.* Subest, credo, jocus in verbis *atriensis* et *sub janua*. I. e. ut me invenerat, ibi statim sub janua, volebat impudens, ut fierem atriensis; quo pretio? enarravit. N.

OLYMP. Ut tibi morigerus hodie? ut voluptati fui?
STAL. Ut tibi, dum vivam, bene velim plus, quam mihi!
Ut ego hodie Casinam deosculabor! ut mihi
Bona multa faciam, clam meam uxorem! CHAL. Attate,
Nunc, pol, ego demum in rectam redii semitam.
Hic ipsus Casinam deperit; habeo viros.
STAL. Jam, hercle, amplexari, jam osculari gestio.
OLYMP. Sine prius deduci : quid, malum, properas?
STAL. Amo.
OLYMP. At non opinor fieri hoc posse hodie. STAL. Potest,
Siquidem cras censes posse te mitti manu.
CHAL. Enimvero huc aureis magis sunt adhibendæ mihi.
Jam ego uno in saltu lepide apros capiam duos.
STAL. Apud hunc sodalem meum atque vicinum mihi
Locus est paratus; ei ego amorem omnem meum
Concredui; is mihi se locum dixit dare.
OLYMP. Quid ejus uxor? ubi erit? STAL. Lepide reperi.
Mea uxor vocabit huc eam ad se in nubtias,

32. *Attate.* Interjectio est, vel se ipsum, ut hic, vel alterum, ut infra non longe, increpantis. LAMB.

33. *Nunc, pol, ego demum*, etc. Tunc incipit verum intelligere, a quo deerrabat. N.

34. *Habeo viros.* Videtur proverbii habuisse speciem, dicique solitum in manifesto depreheusos. Indicio est Menippæa Varronis hoc titulo, ἔχω σε, etc. PALM.

35. *Gestio*, percupio. Amph. I, 1, 167; Asin. IV, 1, 43. N.

36. *Deduci*, idem quod nubere. Sic enim dicebatur κατ' ἐξοχὴν puella, aut mulier, quæ nubebat, et ad maritum, pueris patrimis et matrimis, id est, qui patrem et matrem haberent superstites, quinque faces præferentibus, ducebatur. Conf. Mil. III, 1, 91. Terent. Hecyr. I, 2 : « Ut ad pauca redeam, uxorem deducit domum ». Tibull. III, 4 : « Ut juveni primum virgo deducta marito ». GRON. — *Malum.* Conf. Amph. I, 1, 247. N.

40. *Uno in saltu. Saltum* vocat, quod Horat. Od. III, 12, *fruticetum.* Græc. σταθμὸν, cubile et lustrum ferarum. SCAL.

42. *Ei amorem... Concredui.* Eodem exemplo, Mercat. II, 2, III, 1 et 3, senex amator senem adjutorem optat sibi, et hospitem stupri et opsonatorem clandestinum. N.

43. *Dare* p. daturum. Amph. I, 1, 54.

44. *Ubi erit?* quid fiet de illa? Cf. Bacch. II, 3, 12. N.

45. *Vocabit.* Vocari proprie in hac re. Gallice *inviter.* Inde *vocatio*, *invitation.* Catull. XLVII, « Quærunt in triviis vocationes ». N.

Ut heic sit secum, se adjuvet, secum cubet.
Ego jussi, et dixit se facturam uxor mea.
Illa heic cubabit : vir aberit, faxo, domo.
Tu rus uxorem duces : id rus hoc erit
Tantisper, dum ego cum Casina faciam nuptias.
Hinc tu ante lucem rus cras duces postea.
Satin'astute? OLYMP. Docte. CHAL. Age modo, fabricamini.
Malo, hercle, vostro tam vorsuti vivitis.
STAL. Scin, quid nunc facias? OLYMP. Loquere. STAL. Tene marsupium.
Abi, atque opsona, propera : sed lepide volo,
Molliculas escas, ut ipsa mollicula'st. OLYMP. Licet.
STAL. Emito sepiolas, lepadas, loligunculas,
Hordeias. CHAL. Imo triticeas, si sapis.

48. *Illa*, uxor Alcesimi. — *Heic*, domi nostræ. LAMB. — *Vir*, Alcesimus. N.

49. *Hoc erit*. Alcesimi domum gestu demonstrat. N.

55. *Opsona*, *propera*. Vulgatæ : « opsonia propera ». Sed nostram tuentur quoque MSS, et magis cohæret cum sequentibus.—*Sed lepide volo*, scil. te opsonare. — *Lepide*, delicate. — *Molliculas*, etc. Id est, tenellas; hoc refer ad verbum intellectum *opsonare*, quod est comparare ad opsonium. N.

57. *Sepiolas*. Perite senex cibos nominat conducentes eis qui Veneris sacra bene obire cupiunt : nam ut Oribasius, Ægineta, aliique medicorum docent, mollis carnis pisces ac testacea omnia, inter ἀφροδισιαστικὰ maximas vires habent. Antiquis enim persuasum, marina omnia salaciora esse, ob Venerem mari ortam : unde etiam astrologi libidini fore deditos præsagiunt, quibus in horoscopo pisces. LUD. NOPIUS. — Rudent. III, 2.—*Lepas*, Λεπὰς, concha marina petris ita firmiter adhærens, ut inde vix divelli possit. Hinc εἰκόνα Aristoph. sumpsit Pluto, ubi anum adolescenti tamquam λεπάδα petræ adhærere ait. RITTERSH. — *Loligunculas*. Sic cum Bothio et multis MSS scribo. Vulgatæ « loligiunculas », minus pro ratione ejus generis nomina deformandi. N.

58. *Hordeias*. Hoc nomen Turnebus putat adjectivum nominis « loligunculas » ; tamquam Olympio rusticus, qui frugibus nihil pulchrius censeat, loligunculas hordeias pro pulchris, inepte dicat et putide. Sed nimium putide quidem. Malo cum Lambino nomen alius piscium generis hic deprehendere; quod naturale magis, et sequentibus magis consentaneum. Invenio apud Isid. Orig. IV, 8, excrescens aliquid in palpebris vocari hordeolum, quia hordei granum similet; potuerit igitur ab eadem similitu-

STAL. Soleas. CHAL. Quî, quæso, potius, quam sculponeas,
Quibus batuatur tibi os, senex nequissume?
OLYMP. Vin' lingulacas? STAL. Quid opu'st, quando uxor domi'st?
Ea lingulaca est nobis; nam nunquam tacet.
OLYMP. In re præsenti, ex copia piscaria
Consulere quid emam [oportet]. STAL. Æquom oras, abi.
Argento parci nolo; opsonato ampliter.
Nam mihi vicino hoc etiam convento'st opus,
Ut, quod mandavi, curet. OLYMP. Jamne abeo? STAL. Volo.
(egrediuntur Stalino et Olympio.)
CHAL. Tribus non conduci possim libertatibus,
Quin ego illis hodie conparem magnum malum,
Quinque hanc omnem rem meæ heræ jam faciam palam:

dine parvum aliquod conchulæ genus denominari. — *Imo triticeas.* In ambiguitate vocis *hordeias* ludit Chalinus, et comminiscitur novum genus animalis et nomen novum *triticeias*. N.

59. *Soleas.* Nova materies joci ex ancipiti. Nam solea est piscis, idemque nomen calceamenti, quo quidem mulierculæ aliquando amasios male mulctabant. « Solea, puer, objurgabere rubra », Pers. Sat. V, 169, et Terent. Eunuch. V, 7, 4: « commitigari sandalio caput ». — *Quî*, cur. N. — *Sculponeas*, rude et rusticum calceorum servilium genus, quorum Cato meminit R. R. cap. 59. DOUZA.

60. *Batuatur.* Lexic. Latinogræc. *batuit*, i. e. κατακόπτει, concidit, contundit. Vide Victorium, Var. lib. XI, cap. 8. GRON. — *Batuatur tibi os* idem quod Terent. « sandalio caput comm. » N.

61. *Lingulacas?* Iterum locus ex ambiguo. Festus: « Lingulaca, genus piscis, vel mulier argutatrix ». Nonius: « Lingulacæ, locutuleiæ; a procacitate linguæ ». *Lingulacæ* apud Plin. pisces, quos lingua Belgica *tongas* appellant, a linguæ scilicet forma, vel potius a lingola gladioli genere. GRON.

63. *In re præsenti.* Quum in macellum venero, ibi, ipsa re præsenti, oblata ante oculos, judicabo quid emere debeam e copia piscaria. N.

64. *Oportet.* Hoc verbum vulgatis abest. Taubm. ex Pal. sexto adduxit. Alii libri *potero* secunda manu, vel *licebit* extra lineam. — *Æquom oras*, recte dicis. Antiquis *orare* i. q. loqui. Conf. Mostell. III, 1, 152. N.

66. *Nam*, ibi disjunctiva, i. e. autem. Cf. II, 2, 9, et Aulul. III, 5, 15, 60. — *Convento*, i. e. convenire vicinum, participium pro infinit. usitatum. Amph. II, 2, 159; Terent. Phorm. V, 8, 14. N.

68. *Tribus non conduci*, etc. Tales asseverandi formulas vide in Asin. V, 2, 36; Bacch. V, 2, 65. N.

Manifesto teneo in noxa inimicos meos.
Sed si nunc facere volt hera opficium suum,
Nostra omnis lis est : pulchre prævortar viros;
Nostro omine it dies; jam victi vicimus.
Ibo intro, ut id, quod alius condivit cocus,
Ego nunc vicissim ut alio pacto condiam;
Quidquid paratum 'st, ut paratum ne siet,
Sietque ei paratum, quod paratum non erat.

73. *Nostra omnis lis*, i. e. lis adjudicata nobis est, vicimus. Long. — *Prævortar viros*, i. e. opprimam et consilia conturbabo. N.

74. *Nostro omine*, id est, auspicato feliciterque. Omen est nostrum et auspicium, non adversariorum. Turn. lib. VII, 12. — *Jam victi vicimus*, victi sortitione; vid. sc. 6, nunc vicimus. N.

75. *Alius condivit cocus*. Allegoria, ubi quis rem omnem novat et perturbat. Erasm.

75, 76. *Ut id... ut alio*, etc. De pleonasmo particulæ *ut* cf. Bacch. IV, 6, 10. N.

77. *Quidquid paratum 'st*. Sic editi omnes. Sed MSS Parei et omnes nostri, « Quo id quod ». Scripsit Plautus : « Quoi quod paratum' st, ut paratum ne siet. Sitque ei paratum, quoi paratum non erat ». Ego, inquit, hoc aliter condiam, ut quod paratum est, ne sit paratum, cui erat paratum, nempe seni et Olympioni, et sit ei paratum, cui non erat paratum, nempe mihi et herili filio. Gron.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

STALINO, ALCESIMUS.

STAL. Nunc amici, anne inimici sis imago, Alcesime,
Mihi sciam; nunc specimen specitur, nunc certamen cernitur.
Curam me exime castigare, id ponito ad conpendium.
Cano capite! ætate aliena! coaddito ad conpendium.
Quoi sit uxor! id quoque illuc ponito ad conpendium.
ALC. Miseriorem ego ex amore, quam te, vidi neminem.
STAL. Fac vacent ædeis. ALC. Quin, edepol, servos, ancillas domo
Certum 'st omneis mittere ad te. STAL. Eho, nimium scite scitus es.

2. *Nunc specimen specitur.* Δεῖγμα δείκνυται, nunc spectaberis, quali sis in me animo. Turn. — *Cernitur,* pugnatur. Senec. epist. 58: « Quædam simplicia erant in usu, sicut cernere ferro inter se dicebant. Hoc Virgilius probabit. Quod nunc decernere dicimus ». Conf. Bacch. III, 2, 15. N.

3. *Curam me exime castigare*, i. e. ne labores me corrigere. Vulgatæ: « Cur autem! exime, etc. » commode parum. Camerar. « Curam erue, exime ». Gulielmus legendum putabat « Curam eximere, castigare, id, etc. » Sic enarrans: « quod curam hanc et amorem verbis eximere mihi, quod me castigare fortassis cogitas, supersede opera tua ». Noster MS, quem vidit Camerarius, dat « Curam eme, curam exime, etc. » Unde Scaliger, « Cur amem! exime, etc. », nos nostram lectionem. N.

4, 5. *Cano capite! ætate aliena!* etc. Etiam illa omitte (coaddito ad compendium) quæ dici solent senibus lascivis, sc. « Cano capite! ætate aliena! » Omitte etiam id illud: « Tune, cui uxor? » Talia enim audit Demipho Merc. II, 2, 19-45. N.

6. *Miseriorem*, magis perditum. Sup. II, 3, 58. N.

8. *Nimium*, valde. Tritum magis,

Sed facitodum memineris versus, quos cantat Colax : cibo
Cum suo, quiqui facito uti veniant, quasi eant Sutrium.
ALC. Meminero. STAL. Hem, nunc enim te demum nullum scitum scitiu'st.
Cura, ego ad forum modo ibo : jam heic ero. ALC. Bene ambula.
STAL. Fac habeant linguam tuæ ædeis. ALC. Quid ita? STAL. Quom veniam, vocent.
ALC. Attate, cædundus tu homo es : nimias delicias facis.
STAL. Quid me amare refert, nisi sim doctus et dicax nimis?
Sed tu cave inquisitioni mihi sis. ALCES. Usque adero domi. (abeunt.)

quam ut afferam exempla.—*Scitus*, comis, lepidus. Ne quære ironiam in « nimium scite ». N.

9. *Facitodum* abundat, ut alias « faciam, faxo », et similia. — *Memineris versus*, etc. Memineris versus, quos Colax Nævianus cantat. Cantabat autem hoc *Colax* ille Nævii (scripsit enim Nævius fabulam hoc nomine), « Uti quique cum suo cibo, etc. » LAMB. — *Quos cantat Colax*. Hunc locum et apud Fest. et in MSS depravatum eruditi miris modis torquent, ut quod scriptura deficit, ingenio suppleant. Quorum conjecturas si recensere velis, adi Taubmannum et Both. Colacem et Plautus scripserat : « Colacem esse Nævi et Plauti veterem fabulam », Terent. Eun. prol. 25. N.

10. *Quasi eant Sutrium*, etc. Festus : « Sutrium quasi eant, utique in proverbium abiit hac de causa : gallico tumultu a Camillo quondam edictum est, legiones Sutrii ut præsto essent cum cibo suo. Quod usurpari cœptum est in iis, qui suis rebus opibusque officii quid præstarent, quibus deberent ». LAMB.

11. *Hem, nunc enim*, en igitur, scilicet. — *Te demum nullum*, etc. Jocus in paronomasia nominis *scitum*, et adjectivi *scitius*, similium quidem sono, at sensu longe differentium. Item Pseudol. II, 4, 58 : « PS. Ecquis is homo scitu 'st? CH. Plebiscitum non est scitius ». DOUZ.

12. *Bene ambula*. Conf. Captiv. II, 3, 92. N.

13. *Quom veniam, vocent*. Ultro pateant, et me videantur invitare. I. e. ne habeam necesse pultare.

14. *Cædundus*. Spurce ambiguum verbum, quo et *verberandus* significatur, et aliud quid simile illi argutiæ, quæ verbo *divides* inest Aul. II, 4, 4. Illud *cædundus* ad hoc pertinet : *delicias facis*, quod est et ingeniose cavillari, et delicate, muliebriter se gerere. Cf. Mostell. IV, 2, 32. N.

15. *Quid me amare*, etc. Scilicet amor apud veteres comicos semper proterve dicax, quippe qui flagrans libidine, inter pocula et in lustris agitaret. Sic Asin. III, 1, 8, « dicacula es amatrix... res monet ». N.

16. *Inquisitioni sis*, ne sis quærendus mihi. Captiv. II, 2, 3. N.

SCENA SECUNDA.

CLEOSTRATA, ALCESIMUS.

CLEOSTR. Ut properarem arcessere hanc ad me vicinam meam, hoc erat,
Ecastor, id, quod me vir tanto opere orabat meus:
Liberæ ædeis ut sibi essent, Casinam quo deduceret.
Nunc adeo nequaquam arcessam, ne qua ingnavissumis
Liberi loci potestas sit vetulis vervecibus.
Sed eccum egreditur senati columen, præsidium popli,
Meus vicinus, meo viro qui liberum præbet locum.
Non, ecastor, vilis emptu'st, modius quî venit salis.

1, 2. *Hoc erat*, *Ecastor, id*, etc. *Hoc id* pleonasmus, ut *id illuc* sc. præced. vs. 5. Cleostrata rescivit, Chalino monente, viri consilium. Ordo est : Hoc erat (ob) quod me orabat, ut arcesserem. Sup. sc. 8, vs. 26. Ter. Adelph. III, 2, 1. N.

4. *Ingnavissumis.* Vid. II, 3, 28. N.

5. *Liberi loci.* Hac locutione et vs. 7 non vacans tantum significatur locus, sed inest etiam notio aliqua turpitudinis quæ húc pararetur, haud abhorrens ab illo Artemonæ « liberis lustris studet », Asin. V, 2, 17. N. — *Vetulis vervecibus.* Sic Mercat. III, 3, 6, in senem exoletum : « Itane vero, vervex, intro eas? » Gron.

6. *Senati columen.* Vid. Epid. III, 2, 5; Asin. V, 2, 21. Mirum, quod senes comicos ob stoliditatem aut libidines traductos senatoribus adnumerari æediles curules permiserint. N.

8. *Non*, *ecastor*, *vilis*, etc. Hunc versum docti scriptura vexant et interpretatione distrahunt. Aliis sententia est : « Non vili pretio sal venditur; curnam? quia hi duo senes non micam habent salis, scil. plane insulsi ». Alii, quibus magis assentimur, explicant : « Ecastor, hic non vilis (non modico pretio), emptus sit, quî, i. e. quo (pretio) modius salis vænit ». Si modio salis ille væniret, nimio carior adhuc esset homo nihili. Gruterus pro *qui* ponit *si.* Douza et Gronovius *modio* pro *modius*, et *qui* in recto casu. Gronovius, « non vilis emptus est », interpretatur ironice, scilic. « Magni pretii virum ! quippini ? qui totus quantus modio salis væneat ». Douza eadem fere, qua nos, sententia, nisi in verbo *venit :* « non vilis emptus est modio salis, qui advenit ». Sed oratio, qualem composuimus, concinnitate magis ad parœmiæ figuram facit, et repetitione verborum « emptu'st, qui vænit », mori Plautino magis congruit. N.

ALC. Miror huc jam non arcessi in proxumum uxorem meam,
Quæ jamdudum, si arcessatur, ornata exspectat domi.
Sed eccam, opinor, arcessit : salve, Cleostrata. CLEOSTR. Et tu, Alcesime.
Ubi tua uxor? ALC. Intus illa te, si se arcessas, manet:
Nam tuus vir me oravit, ut eam istuc ad te adjutum mitterem.
Vin' vocem? CLEOSTR. Sine : nolo, si obcupata 'st. ALC. Otium 'st.
CLEOSTR. Nil moror; molesta ei esse nolo : post convenero.
ALC. Non ornatis isteic apud vos nubtias? CLEOSTR. Orno et paro.
ALC. Non ergo opu'st adjutrice? CLEOSTR. Satis domi 'st. Ubi nubtiæ
Fuerint, tum istam convenibo : nunc valé, atque istam jube.
ALC. (hæc secum ille) Quid ego nunc faciam? flagitium maxumum feci miser,
Propter operam illius hirci inprobi edentuli,
Qui hoc mihi contraxit : operam uxoris polliceor foras,
Quasi catillatum : flagitium hominis, qui dixit mihi

11. *Eccam*, ecce Cleostrata venit arcessitura. N.

12. *Ubi tua uxor?* i. e. quid agit? quo statu est? de hominibus quærunt ubi sint; de rebus, quo loco? Cf. sup. II, 8, 44.—*Te... manet*, exspectat. Cf. Ter. Phorm. III, 1, 16, « mansurus patruum pater est ». N.

14. *Sine* illam. Bothius præcedenti versu, qui nimius est, delevit *eam*, et huic, qui deficit, addidit *illam*, quod sensus requirit. N.

15. *Nil moror*, non cupio eam me adjutum venire. Vid. vs. 23. Cf. Bacch. I, 2, 45. N.

18. *Atque istam jube*, sc. valere, meis verbis. GRON.

19. *Flagitium feci*, feci nunc rem, unde in me redundet opprobrium, scilicet contumelia repulsæ. Hoc interpretantur seqq. vss. 21-23. Qui autem flagitium explicant facinus turpe, nempe obsequium erga senem nequam, frustra sunt. N.

21. *Polliceor foras*, i. e. polliceor foras ituram adjutricem. Hujus verbi *ire* vim, quæ latet in voce *foras*, trahit supinum *catillatum* in vs. seq. N.

22. *Quasi catillatum*, i. e. quasi

Suam uxorem hanc arcessituram : ea se eam negat morarier.
Atque, edepol, mirum, ni subolet jam hoc huic vicinæ meæ.
Verum autem, altrovorsum quom eam mecum rationem puto,
Si quid ejus esset, esset mecum postulatio.
Ibo intro, ut subducam navim rursum in pulvinarium. (abit.)
CLEOSTR. Jam hic est lepide ludificatus : miseri ut festinant senes!
Nunc ego illum nihili, decrepitum, meum virum, veniat, velim,
Ut eum ludificem vicissim, postquam hunc delusi alterum.
Nam ego aliquid contrahere cupio litigi inter eos duos.
Sed eccum incedit : at, quom adspicias tristem, frugi censeas.

ad catillandum, seu liguriendi gratia operam suam potissimum elocantis, etc. Fulgentius : « Catillare, est per alienas domos ligurire : tractum a catulis, quod per omnes domos circumeant ». Douza. — In etymo τοῦ *catillare* fallitur Fulgentius : potius est a *catillus*, diminutivo τοῦ *catinus :* et proprie significat catillos aut patinas extergere, quod est gulonum in cibis delicatis. *Catillones* dicimus lingua vernacula *pannelecker*. Gronov. * — *Flagitium hominis*, i. e. flagitiosus homo. Item « scelus viri ». Cf. II, 1, 8. N.

23. *Hanc* i. q. meam.—*Arcessituram*. Vulgatæ addunt *esse*, inconcinno metro et oratione minus elegante. Illud ex sequentibus *ea se* per incuriam librariorum excreverit. N.

26. *Si quid ejus esset*, quod dico. Si hoc suboluisset illi.—*Postulatio*, jurgium. Cf. Bacch. III, 3, 45. N.

27. *Rursum* contrarium est τῷ *prorsum*. Jam prorsus ibat navis, rursum, retro, subducetur. N. — *Pulvinarium*. Cleostrata, cui suboluerat senum conspiratio, negavit se opera uti velle uxoris Alcesimi. Quo audito Alcesimus domum redit, ut uxori nuntiet. Et quia parata erat ad exeundum, ideo dicit Alcesimus : « Ibo intro, ut subducam navim rursum in pulvinarium »; ut navem, quæ jam vela erat datura, rursum in pulvinarium subducam. Pulvini autem erant robora, in quibus substratis subductæ naves, a terrena labe suspensæ, quiescebant. Vides, quam bene navalia dicantur « pulvinaria ». Gron.

28. *Nunc ego.....virum, veniat, velim*. Hellenismus pro « nunc velim vir veniat ». Inf. sc. 6, vs. 18; Bacch. III, 6, 26. N.

32. *Tristem*. Tristis in bonam par-

SCENA TERTIA.

STALINO, CLEOSTRATA.

STAL. Stultitia magna'st, mea quidem sententia,
Hominem amatorem ullum ad forum procedere
In eum diem, quî, quod amet, in mundo siet,
Sicut ego feci stultus : contrivi diem,
Dum adsto advocatus quoidam cognato meo :
Quem, hercle, ego litem adeo perdidisse gaudeo,
Ne me nequidquam sibi hodie advocaverit.
Rogitare prius oportet et contarier,
Adsitne animus ei, nec ne adsit, quem advocet.
Si neget adesse, exanimatum amittat domum.
Sed uxorem ante ædeis eccam : hei misero mihi!
Metuo, ne non sit surda, atque hæc audiverit.
CLEOSTR. (seorsum.) Audivi, ecastor, cum malo magno tuo.
STAL. Adcedam propius : quid agis, mea festivitas?

tem sæpe; gravis ore. Sic Aurelianus de Zenobia, « quam tristis, ubi severitas poscat », epist. apud Trebell. Poll. Sic Terentius Plauto simillimus, « quum faciem videas, videtur esse quantivis pretii ; Tristis severitas inest in voltu », Andr. V, 2, 16. Quis non memoriter meminit tale quid depromptum ex Euripidæo Hippolyto in poetæ nostratis celeberrimi tragœdia? N.

1. *Stultitia magna 'st*, etc. Sic queritur Menæchmus, IV, 2, ejusque parasitus ibid. III, 1. LAMB.

3. *Quî*, i. e. quo, antiquus auferendi casus. Conf. Asin. II, 2, 17; Bacch. II, 3, 101. — *In mundo*, paratum. Cf. Asin. II, 1, 16. N.

6. *Adeo*, igitur, ideo. N.

7. *Ne me nequidquam*, ironice quidem. Sic me non frustra vocaverit. Gall. *ce ne sera pas pour rien*. N.

8. *Contarier*. Sic Bothius restituit auctoritate MSStorum. Vulgatæ *percontarier* longiore versu. Hic Ciceronem citabo, « quum de me contaretur », ad Att. X, 10. Sententia generalis profertur subaudito nomine, *aliquem*, unde pendent verba *rogitare*, *contarier*. N.

9. *Adsitne animus*, etc. Amatoris enim animus ibi est, ubi est, quod amat. N.

10. *Exanimatum*, animi sui non compotem. — *Amittat*, sinat abire. Cf. Bacch. IV, 9, 40. N.

14. *Quid agis?* Sup. II, 6, 6. N.

CLEOSTR. Te, ecastor, præstolabar. STAL. Jamne ornata
res est?
Jamne hanc traduxti huc ad nos vicinam tuam,
Quæ te adjutaret? CLEOST. Arcessivi, ut jusseras.
Verum hic sodalis tuus, amicus optumus,
Nescio quid se subflavit uxori suæ.
Negavit posse, quando arcesso, mittere.
STAL. Vitium tibi istuc maxumum'st, blanda es parum.
CLEOSTR. Non matronarum partûm'st, sed meretricium,
Viris alienis, mi vir, subblandirier.
I tu, atque arcesse illam: ego intus, quod facto'st opus,
Volo adcurare, mi vir. STAL. Propera ergo. CL. Licet.
Jam, pol, ego huic aliquem in pectus injiciam metum:
Miserrumum hodie ego hunc habebo amasium.

19. *Subflavit.* Nescio qua causa iratus est. Conf. Bacch. IV, 2, 21. Supra, II, 5, 18: « Nunc in fermento tota est: ita turget mihi ». Hoc agit vafra, quod scen. præc. vs. 31, minata est. N.

20. *Arcesso* p. arcessivi. Amph. II, 2, 36. N.

22. *Partûm* pro partium. Id est, non est in partibus, in officio matronarum. Hoc sensu *partis* reperias Mercat. II, 2, 5. Vulgatæ: « Non matr. est officium, s. m. », metro fœde corrupto. Nostram lectionem Bothio debemus, qui quum scripti fere omnes dent « Non mat. parum est officium, s. m. », paucis absit *officium*, vidit scribarum vitio huc irrepsisse *parum* pro partum, et e glossemate *officium*. Si quis autem *partum* p. partium haud latine dici existimet, appellabo Sosip. Charisium, ed. Putsch. pag. 114, qui profert Cæsaris « harum partum », et Ennii « quatuor partum ». N.

25. *Mi vir.* Sub hac insolita comitate derisionis aliquid et malitiæ senex, nisi vecors adeo, suspicetur. — *Licet*, annuentis locutio. Sup. II, 6, 69. N.

26. *Jam, pol, ego huic aliquem*, etc. Postquam inter duos senes litigii causas sevit astuta, etiam aliam nunc animo machinatur machinam; quam quidem magnas turbas daturam exspectamus: ea est mulieris cognita calliditas. N.

27. *Amasium.* Non dicit *amatorem*, sed *amasium*, quasi formosum puerum. LAMB.

SCENA QUARTA.

ALCESIMUS, STALINO.

ALC. Viso huc, amator si a foro rediit domum,
Qui me atque uxorem ludificatu'st, larva.
Sed eccum ante ædeis : ad te, hercle, ibam conmodum.
STAL. Atque ego, hercle, ad te. Quid ais, vir minumi preti?
Quid tibi mandavi? quid tecum oravi? ALC. Quid est?
STAL. Ut bene vacivas ædeis fecisti mihi!
Ut traduxisti huc ad nos uxorem tuam!
Satin' propter te pereo ego atque obcasio?
ALC. Quin tu suspendis te? nempe tute dixeras,
Tuam arcessituram esse uxorem meam.
STAL. Ergo arcessivisse ait sese, et dixisse te,
Eam non missurum. ALC. Quin, ea ipsa ultro mihi
Negavit ejus operam se morarier.

2. *Larva*, i. e. larvatus. Gallice, *ce vieux fou*. Et Merc. V, 4, 20, in amatorem edentulum hoc convicium jacitur. Substantivum pro adjectivo positum, ut apud Nostrum et alios solet. Catull. XVII, *stupor* p. stupidus, id. XLII, « lutum, lupanar » p. sordida et infamis. Terent. Eun. II, 3, 10, *senium* p. senem. Id. Heaut. V, 4, 10, *fraus* p. fraudulentus. Phorm. II, 3, 26, *carcer* p. carcere dignus. Alio sensu fertur larva in Amph. suppositis, « larva umbratilis », quasi larva ex umbra mortui. Gallice, *un fantôme*. Sed ita *larva* definitur apposito *umbratilis*. N.

3. *Conmodum*, hoc eodem tempore, opportune. Gall. *justement*. Conf. Amph. II, 2, 37; Mercat. I, 3, 106; Terent. Eunuch. II, 3, 51, IV, 3, 49; Phorm. IV, 3, 9. N.

4. *Quid ais?* Conf. Asin. II, 2, 104; Aulul. IV, 9, 7. N.

5. *Tecum oravi*. Sup. II, 5, 16. N.

8. *Satin'*, indignantis, quasi affirmando diceret : « omnino perii ». Conf. Amph. II, 2, 1; Capt. III, 4, 120. N.

9. *Quin tu suspendis te*, i. q. i in malam crucem. Conf. Capt. III, 4, 103. N.

10. *Tuam*, etc. Fore ut tua meam uxorem arc. LAMB.

12. *Quin*, imo, hic adversativum, inservit refellendo vehementer. Illo *quin* crebrius iterato hoc versu et seqq. graphice exprimitur iratorum serramque inter se ducentium affectus. GRON. — Eadem vis in verbo *profecto*, Amph. I, 1, 214-216. N.

13. *Negavit ejus operam se morar*. Cf. sup. sc. 2, vv. 15, 23. N.

STAL. Quin, ea ipsa me adlegavit, qui istam arcesserem.
ALC. Quin, nihili facio. STAL. Quin, me perdis. ALC. Quin, bene 'st.
Quin, etiam diu morabor, quin, cupio tibi
Quin, aliquid ægre facere, quin faciam lubens.
Nunquam tibi hodie «quin» erit plus, quam mihi.
Quin, hercle, di te perdant postremo quidem.
STAL. Quid nunc? missurusne es ad me uxorem tuam?
ALC. Ducas, easque in maxumam malam crucem,
Cumque hac, cumque istac, cumque amica etiam tua.
Abi, et aliud cura : ego jam per hortum jussero
Meam istuc transire uxorem ad uxorem tuam. (abit.)
STAL. Nunc tu mi amicus es in germanum modum.
Qua ego hunc amorem mi esse avi dicam datum?
Aut quid ego unquam erga Venerem inique fecerim,
Quoi sic tot amanti mi obviam eveniant moræ?
Atate, quid illuc clamoris, obsecro, in nostra domo 'st?

14. *Adlegavit.* Sup. prol. 52. N.

15. *Nihili facio* allegatum et allegatorem. — *Quin bene 'st.* Id est, gratulor et volupe est mihi; subaudi, te mea opera (ut prædicas) disperire. GRON.

16. *Morabor,* cessabo, quin operam dem tibi, quam a me speras. N.

18. *Nunquam tibi hodie «quin»*, etc. non tibi cedam, reponendo istud *quin*. N.

21. *Ducas.* Credo senem, ut alios comicos, non sedulum conjugis laudatorem, neque illius amantissimum, ludere in verbo ancipiti *ducere.* Tanquam : Potes illam abducere in tuas ædes, ut postulas, etiamque, si velis, nuptum ducere tibi; et cum ternione mulierum ire in perniciem. Gallice ita luderetur locutione hac : *Prends-la*. N.

22. *Istac*, tua. N.

23. *Aliud cura.* De hoc nihil cura; faciam. Formula pollicentis aliquid paratum fore. Cf. Asin. I, 1, 94. N.

25. *In germanum modum*, vere. N.

26. *Avi dicam.* MSS et vett. edd. *aut dicam.* Unde Ritthershusius *autumem*. Sed deerat cui applicaretur τὸ *Qua.* Rectius ergo, quod editum est. *Qua avi*, pro, quo omine. Item Horat. «mala ducis avi domum». SCIOPPIUS. — *Avi sinistra* Epidic. II, 2, 2. — *Dicam*, supervacaneum. Ita Asin. III, 2, 41; Aulul. IV, 10, 74. N.

27. *Erga Venerem inique fecerim.* Sic Terentianus amans, in re infelici, se invenustum appellat, And. I, 5, 10. N.

SCENA QUINTA.

PARDALISCA, STALINO.

PARD. Nulla sum, nulla sum! tota, tota obcidi! cor metu mortuum 'st!
Membra miseræ tremunt! nescio unde auxili, præsidi,
Perfugi mi, aut opum copiam conparem, aut expetam.
Tanta factis modo mira veris modis intus vidi,
Novam atque integram audaciam: cave tibi, Cleostrata, abscede
Ab ista, obsecro, ne quid in te mali faxit ira percita.
Eripite isti gladium, quæ sui est inpos animi.
STAL. Nam quid est, quod hæc huc timida atque exanimata exsiluit foras?

* Hujus scenæ commentum nostrati poetæ, ingeniosissimo quidem et lepidissimo, exemplum feliciter inventum est, quum fabulam festivitate omni et salibus conditam perficeret, cui titulus: *amatoriæ insaniæ*. Cujus etiamsi ancillula *Lisette* facetam dicacitatem promptet egregie, tamen haud facile Pardaliscam hilaritate et nequitia vicerit. N.

1. *Nulla sum*, etc. Tres primi versus sunt cretici, quibus in re trepida, aut alioqui celeritatem aliquam exprimente, utimur. LAMB. — Parem tumultum, sed non ficto pavore, Bromia concitat Amph. V, 1. N.

3. *Conparem, aut expetam*, inveniam, aut quæram. N.

4. *Tanta factis modo mira*. Leg. *factu*: loquendi modo protrito, *mira factu*: vel certe, *facta*: ut Amph. V, 1. Ita « tanta mira in ædibus sunt facta ». *Tanta* autem *mira facta*, utrobique dixit, vel pro *tam mira*, vel pro *tot mira facta*. Sicut Bacchid. « Sexcenta tanta reddam ». SCIOPP. — Nil equidem mutandum videtur, et sic habebit sensus: Adeo stupenda fieri vidi vere, non vana imagine decepta. Namque « mira factis » i. q. « mira facto ». Plurali in vicem singularis numeri subeunte nil usitatius apud nostrum, sic « mira sunt » pro mirum est, « facta volo » pro factum. Mira autem facto i. q. mira facta. Pardaliscæ vero oratio turbulenta et conflictu verborum confragosa fertur exquisito artificio. N.

5. *Integram*. Novam et a nullo alio antea susceptam. LAMB. — Nondum ulla parte fractam, i. e. etiamnum toto ardore flagrantem. BOXHORN. — Integram intelligo, cui nihil desit, ergo plenam, solidam, ingentem. N.

8. *Timida*. Servius ad illud Virg. Eclog. VI, « timidisque supervenit

Pardalisca. PARD. Perii! Unde meæ usurpant aureis sonitum?

STAL. Respice modo ad me. PARD. Here mi. STAL. Quid tibi'st?

Quid timida es? PARD. Perii!

STAL. Quid, peristi? PARD. Perii, et tu peristi. STAL. Aperi, quid tibi? PARD. Væ tibi.

STAL. Imo istuc tibi sit. PARD. Ne cadam, amabo, tene me. STAL. Quidquid est,

Eloquere mihi cito. PARD. Contine pectus, face ventulum, amabo,

Pallio. STAL. Timeo hoc negotium, quid est, nisi hæc meraclo

Se uspiam percussit flore Libyco. PARD. Obtine aureis, amabo.

Ægle », notat *timidis* pro *timentibus*. GRON. — Donat. ad Ter. Hec. III, 3, 5, *timidus* pro *timens*, nomen loco participii. N.

9. *Unde meæ*, etc. Jocatio in ipso verborum circuitu. N.

12. *Perii. Peristi, perii. Peristi. Aperi.* Hic, ut sæpe, Plautus delectatur paronomasia. — *Væ tibi!* Ea vox non tantum imprecatur malum, sed et denuntiat aliquando, vel acceptum queritur. Cf. Trucul. II, 5, 21, « væ misero mihi! » Donatus ad Terent. And. II, 1, 2: « *Væ* interjectio in iis quæ exsecramur ». Ita duplici sensu gallice dicitur: *Malheur. à vous! à moi!* prout subauditur affirmandi vel optandi modus. N.

13. *Imo istuc* væ *tibi sit.* Infausta quidem, non minantia, verba regerit in dicentem. N.

14. *Contine pectus*, mihi pectus manu fulcire velis.—*Ventulum*, venti paululum. Cf. Curc. II, 3, 36. N.

15. *Meraclo* valet *meraculo*, i. e. aliquantulum meraco.

16. *Flore Libyco.* Flos Libycus vinum est Mareoticum, literarum monumentis non incelebre. TURN. — Sed non compertum mihi satis est, an Romæ jam tum in honore Mareoticum fuerit. Huc enim non advocandi Virgilius et Horatius. Florem vero Liberi nominant Plaut. Cistell. I, 2, 8, et Andronicus Pacuvius Peribœa, et Ennius Alcestide, « Hæc anus nimirum se sauciavit flore liberi ». Fortasse in MSS ex compendio *lib.* errans grammatistæ eruditio *libici* intruserit. N.—*Obtine aureis.* Aures mihi ex adversa parte tene, ne cadam scil. LAMB. — Obtinebant aures etiam ii, qui prehensis auriculis osculabantur. Cf. Asin. III, 1, 78. Ridicula, credo, metonymia *aures* dictas pro capite, i. e. sustine caput deficientis. N.

STAL. I in malam crucem; pectus, aureis, caput, teque di perduint.
Nam nisi ex te scio, quidquid hoc sit, cito, jam tibi istuc
Cerebrum dispercutiam, excetra tu, ludibrio, pessuma, adhuc
Quæ me habuisti. PARD. Here mi. STAL. Quid vis, mea ancilla? PARD. Nimium sævis.
STAL. Numero dicis. Sed hoc quidquid est, loquere, in pauca refer.
Quid intus tumulti fuit? PARD. Scibis: audi malum pessumum,
Quod heic modo intus apud nos tua ancilla hoc pacto exordiri
Cœpit, quod haud Atticam condecet disciplinam. STAL. Quid est id?
PARD. Timor præpedit dicta linguæ. STAL. Quid est? possum scire ego istuc
Ex te, quid negoti 'st? PARD. Dicam: tua ancilla, quam tuo
Villico vis dare uxorem, ea intus... STAL. Quid intus? quid est?

17. *Pectus; aureis, caput, teque di perduint.* Probabilius habeat oratio, si scribatur: « I in malam crucem, et pectus, aureis, caput (scilic. tecum eant); teque di perduint ». Eadem figura sup. III, 4, 8: « Pereo ego atque obcasio » (perit). N.

19. *Excetra.* Non dubito, quin Plautus scripserit « excetra tu », id est, tu vipera; maledicto, mehercle, convenienti in malas illas merces, *mulieres.* Ita Liv. l. XXXVIII: « Illius excetræ delinimentis et venenis imbutum, nec parentis, nec vitrici, nec deorum verecundiam habere ». Ita filii amasiam mater vocat. Ita D. Hieronymus « Hiberam excetram » obtrectatorem virulentum vocavit. LIPS. — *Adhuc*, hucusque. N.

21. *Numero dicis*, nimis cito dicis me sævire. Mox in te vere sæviam, nisi perspicue loquaris. Sic *numero* Festus explicat hunc locum proferens. LAMB.

22. *Tumulti* antique ut *senati.* — *Scibis*, scies. N.

27. *Ea intus.* Protrahit de industria orationem verbis ambiguis senem deludens, qui *intus* non vero sensu, i. e. *domi* accipit, sed eo, quo et apud Horatium reperias « intus et in cute ». Inde ridicula et non nihil spurcidi subolens interpellatio. N.

PARD. Imitatur malarum malam disciplinam, viro suo quæ interminatur vitam....
STAL. Quid ergo? PARD. Ah! STAL. Quid est? PARD. Interimere ait velle
Vitam. Gladium.... STAL. Hem! PARD. Gladium.... STAL. Quid eum gladium? PARD. Habet. STAL. Hei misero mihi!
Cur eum habet? PARD. Insectatur omneis domi per ædeis, nec quemquam
Prope ad se sinit adire : ita omneis sub arcis, sub lectis
Latenteis metu mussitant. STAL. Obcidi atque interii! quid illi
Objectum 'st mali tam repente? PARD. Insanit. STAL. Scelestissumum
Me esse credo. PARD. Imo, si scias dicta, quæ dixit hodie. STAL. Istuc
Expeto scire, quid dixit? PARD. Audi : per omneis deos et deas
Dejuravit, obcisurum eum hac nocte, quicum cubaret.
STAL. Me obcidet? PARD. An quidpiam ad te adtinet? STAL. Vah! PARD. Quid cum ea negoti

28. *Interm. vitam.* Pendet adhuc abrupta oratio, quam facile suppleas «fore ut interimat», vel priusquam vs. sequentem legeris. N.

30. *Gladium. Hem!* etc. Bothius sequitur Acidalium, sic emendantem : « P. Gladium. ST. Hem! gladium! quid enim gladium? » lectio quidem elegans. N.

33. *Mussitant*, silent latentes. N.

34. *Scelestissumum.* Aliter, atque dicit hoc de se, forsan spectantes intelligunt : et quidem dignus est. Cf. Asin. V, 2, 6. N.

35. *Objectum 'st*, allatum est. Sic Amphitr. II, 1, 58: « huic homini nescio quid est mali mala objectum manu». LAMB.

37. *Dejuravit*, i. e. sancte juravit. LAMB. — *Obcisurum eum.* A. Gell. I, 7, docet *occisurum* non esse hic participium, sed verbum indefinitum, neque numeris, neque generibus præserviens, sed undique liberum et impromiscuum. Sic Cic. Verr. V : « hanc sibi rem sperant præsidio futurum »; non *futuram*. Profert et hunc Plauti locum. Cf. prol. 21. LAMB.

38. *Me obcidet!* O ridiculam et vere comicam vocem, consciæ menti primo pavore expressam. N.

Tibi 'st? STAL. Peccavi; illuc dicere villicum volebam. PARD. Sciens
De via in semitam degredere. STAL. Numquid mihi minatur?
PARD. Tibi infesta soli 'st plus, quam quoiquam. STAL. Quamobrem? PARD. Quia se des
Uxorem Olympioni; neque se tuam, nec se suam,
Neque viri vitam sinet in crastinum protolli : id huc missa sum,
Tibi ut dicerem, ab ea ut caveas tibi. STAL. Perii, hercle, miser!
Neque est, neque fuit me senex quisquam amator adæque miser.

39. *Illuc.* Volebam dicere illud, sc. villicum. Nisi fuerit « illoc », i. e. illo, quod dicebam. N.

39, 40. *Sciens d. v. i. s. d.* i. e. sciens, haud temere, non imprudens te impedis, peccas, de via lata in semitam angustam degrediens. LAMB. — Lambinum fere omnes sequuntur. Sed invenio in vett. edd. et nonnullis codicibus « regredere », quod aliam verborum « semita, viam » interpretationem trahit. Nam utrinque in viis erant *semitæ*, qua ambulantes, ut plaustris et aliis impedimentis locum darent, frequentius itabant, quam medio itinere; cf. Curcul. II, 3, 8. Itaque intelligo : « *Sciens*, conscius tibi quid agas, *de via* media, in quam deerraveras minus tutam, jam nunc redis *in semitam* tutiorem ». N.

41. *Quia se des*, i. e. Casina dicit se tibi infestam, quia des se villico. Subjunctivum *des* obliqua oratione trahitur. N.

43. *Vitam sinet in crastinum.* Lipsius *sinere :* sed optimus Camerarianus « vitam sin crastinum ». Hinc pepererunt librarii vulgares, « sinet in ». Sed in ipso codice nota erat τὸ *S* supervacuum esse. Scribe igitur « Neque viri vitam in crastinum protolli ». Per ἀποσιώπησιν lucrifacit τὸ *passuram*. Quod mihi satis commodum videtur. GRON. — Lambinus, « Neque tuam, nec suam... sinet protolli ». Lipsianæ lectioni, credo, acquiescendum *sinere*, quippe quæ orationem obliquam continuet. Namque Lambin. nodum secat paulo audacius, vixque Gronovii arduam in hoc eruditionem sequar, qui, quum Camerariano codice dari « vitam sin crastinum », hinc librarios vulgares peperisse « sinet in » existimat, et verbum *sinet* expungit, subaudito *passuram*. Sed alii scripti reclamant, licet vulgarium manu. — *Id*, propter id. Conf. Amphitr. III, 2, 28. N.

45. *Me... adæque miser.* In omni comparatione intelligitur *præ*. Illud est, cur poeta *me* subjungit adverbio *æque*. Cf. Amph. I, 1, 137. N.

PARD. (ad spectatores.) Ludo ego hunc facete : nam quæ facta dixi, omnia huic
Falsa dixi; hera atque hæc dolum ex proxumo hunc protulerunt;
Ego hunc missa sum ludere. STAL. Heus, Pardalisca. PARD. Quid est? STAL. Est... PARD. Quid?
STAL. Est, quod volo exquirere a te. PARD. Moram obfers mihi. STAL. At tu mihi
Obfers mœrorem : sed etiamne habet et nunc Casina
Gladium? PARD. Habet, sed duos. STAL. Quid duos? PARD. Altero te obcisurum ait,
Altero villicum hodie. STAL. Obcisissumus sum omnium, qui vivont.
Loricam induam mihi, optumum esse opinor. Quid uxor
Mea? non adiit, atque ademit? PARD. Nemo audet prope adcedere.
STAL. Exoret. PARD. Orat : negat ponere alio modo ullo profecto,
Ni se sciat villico non datum iri. STAL. Atque ingratiis, quia
Non volt, nubet hodie. Nam cur non ego id perpetrem, quod cœpi,

46. *Ludo e. h. f. nam quæ facta,* etc. Hic vestigia ruris apparent, quo non sordebat poetæ ingenium, quippe musa græca enutritum, sed quod spectantium animos adhuc tardabat. Multum aberat, ut talia extra actionem comicam illos tum offenderent. Vide quæ ad Amphitr. III, 1, 1 adnotavimus. N.

47. *Hæc ex proxumo.* Notetur sermo comicus « hæc ex proxumo », id est, Murrhina vicina : ita fine fab. « Casina filia hujus e proxumo ». LAMB.

49. *Moram obfers.* Me moraris festinantem ad heram reverti. N.

52. *Obcisissumus.* Alludit simul et ad minas Casinæ et ad solitas exprimendi doloris et metus locutiones : « perii, occidi, occisus sum ». Poeta fingit ridicule superlativum « obcisissumus », ut Menæchm. IV, 3, 24, « nunc ego sum exclusissumus ». N.

54. *Non adiit atque ademit?* Sibi loricam induet; at queritur, quod uxor non ultro adierit gladio armatam, timidus æque ac impurus senex. N.

56. *Ingratiis*, invite. N.

Ut nubat mihi? illud quidem volebam, non, sed nostro villico.

PARD. Sæpicule peccas. STAL. Timor præpedit verba: verum,

Obsecro, dic me uxorem orare, ut exoret illam, gladium

Ut ponat, et redire me intro ut liceat. PARD. Nuntiabo.

STAL. Et tu orato. PARD. Et ego orabo. STAL. At blande orato, ut soles: sed audin',

Si ecfexis, soleas tibi dabo, et anulum in digito

Aureum, et bona plurima. PARD. Operam dabo. STAL. Face ut inpetres.

PARD. Eo nunc jam, nisi quidpiam remorare me. STAL. Abi, et cura.

PARD. (ad spectatores.) Redit eccum tandem opsonatu ejus adjutor: pompam ducit.

SCENA SEXTA.

OLYMPIO, COCUS, STALINO.

OLYMP. Vide, fur, ut senteis sub signis ducas. COC. Qui vero sunt senteis?

57. *Illud quidem volebam.* Debuerat dicere *nolebam;* sed præ immoderata libidine fortasse sciens peccat, et dicit *volebam:* mox tamen se ipse reprehendens, « Non, inquit, mihi volebam dicere, sed villico ». Tale fere est illud Ciceronis pro M. Cœlio: « nisi intercederent mihi inimicitiæ cum istius mulieris viro; fratre volui dicere: semper hic erro ». LAMB.

63. *Soleas tibi dabo, et anulum,* etc. Non temere hoc ancillæ pollicetur: nam ingenuarum dumtaxat erant soleæ et anuli isti: servi ancillæque sculponeas accipiebant, et pro anulis aureis ferreos. De sculponeis clarum ex Catone de R. R. cap. 59, ubi, quæ et quoties familiæ vestimenta procuranda sint, tradit: « Sculponeas bonas alternis annis dare oportet ». De anulis notissimum est, et habere quidem aureos in peculio suo illis licebat, non vero gestare. Inde ait, « se in digito daturum ». MEURS.

66. *Pompam.* Pompa de coquis et instrumento culinario; cf. Bacch. I, 2, 6, LAMB.

1. *Vide,* cura. — *Senteis,* tuos sentibus similes.—*Sub signis ducas.* Ordine contineas, ne passim va-

OLYMP. Quia, quod tetigere, inlico rapiunt : si eas ereptum, inlico scindunt.
Ita quoquo adveniunt, ubi ubi sunt, duplici damno dominos multant.
COC. Eia. OLYMP. Atat : cesso magnifice, patriceque, amiceque ita hero
Meo ire advorsum? STAL. Bone vir, salve. OLYMP. Fateor. STAL. Quid fit? OLYMP. Tu amas,
Ego esurio et sitio! STAL. Lepide excuratus incessisti.
OLYMP. Haha hodie! STAL. Mane vero, quamquam fastidis. OL. Ei, ei : fœtet
Tuus mihi sermo. STAL. Quæ res? OLYMP. Hæc res. STAL. Etiamne adstas? OLYMP. Enim vero

gentur. Metaphora militaris ridicule furum manipulo apposita. Varro dixit « milites culinæ ». Olympio autem furem appellat eorum ducem; quippe sic audiebant hujusmodi homines. Cf. Aulul. II, 7, 3-8. N.

2. *Si eas ereptum*. Si quis velit recipere, quod rapuerunt, statim illud scindunt. — *Scindunt* ambiguum, de sentibus i. q. lacerare, et de coquis i. q. cædere cultellis eos, qui recipere furta satagunt. N.

3. *Duplici damno*, rapiendo et lacerando. DOUZA. — Duplex est damnum, eo quod rapiunt obvia, et quod discindunt famulos ejus, qui ipsos conduxit. — *Dominos* domuum quo veniunt. N.

4. *Eia*, ironice admirantis. N. — *Cesso... ire*, i. q. quid ire moror? Formula festinantium. N.—*Patrice*, idem quod *patricie*, id est, patriciorum et nobilium in morem. TURNEB. — *Amiceque*. Douza *amiciri atque*, ut sit : Volo magnifico amictu splendere nunc, atque ita h. m. etc. *Amice* commodum videtur; namque cum tali pompa, ut magnifice, sic amice, benigne obviam ibit domino, etc. N.

5. *Fateor* me bonum virum. — *Quid fit?* Compellatio coeuntium. Cf. Bacch. IV, 6, 6. N.

6. *Excuratus*. Non ad cutis curationem, uti Lambinus vult, qua prorsus expers erat Olympio; verum ad obsonium, cum quo ipsum nimis lepide excuratum incedere, gratulatur sibi nequam senex. DOUZA. — At et latinitati et huic orationi magis conveniens videtur, si nomen « excuratus » cultum corporis ostendit; Douzam Plautus ipse redarguit IV, 1, 9 et seq. N.

7, 8. *Haha hodie!* Douza pro *hodie* rescribit *odio es*, non alienum quidem a poetæ sententia, sed quod scripti non ferant. Credo *hodie* hic vel abundare, ut sæpe in sermone comico (vid. vs. 11), vel esse pro *nunc*, et *haha* expromere tædium, quod Stalino propius accedat et forsan impuris blanditiis

Πράγματά μοι παρέχεις. STAL. Dabo μέγα κακὸν, ut ego opinor,
Nisi resistis. OLYMP. Ὦ Ζεῦ! potin' a me abeas, nisi me vis vomere
Hodie? STAL. Mane. OLYMP. Quid est? quis hic homo 'st? STAL. Herus sum. OLYMP. Qui herus?
STAL. Quojus tu servos es. OLYMP. Servos ego? STAL. Atque meus. OLYMP. Non sum ego liber?
Memento, memento! STAL. Mane, atque adsta. OLYMP. Omitte : servos sum tuus.
STAL. Optume'st. Obsecro, Olympisce mi, mi pater, mi patrone.
OLYMP. Hem! sapis sane. STAL. Tuus sum equidem. OLYMP. Quid mihi servo opu'st tam nequam?

gaudium significet. Vox *ha* est reclamantis : « ha ! Hegio, nunquam istuc dixis », Capt. I, 2, 45; « ha! Stasime, nimium sæviter », Trin. IV, 3, 53. Alii malunt *Vaha*. — *Fœtet tuus mihi sermo*. Verba tua, quæ cum halitu ad me feruntur, fœtent. Asin. V, 2, 44, « an fœtet anima uxoris? » — *Quæ res?* quid est? — *Hæc res*, hoc est. Respondet nil respondens, et pergit recedere. N.

8. *Etiamne adstas?* i. e. vin' adstare? te consistere jubeo. Conjunctio *etiam* figura interrogandi sensum habet vehementer imperantis. Conf. Asin. I, 1, 95, III, 3, 124; Bacch. V, 2, 48. N.

9. Πράγματά μοι. Hoc passim in ore hominibus superbis, et reliquos fastidientibus fuit. Is. Casaub. — Gall. *vous m'ennuyez*. N. — *Dabo* μέγα κακὸν, i. e. imo, non solum tædium, πράγματα, sed malum tibi dabo. Quid sit malum, cf. Amph. prol. 31. — Ὦ Ζεῦ! proh Jupiter! Cf. Merc. V, 2, 24. N.

10. *Resistis*, restas, manes. Ter. And. II, 2, 7 : « Dave, ades, resiste ». Gron. — *Nisi me vis vomere*. His adrisisse romanos rerum dominos gentemque togatam! Vide, si decorum scenæ romanæ noscere velis, similia apud Statium Cæcilium in Plocio, quem Menandro comparat Gellius, II, 23. N.

11. *Quis hic homo 'st?* Exclamatio ægre ferentis herile imperium et superbe detrectantis. Gallice, *quel homme!* Huic illud simile : « quid est hominis! » Amph. II, 1, 26. N.

13. *Memento, memento!* monentis et minantis. Lamb. — Gall. *prenez garde*. — *Mane, atque adsta*. Remissius quidem Stalino nunc loquitur. Jam non « etiamne adstas? ni resistis ». — *Omitte*, me sine. — *Servos sum tuus*. Recentiores hæc dant Stalinoni; quæ melius Olympionis ironice minitantis adferuntur, quin etiam MSS adstipulantibus. N.

14. *Optume 'st*. Locutio concedentis, et finem jurgio facientis. Gall. *voilà qui est bien*. N.

STAL. Quid nunc? quam mox recreas me? OLYMP. Cœna modo si sit cocta.
STAL. Intro ergo abeant. OLYMP. Propere, cito introite, et cito deproperate.
STAL. Ego jam intus ero: facite cœnam mihi, ut ebria sit.
Cœnare lepide nitideque volo; nihil moror barbarico ritu
[Vivere. Quin] etiam i, sis: ego heic habito. OLYMP. Num quidem 'st
Certum, quod moræ sit?... STAL. [Gladium
Ancilla] Casinam intus habere ait, quì me atque te invitet.
OLYMP. Scio: sic sine habere; nugas agunt; gnovi ego illas malas merceis.
Quin, tu i modo mecum domum. STAL. At, pol, malum metuo. I tu modo,

17. *Quam mox recreas me?* quin, me recreare festina, qui pæne mortuus sum, videlicet, quia nondum Casina potior. LAMB. — *Cœna modo si sit cocta.* At servus procax aliud intelligere se simulat. Modo cœna sit cocta, te recreabo. Alii, sed falso, volunt *cœna* imperativi esse figuram. LAMB. — *Abeant* cocorum pompa. N.

18. *Facite cœnam*, etc. Hellenismus. Conf. Bacch. III, 6, 26. — *Ebria.* Opipara, quæ faciat convivas « saturitate ebrios », ut loquitur prudens aliquis hujus rei æstimator Capt. I, 1, 35. N.

19. *Nihil moror*, nolo, fastidio. — *Barbarico ritu.* More frugi Romanorum. Rursus contra, qui luxuriose convivantur, eos *græcari* aut *pergræcari* poeta canit. Conf. Bacch. II, 7, 15. Hæc quidem palliatis decora parum, sed accepta spectantibus. Hoc loco aspernatione turpissimi hominis haud minus facete Romani laudantur, quam apud nostratem poetam Ludovicus XIV luxuriei insectatione. N.

20-22. *Vivere*, etc. Vulgata: « barbarico ritu esse jam ». Mera Camerarii conjectura. Namque scripti dant: « barbarico ritu..... ne etiam ». Restituimus ex nostro codice « num quidem 'st c. q. s. m. », quæ Olympioni, ratione diverbii poscente, reddidimus. « Gladium ancilla » uncis inclusimus utpote inserta ex ingenio editorum, neque in MSS comparentia. — *Habito*, maneo, resisto. Conjicit Pistorius « haud bito », i. e. non eo. — *Quì*, quo, sup. III, 3, 3; Amph. I, 1, 263. — *Invitet.* Dissaldæus *evitet*, i. e. interimat. Siquidem Ennius Androm. « Priamo vi vitam evitari ». Forsan eumdem verbo *invitari* sensum Plautus adjecerit, *in* privandi vim tum habente. N.

23. *Malas merceis.* Conf. quæ adnotavimus sup. II, 3, 12. N.

23. *Nugas agunt*, frustra fingunt fallacias. N.

Perspicito prius, quid intus agatur. OLYMP. Tam mihi mea vita, quam tua
Tibi cara'st. STAL. Verum i modo. OLYMP. Si tu jubes, inibitur tecum.

26. *Verum i modo.* Proba Lambini conjectura. Omnes impressi et scripti « verum modo ». N.

26. *Si tu jubes,* etc. Cavillatio detrectantis herile imperium, quo jubetur præire solus. N.



ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

PARDALISCA.

Nec, pol, ego Nemeæ credo, neque ego Olympiæ,
Neque usquam ludos tam festivos fieri,
Quam heic intus fiunt ludificabileis
Seni nostro et nostro Olympioni villico.
Omneis festinant intus totis ædibus;
Senex in culina clamat, hortatur cocos:
«Quin agitis hodie? quin datis, si quid datis?
Properate; cœnam jam esse coctam oportuit.»
Villicus heic autem cum corona, candide
Vestitus, laute exornatusque ambulat.
Illæ autem in cubiculo armigerum ornant [mulieres],
Quem dent pro Casina nubtum nostro [villico].
Sed nimium lepide dissimulant [gamelium]

1. *Nemeæ*, urbis in Argolide. — *Olympiæ*, in Elide. Ambæ ludis celebratissimæ. N.

3. *Ludi ludificabileis*. Et ad deridendum et ad oblectandum idonei. Ambigua jocatur ludorum significatione; namque longe aliud est ludos edi publicos, aliud ludos fieri alicui. Vid. vv. 14-18, ludi qui fiant. N.

7. *Quin datis, si quid datis?* Ergo date cœnam, si dare vultis hodie. Inf. IV, 4, 10. N.

9. *Corona*, ornatu cœnantium. Conf. Bacch. I, 1, 37; Menæch. III, 1, 16. Etiam sponsi coronabantur. — *Candide vestitus*, candidati sponsi. Conf. II, 8, 6. — *Laute exornatusque*. Both. « laute exornatus ». Malim « candide Vestitus, lauteque exornatus ». N.

11, 12. [*Mulieres*] [*villico*]. Camerariana supplementa horum vss. recepimus, sed uncis discreta. N.

13. *Sed nimium lepide dissim. nimium*, ut vs. 15 *nimis*, i. q. valde. In

Fore hujus, quod futurum'st : digne autem coci
Nimis lepide ei rei dant operam, ne cœnet senex.
Aulas pervortunt, ignem restinguont aqua.
Illarum oratu faciunt : illæ autem senem
Extrudere cupiunt incœnem ex ædibus,
Ut ipsæ solæ ventreis distendant suos.
Gnovi ego illas ambas estrices; corbitam cibi
Comesse possunt. Sed aperitur ostium.

SCENA SECUNDA.

STALINO, PARDALISCA.

(ad uxorem intus.)
STAL. Si sapitis, uxor, vos tamen cœnabitis,
Cœna ubi erit cocta : ego ruri cœnavero.
Nam novom maritum et novam nubtam volo
Rus prosequi, gnovi hominum mores maleficos,
Ne quis eam abripiat : facite vostro animo volup.

vulgatis post secundum dipodion versus deficit, cui « gamelium » festum nuptiale, intra uncinos addidimus, quo non Plautinum opus supplere, sed ostendere voluimus, quid relinquatur desiderandum, et sequentis versus sententiam explanare, quem, quum illud desit, eruditi torquent, non explicant. Supple si velis « convivium », aut aliud quid simile. N.

16. *Aulas pervortunt.* Ollas dejiciunt, percellunt. LAMB.

18. *Incœnem.* Camerarius et Lambinus emendant *incœnatum*, quos refutant glossæ Isidori hoc ipsum laudantes. Et periret jocus Plautinus, paronomasia « senem incœnem ». Jam tum literam *c* molliter incepisse nonnumquam pronuntiari hæc probant et illa Amphitr. I, 1, 228, « socium Sosiam ». N.

20. *Gnovi ego illas*, etc. Bothius scribit metro consulens : « Novi illas; ambo estrices, etc. » — *Ambo*, omnis generis apud antiquos. N. — *Corbitam cibi*, id est, onerariam cibo refertam : ut Cicero navem auri et paleæ dixit. TURN. — Sic « cadus vini » Amph. I, 1, 273. N. — *Estrices*, gulosas, ut « tonsor, tonstrix, plausor, plaustrix », sic « esor, estrix ». Cf. Nonius, II, 631. Bacch. V, 2, 47. N.

1. *Si sapitis*, tu et Myrrhina. L. — *Tamen* licet absim. Vid. sup. I, 1, 7. Gall. *toujours*. N.

4. *Gnovi hominum*, etc. Sæpe queruntur aut metuunt protervæ juventutis violentos mores apud comicos. Cf. Amph. I, 1, 2. N.

5. *Ne quis eam abripiat.* Hoc pen-

Sed properate istum atque istam actutum emittere,
Tandem ut veniamus luci : ego cras heic ero.
Cras habuero, uxor, ego tamen convivium.
PARD. (ad spectatores.) Fit, quod futurum dixi : incœnatum senem
Foras extrudunt mulieres. STAL. Quid tu heic agis?
PARD. Ego eo, quo me ipsa misit. STAL. Veron'? PARD. Serio.
STAL. Quid heic speculare? PARD. Nihil equidem speculor.
STAL. Abi.
Tu heic cunctas, intus alii festinant. PARD. Eo.
STAL. Abi hinc, sis, ergo, pessumarum pessuma.
Jamne abiit illæc? dicere heic quidvis licet.
Qui amat, tamen, hercle, si esurit, nullum esurit.
Sed eccum progreditur cum corona et lampade
Meus socerus, conpar, conmaritus villicus.

det ab oratione « rus volo prosequi ». — *Fac. v. a. volup*, genio indulgete. Cf. Asin. epil. 1. N.

7. *Veniamus*, ad villam perveniamus. — *Luci*, i. e. ante vesperam, ut tempori, mani, adverbialiter dictum; cf. Amph. I, 1, 11; Aulul. IV, 10, 18. N.

8. *Ego tamen*. Etiamsi celebraritis hodie convivium, tamen cras ego quoque instaurabo. N.

11. *Ipsa misit*. Αὐτὸς et ἐκεῖνος sunt voces servorum, quas honoris causa propriorum nominum loco usurpabant. Sic apud Latinos *ipse*. Plaut. Casin. « eo, quo me ipsa misit ». *Ipsa*, id est, hera mea. Terent. Hecyr. « sed Pamphilum ipsum video stare ante ædes » : ubi Donatus, « *Ipsum*, a quo missus sum; vel dominum : αὐτόν. Erat et discipulorum vox, quum de præceptore loquerentur, unde illud, Αὐτὸς ἔφα ». CASAUB.

15. *Dicere h. q. licet*. Licet soli nunc libere loqui. N.

16. *Tamen si*, etiamsi. N.—*Nullum esurit*. Douza legit *nullus*. Sed *nullum* constanter habent veteres libri : quæ vox corrupta est per scripturæ compendium ex *ne hilum*. Sic enim rescribendum puto. Sententia est : Qui amat, quamlibet esuriat, non tamen esurit. Amans enim videre quod amat, amplecti, osculari, alloqui, pro cibo habet. BOXHORN. — Non video quidquam ibi mutandum. *Nullum* enim i. q. nihil, non solum apud Plautum. Cf. Horat. Art. Poet. « nullius avaris »; id. Epist. I, 17, « nullius egentem ». Tacit. Ann. III, 15, « nullo magis exterritus est ». N.

18. *Socerus*, quippe qui mihi sponsam conciliabit. Id probabile, licet Lipsius existimet scriptum fuisse « meus socienus » antique pro socius, ut Amph. I, 1; Aul. IV, 4. N.

SCENA TERTIA.

OLYMPIO, STALINO.

OLYMP. Age, tibicen, dum illam educunt huc novam nubtam foras,
Suavi cantu concelebra omnem hanc plateam hymenæo.
Io hymen hymenæe! io hymen! STAL. Quid agis, mea salus?
OLYMP. Esurio, hercle, atque adeo haud sitio. STAL. At ego amo. OLYMP. At ego, hercle,
Nihil facio tibi, amor, pericli; mihi inanitate
Jamdudum intestina murmurant. STAL. Nam quid illæc nunc
Tamdiu intus remoratur, quasi ob industriam? quanto ego
Plus propero, tanto illa minus. OLYMP. Quid, si etiam obfundam hymenæum?

1. *Age, tibicen.* Cave credas tum e domo Stalinonis cum Olympione prodire quemdam tibicinem. Illum vero Olympio alloquitur, qui semper adstabat in proscenio, ut cantica et diverbia modis temperaret: tanquam in nostratibus theatris actor a scena choragum musicum compellaret. Aliquid simile fit in Pseudolo, I, 5, 160. N.

2. *Concelebra omnem hanc plateam hymenæo.* Imple hanc plateam carmine nuptiali. Sic Turpilius Pedio « age tu hymenæum increpa ». N.

3. *Io hymen hymenæe!* Nempe hæc verba solennia. Conf. Catull. Epith. Manlii. — *Quid agis?* Sup. II, 3, 13. — *Mea salus:* Cf. Bacch. IV, 8, 38; Asin. III, 3, 66. N.

4. *Atque adeo haud sitio.* Mire industriam doctt. virr. hic locus exercuit. Salmasius, cui Bothius adstipulatur, nihil censet mutandum, et enarrat Olympionem tantum esurire, ut ipsi sitire non vacet. Sed alii, quum lectionem esse non integram suspicentur, supplent « haud parum sitio », vel corrigunt « avide sitio ». In quorum sententias pedibus eo. Grouovii conjecturam taceo, parum gravissimo viro dignam. N.

5. *Nihil facio tibi, amor,* etc. I. e. At ego hercle, o amor, vim tuam non experior. Ratio est, quia jejunus sum: et sine Cerere et Baccho frigent Venus et Cupido. LAMB.

6. *Nam quid,* quidnam. Anastrophe. Festus: « Remeligines a morando. Plautus in Patina (leg. *Casina*): nam quid illæc tamdiu intus remorantur remeligines ». Quæ vox nusquam in Plauti codicibus reperitur. N.

8. *Obfundam hymenæum.* Male vulgatæ *occentem*. Omnes scripti,

STAL. Censeo. Et ego te adjutabo in nubtiis conmunibus.
OLYMP. (ambo canunt.) Hymen hymenæe! io hymen! STAL. Perii, hercle, ego miser; dirumpi
Cantando Hymenæum licet; illo morbo, quo dirumpi cupio,
Non est copia. OLYMP. Edepol, næ tu, si esses equos, esses indomabilis.
STAL. Quo argumento? OLYMP. Nimis tenax es.
STAL. Num me expertus uspiam? OLYMP. Di melius faciant.
Sed crepuit ostium, exitur foras.
STAL. Di, hercle, me cupiunt servatum: jam oboluit Casina procul.

et quidam olim editi, *obfendam*, quod frustra conantur explicare: legendum enim cum Salmasio ad Pallium Tertulliani *obfundam*. Hoc enim verbo de cantu plurimi utuntur. Ovidius epist. Medeæ: « Tibiaque offundit socialia carmina vobis ». Cic. Tuscul. I, 44: « Non intelligo, quid metuat, qui tam bonos septenarios fundat ad tibiam ». Lib. II: « Latera, fauces, linguam, e quibus elici vocem et fundi videmus ». Lucret. IV: « dulcesque querelas Tibia quas fundit, digitis pulsata canentis ». Seneca Agamem. « Sacrifica dulces tibia effundat modos ». Vetus epigram. de tibicine: «Tibicen diffundit carmina dulcis». GRONOV.

10. *Miser*, laborans conatu maximo. Sup. II, 7, 9. Sic *misere*, magnopere, Bacch. II, 2, 30. — *Dirumpi*. Sententia hæc: Copia est, ut me rumpam cantando hymenæum; at morbo illo, quo cupio, me dirumpam non copia est: morbum vocat amoris vehementissimi voluptatem. Jocus inest ex ambiguo in verbo *dirumpi*, nam dirumpi dicuntur, et nimio clamore ægri (Captiv. prol. 14), et venereo certamine defatigati. LAMB. — Vulgatæ: « dirupi cantando hymenæum: licet, etc. » Male. Lambinus restituit locum. Bothii MSSti et noster tuentur. N.

13. *Tenax es*. Lambino « tendax es » videtur legendum: ut eum intelligamus equum, qui nimia et nimis crebra tentigine concitatus frenum mordet, et calcari non patet: a *tendendo* sic appellatum, ut et *tentigo*. Cui apte senem hinnibundum comparat villicus. Douza contra *tenax* retinendum censet, eodem significatu. *Tenere* enim et *tendere* eodem sensu priscis illis accepta. GRON.

15. *Crepuit ostium*. Conf. Aulul. IV, 5, 5. N.

16. *Oboluit Casina*. Sup. II, 3, 57; Amph. I, 1, 165. N.

SCENA QUARTA.

ANCILLÆ DUÆ, OLYMPIO, STALINO.

ANC. Sensim super adtolle limen pedes, nova nubta: sospes
Iter incipe hoc, ut viro tuo semper sis superstes, atque
Ut potior pollentia sis, vincasque virum, victrixque sies,
Superetque tuum imperium; vir te vestiat, tu virum despolies.
Noctuque et diu ut viro subdola sies, obsecro, memento.
OLYMP. Malo maxumo suo, hercle, inlico, ubi tantulum peccassit.

1. *Sensim super adtolle*. Luculente expressit Plautus noster morem veterum Romanorum, in novis nuptis domum mariti introducendis; quas limen pedibus tangere nefas. Huc pertinet illud Catull. Epith. Manl. « Transfer omine cum bono, Limen aureolos pedes ». Et illud Ovidii: « limen transire memento Cautius, atque alte sobria ferre pedem », Am. I, 12, 5. L. — *S. iter*. Nam non salva uxor, si limen offendat.

2. *Iter incipe hoc*. Ita Catullus l. c. « prodeas nova nupta ». N. — *Superstes*, antique, i. q. præsens ἐπιστάς. Testatur Festus Plautum laudans in Artemone: « nunc mihi licet quidvis loqui, nemo hic adest superstes ». Sed poeta ludit etymologiæ figura « super, stare », et præparat sequentia. N.

4. *Superetque tuum imperium*. Imperiosa illum superes, cui lege imperium sit oporteat. Sup. II, 6, 57; Asin. I, 1, 74. Hujusmodi morem perversum poeta ridiculo tangit, quem Cato truculenter insectatur apud T. Liv. XXXIV, 2: « Si in sua quisque nostrum matrefamilias, Quirites, jus et majestatem viri retinere instituisset, minus cum universis feminis negotii haberemus. Nunc victa domi libertas nostra impotentia muliebri, hic quoque in foro obteritur et calcatur ». Catullus inter utrumque medius, nec derisor, nec objurgator, sed hymenæi vates grandiloquus: « En tibi domus est patens, Et beata viri tui, Quæ tibi, sine, serviet ». — *Vir te vestiat*. Hæc vir uxori debuit: « te auratam et vestitam bene habet: ancillas, penum, recte præhibet », Menæch. V, 2, 50. — *Virum despolies*. Sup. II, 2, 28. N.

5. *Ut viro subdola*. Venustas omnis latet in pronuntiatione, qua dubium esse poterat, an dicerent ancillæ, « ut vero subdola sies »; an vero, « ut viro sedula sies ». Vix enim inter pronuntiandum *subdola* et *sedula* discernuntur. Et ita jocos captasse Plautum alibi quoque observare est. GRON. — Specimen cernitur procacis illius Fescenninæ locutionis, quam Catullus loc. cit. v. 126 seqq. Senec. Medea, 113, memorant. N.

6. *Malo maxumo suo*. Supple *faciet*, forma solennis minitandi. N.

STAL. Tace. OLYMP. Non taceo. STAL. Quæ res? OLYMP. Malæ malæ male monstrant.
STAL. Perii! istæ facient hanc rem mihi ex parata inparatam.
Id quærunt; volunt, hæc ut infecta faciant. ANC. Age, Olympio,
Quando vis, uxorem adcipe hanc a nobis. OLYMP. Date ergo, daturæ
Si unquam estis hodie uxorem. STAL. Abite intro. ANC. Amabo, integræ atque
Inperitæ huic inpercito. OLYMP. Futurum 'st : Valete. STAL. Ite.
ANC. Jam valete. STAL. Jamne abscessit uxor? OLYMP. Domi 'st, ne time. STAL. Evax!
Nunc, pol, demum ego sum liber : meum corculum! melculum!
Verculum! OLYMP. Heus tu : malo, si sapis, cavebis : mea 'st hæc. STAL. Scio.
Sed meus fructus est prior. OLYMP. Tene hanc lampadem. STAL. Imo ego illam tenebo.

7. *Quæ res?* quamobrem non taceas? LAMB. — Sup. III, 6, 8. — *Malæ malæ*, i. e. mulieri malæ, mulieres malæ. Vulgatæ : « mala malæ » nostra ex Bothio magis Plautina. Plautus quidem implicatæ orationi nonnunquam indulget; præterea « mala monstrare » haud latine sapit. N.

10. *Date ergo...Si*, etc. Sup. IV, 1, 7. N.

11. *Integræ.* Puellulæ floridulæ, timidulæ, scil. Chalino. N.

12. *Inpercito.* Parcito venerei conflictus imperitæ. Nam hoc primum et ultimum est, quod virginem accipientibus dici solet etiam hodie; clementer ut habeatur integra et imperita. GRUT.

13. ST. *Jamne abscessit uxor?* OL. *Domi 'st.* Sic MSS et vett. libb. Sed recentiores : « ST. Jamne abscessit (sc. ancilla)? OL. Uxor domi 'st ». Veterem, quam rejecerunt, quia videlicet in hac scena uxor, neque interloquitur, neque appellatur, lectionem retineo. Etenim Cleostratam puellæ suæ ad nuptias prodeunti adesse oportuit. N.

14. *Sum liber,* postquam sc. uxor abscessit. DISSALD. — *Melculum.* Codd. et vulg. *melliculum*, male. Priscianus laudat hunc versum III, 5, 27, qualem dedimus. L. — Casinam alloquitur, imo credit alloqui.

15. *Verculum*, diminutivum a *vere*. Conf. Trucul. II, 4, 2 : « ver vide! ut tota floret! » N. — *Malo*

Venus multipotens, bonam vitam mihi
Dedisti, hujus quom copiam mihi fecisti.
Corpusculum mellitulum! OLYMP. Mea uxorcula. [ah!]
STAL. Quid est? OLYMP. Institit plantam. STAL. (secum.) Quasi
jocabo.
Nebula haud est mollis, atque huju'st [pectusculum].
OLYMP. Edepol, papillam bellulam! hei misero mihi!
STAL. Quid? OLYMP. Pectus mihi agit nunc cubito.
STAL. Quid tu ergo hanc, quæso, tractas tam?
At mihi, qui belle hanc tracto, non. OLYMP. Vaha.
STAL. Quid est negoti? OLYMP. Obsecro, ut valentula'st?
Pæne exposivit cubito. STAL. Cubitum ergo ire volt.
OLYMP. Quin imus ergo? STAL. I, tu, belle, bellatula.

... *cavebis*. Nam te male mulcabo, si meam attigas. N.

16. *Fructus*, ususfructus. Ita fere « usum corporis et uxorem usurariam » dixit Amphitr. prol. 108, I, 2, 36. — *Illam*, Casinam. Priscianus, VII, 10, 53: « tene hanc lampadam. Imo ego hanc tenebo ». N.

19. *Corpusculum mellitulum*. Sic Camer. et Lamb. Recentiores *melliculum*. Apul. Metamorph. III: « mea mellitula ». N.

20. *Quid est?* scilicet Olympio, postquam dixit, mea uxorcula, subito ejulatus est. — *Institit plantam*, pedem mihi pressit. LAMB. — *Jocabo*, pro *jocabor*. Jocantis speciem præbebo, quum rem seriam agam tamen. LAMB.

21. *Atque huju'st*. Hæc oratio gestu expletur. Intellige autem *mamilla*, aut quid tale, quod manu tractat petulans senex. BOXHORN. — *Atque huju'st*. Suppleverunt interposito τῷ *cutis*. Sed intelligendum hoc quod teneo. GRONOV. — [*Pectusculum*]. Lacunam MS patitur, et versus mancus est atque oratio. Supplendus erat verbo, non solum intellectu. N.

23. *Mihi agit*. *Agere* non solum *tangere* simpliciter, verum etiam *trudere* seu *tundere* potius, et quasi vi quadam propellere, significat. DOUZA.—In codice Bothius reperit *angit*. N.

24. *Tractas tam*. Rustice vel nequiter. Vide notas Mil. IV, 2, de voce *tam*. GRON.

27. *Exposivit*. Cubito exponere, pro cubito dejicere et prosternere, eleganter dicitur, quod sumptum est ab his, quæ e navi exponuntur, vel mercibus quæ expositæ sunt. TURNEB.

28. *I, tu, belle, bellatula*. Scripti et vulgatæ: « bella bellatula », oratione et metro imperfectis. *I, tu*. Apte consequitur Olympionis sermonem; et Plautinum est; conf. Asin. III, 3, 86; Curc. IV, 2, 35. — *I belle*, i. q. bene ambula. Conf. Capt. II, 3, 92. N.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

PARDALISCA, MURRHINA.

PARD. ADCEPTÆ bene et conmode eximus intus
Ludos visere huc in via nuptialeis.
MUR. Nunquam, ecastor, ullo die risi adæque,
Neque hoc, quod reliquom 'st, plus risuram opinor.
Lubet Chalinum, quid agat, scire, novom
Nubtum cum novo marito, nec fallaciam
Astutiorem ullus fecit poeta, atque
Ut hæc est fabre facta a nobis. Obtunso
Ore nunc pervelim progredire senem :

1. *Adceptæ bene*, etc. I. e. postquam laute convivatæ sumus. De verbo *accipi* conf. Bacch. V, 2, 64; Stich. V, 4, 22. — *Intus*, e domo. Cf. Amph. II, 2, 138. N.

2. *Ludos..... nuptialeis*, novum quidem ludorum genus Megalensibus solennibusque aliis addendum. N.

4. *Neque hoc, quod reliquom 'st*, neque per tempus, quod reliquum est vitæ, me plus risuram puto. L.

5. *Novom nubtum*. Ita citat etiam Priscian. non *nubtam*, et interpretatur maritum. Chalinus enim sub specie feminæ ductus erat. TAUBM. — *Novom*. Conf. IV, 4, 1. — *Nubtum*. Audacter quidem dictum, et lepide, i. e. « nuptam simul et virum », uno verbo : quod non sensit Priscianus grammatista, quem citant. Nuptas Romani noverant; nuptus illis pro monstro fuisset. Sed hac voce omnem fallaciam, ut aiunt, astutam et ridicule confictam poeta memorat. Hujus aliquid simile dixit Turnus, satirarum scriptor : « fœdosque hymenæos uxoris pueri », in Poet. Lat. Min. edit. nostræ tom. II, pag. 131. N.

7. *Atque ut*, i. e. quam. Conf. Merc. III, 3, 7 : « prius hoc ausculta, atque ades ». Pseud. prol. 24 : « melius ut... atque ». N.

8. *Obtunso ore*. Nihil hic proverbii, ut vult Scaliger. Est plano sensu : « ore pugnis male mulcato ». Cf. sc. 2, 50. N.

9. *Progredire*, prodire e domo Alcesimi. N.

Quo senex nequior nullus vivit : ne illum
Quidem nequiorem arbitror esse, qui locum
Præbet illi. Nunc præsidem heic, Pardalisca,
Esse; qui hinc exeat, eum ut ludibrio habeas.
PARD. Lubens fecero, et solens. MUR. Spectato hinc omnia
Intus, quid intus agant : mone, amabo, me.
PARD. Licet. MUR. Et illi audacius licet, quæ vis, libere
Proloqui. PARD. Tace; vostra foris crepuit.

SCENA SECUNDA.

OLYMPIO, CLEOSTRATA, MURRHINA.

OLYMP. Neque quo fugiam, neque ubi lateam, neque hoc dedecus quomodo celem,
Scio; tantum herus atque ego flagitio superavimus nubtiis nostris.
Ita nunc pudeo, atque ita nunc paveo, atque ita in ridiculum sumus ambo.

12, 13. *Nunc præsidem*, etc. Fœde mutilati versus in codd. et impressis libris. At, quamvis nonnullæ voces desint, facile intelligas esse : te, Pardalisca, volo hic esse præsidem, quasi in statione hostes opperientem. Vulgatæ vs. 13 dant *esto*, codex noster *esse*, quod prætulimus. N.

14. *Solens*, pro more meo, quæ sum mala. Cf. Amph. I, 1, 43. N.

15. *Mone, amabo, me.* Reddo MSStos. Vulgata : « PA. Pone me; amabo ». I. e. post me resiste. Frigide quidem. Potius : « quum ludi fient, me mone ». N.

16. PA. *Licet.* Hoc omissum ex MSS restituo. Locutio assensus vel obsequii. — *Illi audacius licet*, etc. Libere illi quamvis hero loquere, per me licet. N.

17. *Foris crepuit.* Conf. Aul. IV, 5, 5. N.

2. *Flagitio*, infamia, quam verbis expressit Terent. Adelph. I, 2, 13 : « in ore est omni populo ». N. — *Superavimus*. Sic solet Plautus, ut intelligat vel omnes mortales, vel quosvis alios. Asinar. I, 3, 14 : « Semper tibi promissam habeto hac lege, si superes datis ». Porro scripti quidem alii *superfuimus* : sed Camerarianus *superavimus*. GRON.

3. *Ita*, epiphonema, figura Plauto familiarissima. I. e. tantus est pudor, tantus pavor, etc.—*In ridiculum*. Jam monuimus indifferen

Sed ego insipiens nova nunc facio: pudet, quod prius non puditum umquam'st.
Operam date, dum mea facta itero; est operæ auribus percipere.
Ita ridicula auditu, iteratu ea sunt, quæ ego intus tuli*
Ubi intro hanc novam nubtam deduxi via recta, clavem
Abduxi: sed tamen tenebræ ibi erant tanquam nox**
Senex abs te decumbem*** Conloco, fulcio, molio,
Ut prior quam senex nub.**
Tardus esse inlico cœpi, quoniam***

ter ab antiquis præpositioni *in* et accusandi et auferendi casum additum. Conf. sup. I, 1, 44; II, 3, 26. N.

4. *Pudet, quod prius non puditum.* Quasi dicat: Nova sunt, quæ facio: nunquam enim antea turpium factorum me puduit: nunc demum pudet. Lamb. — *Quod* relativum in quarto casu, non conjunctio. Hæc syntaxis verbi *pudere* Plauto usitata. Epid. I, 2, 4, «idne pudet te»; et ibid. II, 1, 3, «quid est quod pudendum siet». N.

5. *Operam date*, audite. Cf. Capt. prol. 10. Hæc ad spectatores; namque nondum mulieres aspexit. Vid. vs. 18. — *Itero*, enarro. N. — *Est operæ*, pro «est operæ pretium». Sic Noster Mil. II, 2, 97, et III, 2, 6; Trucul. IV, 4, 30. Ennius, «Lunai portum est operæ cognoscere cives». Gron.*

6. *Ridicula auditu, iteratu.* Non ipse Olympio, sed poeta loquitur; et rusticule quidem, qui, ut rideant, præmonet spectatores. — *Tuli.* Sic MS noster. Vulgata: *turbavi*. N.

7. *Ubi intus hanc*, etc. Lego: «Ubi intro hanc novam deduxi, via recta clavem Obduxi». *Clavis* hic pro vecte, claustro. Salmas. — Vid. inf. vs. 16, «forem obdo». N.

8. *Nox* **. Hic et per reliquam scenam passim occurrunt laceri versus; multa dehiscentia, multa obruta tenebris. Quæ cur tantam calamitatem passa fuerint, causa in promptu est; modo veterum libros scriptura piorum virorum servatos fuisse memineris. Eos profecto tot rerum fœditates mandare chartis pigebat. Quod nonnullæ adhuc supersint, id evenit, quia bonos simplicesque fugerent. Nobis supplere quæ desunt, vel quæ supersunt spurcidica explicare non consilium est. Ruinas enim illas emoliri non tanti videtur, unde stercora eruamus. N.

9. *Molio*, vetus, i. q. molior. N.

11. *Tardus.* Palmerius legendum censet *taurus*. Notum enim ubi plures in grege tauri sint, de usu juvencarum inter se dimicare: qui impar sit, non nisi ex insidiis conari, et identidem respectare, quum operam aliquam valentiori surripit. Adjuvat quod in ea palæstra, *taurus* pro valido frequentatur. Horat. Od. II, 5. — *Tardus esse.* Ma-

Respecto identidem, ne senex****
Inlecebram stupri principio eam savium posco.
Repulit mihi manum, nec quietum dare sibi savium me sinit.
Enim jam magis jam adpropero : magis jam lubet in Casinam inruere.
Cupio illam operam seni subripere : forem obdo, ne senex me obprimat.
MUR. (ad Cleostratam.) Agedum tu adi hunc. CLEOSTR. Obsecro, ubi tua nova nubta'st?
OLYMP. Perii, hercle, ego! manifesta res est. CLEOSTR. Omnem ordine rem
Fateri ergo æquom'st quid intus agitur? quid agit
Casina? satin' morigera est? OLYMP. Pudet dicere me*:
CLEOSTR. Memora ordine, ut obceperas. OLYMP. Pudet, hercle. CLEOSTR. Age audacter.
Postquam decubuisti, hinc te volo memorare, quid est factum.
OLYMP. At flagitium'st. CLEOSTR. Cavebunt qui audierint, faciam.
OLYMP.* Hoc majus est. CLEOSTR. Perdis : quin tu pergis? OLYMP. Ubi
* us subtus porro***
* * quid? OLYMP. Babæ. CLEOSTR. Quid. OLYMP. Papæ.
* * est. OLYMP. Oh, erat maxumum.
* * haberet metui : id quærere obcœpi.
* * * * * *

lim : « Argus esse illico cœpi ». Videntur id velle sequentia : « Respecto identidem ». Sed videntur tantum. Quis igitur vel sententiam, vel lectionem veram eruet ex tot lacunis? Abstinendæ potius sunt manus. BOXHORN.

23. *At flagitium 'st*, res turpis, opprobrium. — *Cavebunt qui audierint.* Hoc erit audientibus documento, ut idem caveant. N.

28. *Id quærere. Gladium* neutro genere positum antiquis, notat Nonius. GRON.

Dum, gladium ne habeat, quæro, adripio capulum.
Sed, quom cogito, non habuit gladium: nam esset frigidus. CLEOSTR. Eloquere.
OLYMP. At pudet. CLEOSTR. Num radix fuit? OLYMP. Non fuit. CLEOSTR. Num cucumis?
OLYMP. Profecto, hercle, non fuit quidquam olerum:
Nisi, quidquid erat, calamitas profecto adtigerat nunquam;
Ita, quidquid erat, grande erat.
MUR. Quid fit denique, edisserta. OLYMP. Ubi adpello: Casina, inquam,
Amabo, mea uxorcula, cur virum tuum sic me spernis?
Nimis tu quidem, hercle, inmerito
Meo mihi hæc facis: quia mihi te expetivi.
Illa haud verbum facit, et sepit veste id, qui estis**.
Ubi illum saltum video obseptum, rogo ut altero sinat ire.
Volo, ut obvertam cubitissim **
Ullum mutite ***
Surgo, ut ineam, in **
Atque illam in ***
MUR. Perlepide narrat. **
OLYMP. Savium * * * *
Ita quasi sentis labra mihi conpungit barba.

34. *Nisi* i. q. sed. Terent. Eun. III, 5, 9: « nequeo satis mirari, neque conjicere. Nisi, quidquid id est, procul hinc lubet sciscitari ». Vid. Aulul. II, 7, 3. — *Calamitas*, grando aut quævis alia tempestas quæ fruges non sinit crescere in proceritatem. N.

37. *Spernis*, rejicis, segregas. Ennius Hectoris lustris: « Atque æquom se a malis spernit procul ». N.

40. *Sepit veste id*, id est, obducit veste naturam muliebrem. GROX.

46. *Perlepide narrat.* Hæc dicit mulier, materfamilias, matrona. Quid ergo turpe dictu, turpe auditu censebit, quæ perlepida ista existimet? De verecundia quidem muliebri, quæ fuerit in vitæ consuetudine, haud pulchre sentimus, si conjectura ex decoro scenico fiat. N.

48. *Quasi sentis.* Venuste: sed magis probo librorum vett. scripturam: « Itaque setis labra mihi compungit barbæ »: tametsi non repugno, si quis ex editis avorum memoria malit: « Ita quasi setis labra mihi compungit barba ». *Setas* quidem densum capillorum horro-

Continuo in genua adstituto pectus mihi pedibus percutit.
Decido de lecto præceps, subsilit : obtundit os mihi.
Inde foras tacitus, præfiscini, exeo hoc ornatu, quo vides,
Ut senex hoc eodem poculo, quo ego bibi, biberet. CLEOST.
Optume 'st.
Sed ubi est palliolum tuum? OLYMP. Heic intus reliqui.
CLEOSTR. Quid nunc? satin' lepide adita 'st vobis manus?
OLYMP. Merito.
CLEOSTR. St! concrepuerunt foreis. OLYMP. Num illa me
nam sequitur?

SCENA TERTIA.

STALINO, OLYMPIO.

STAL. Maxumo ego ardeo flagitio, nec quid agam meis
rebus scio.
Nec meam ut uxorem adspiciam contra oculis; ita disperii.
Omnia palam sunt probra, omnibus modis obcidi miser.
Ita manifesto faucibus teneor;
Nec quibus modis purgem scio me meæ uxori,
Qui expalliatus sum miser : * *
* * * clandestinæ nubtiæ * *

rem vocat, admodum scite et eleganter : atque a causa eadem, nescio qui poeta vetus : «barbam setosam». J. Gul.

51. *Præfiscini.* Vid. Asin. II, 4, 84. — *Hoc ornatu.* Sic ornatus, multatus. Gall. *en cet état.* Hoc explicatur vs. 53. N.

52. *Quo ego bibi.* Proverbialis locutio. I. e. eadem, quæ ego, toleraret. N.

54. *Adita 'st vobis manus*, decepti estis. Cf. Aul. II, 8, 8. N.

55. *Num... nam*, numnam, tmesis.

1. *Ardeo flagitio.* Quemadmodum «flagrare invidia» dicitur is, in quem magna invidia concitata est; ita *ardere* se *flagitio* dicit Stalino, propterea quod summum dedecus et flagitium admisit. Lamb.

2. *Contra*, ex adverso. Gallice, *en face.* — *Ita disperii.* Adeo funditus perii. N.

4. *Faucibus teneor.* Quem manifestum comprehenderant, obtorto collo lacinia vestis circumvoluta, et fauces premente, in jus rapiebant. N.

* * * * censeo
* * * mihi optumum 'st.
* * Ea dux uxorem meam :
* * * . * riam
Sed ecquis est, qui homo munus velit fungier pro me?
Quid nunc agam nescio, nisi ut inprobos famulos imiter, ac domo fugiam.
Nam salus nulla 'st scapulis, si domum redeo.
Nugas istuc dicere licet: vapulo, hercle, ego invitus tamen,
Etsi malum merui: hac dabo protinam; et fugiam. OLYMP. Heus, Stalino,
Amator. STAL. Obcidi! revocor : quasi non audiam, adibo.

SCENA QUARTA.

CHALINUS, STALINO, CLEOSTRATA, MURRHINA, OLYMPIO, ANCILLÆ.

CHAL. Ubi tu es, qui colere mores Massilienseis postulas?

15. *Nugas i. d. licet.* Poterit aliquis dicere hoc, quod ago, esse nugas, rem non seriam. *Vapulo, hercle*, etc. Ille nunc videtur maritum Cleostratæ et histrionem miscere iculariter. Vide notas prol. 85. Namque vapulabit flagitii causa senex domi, vapulabit histrio in ergastulo, si peccaverit. N.

1. CH. *Ubi tu es.* Recte quidem hos versus Chalino tribuit Lambinus: sed quod idem hæc ad spectatores dici autumat, verisimile non est. Crederem potius, Chalinum habitu muliebri ex ædibus Alcesimi prodeuntem, his verbis senem alloqui, eumque per ridiculum ad concubitum vocare. PISTOR. — *Mores Massilienseis.* Audi Athenæum, XII : « Massilienses effeminati fuerunt, eodem atque Iberi vestitu ornati. Indecoram enim et turpem speciem præ se ferunt propter animorum mollitiem ; qui propter luxuriam ac delicias muliebria patiuntur ». Ex quo etiam proverbium manavit : « navigato Massiliam ». LAMB. — Sed non desunt auctores, qui Massiliensium modestiam extollant laudibus. Tamen non discrepant, et qui Massiliensium mores *molles* vocant, et qui *severos*, sed diversis sæculis. Ergo Plautus vult : ubi tu es, qui severitatem, gravitatem et castimoniam singularem vultu præfers ; quum interea sis nequam. BROD. Miscell. III, 27. — Verius, credo, Lambinus.

Nunc tu, si vis subigitare me, proba 'st obcasio.
Periisti, hercle : age, adcede huc, * *

Hic desunt octo versus.

STA. Hac ibo : caninam scævam spero meliorem fore.
CLEOSTR. Quid agis tu, marite, mi vir? unde ornatu hoc advenis?
Quid fecisti scipione, aut, quod habuisti pallium?
ANC. In adulterio dum mœchissat Casinam, credo, perdidit.
STAL. Obcidi! CHAL. Etiamne imus cubitum? Casina sum. STAL. In malam crucem.
CHAL. Non amas me? CLEOSTR. Quin responde, tuo quid factum 'st pallio?
STAL. Bacchæ ergo, hercle, uxor... Bacchæ, Bacchæ, hercle, uxor...

4. *Hac ibo.* Quum aspicit conjugem, trepidat refugere, aliamque viam ingreditur. N. — *Caninam scævam.* Canis occursum minus inauspicatum mihi fore spero, quam uxoris. « Canina scæva » est omen cane oblatum, quum latrat, aut ringitur. Ait enim minus gravem fore canis latratum, quam probra et contumelias et jurgia, quibus ab uxore rixosa onerabitur. TURN. et LAMB. — Male. Fingendum enim, dum deliberat, qua se vortat Stalino, in hanc partem nescio quod aliud animal ei auspicium viæ dare, in aliam partem præcurrere canem. Id auspicium melius putat. Et in eo eventum habituro fallitur. Incidit enim in uxorem convitiis admorsuram. GRON. — Utrum hic, an illi rectius divinarint, non nostrum inter tantos litem componere. Prioribus deperditis causa latet. Tamen canina omina haud placuisse antiquis me monet hoc Virg. « obscœnique canes, etc. » Et magis arridet Turnebi et Lambini explicatio, utpote simplicior. N.

5. *Quid agis?* compellatio nunc ironica. Vid. sup. II, 3, 13. N.

6. *Quid fecisti scipione?* i. e. de scipione. Locutio tritissima. Terent. Eun. V, 1, 21 : « quid illo faciemus? » Heaut. II, 2, 66 : « quid illa faciemus? » Scipionem senum comicorum gestamen fuisse insigne et quasi necessarium, Pollux et gemmæ antiquæ testantur. Cf. Amph. I, 3, 32. — *Aut, quod habuisti pallium?* Hellenismus. Aut pallio, quod habuisti. N.

8. *Etiamne.* Vid. sup. III, 6, 8. — *Etiamne imus cubitum?* Sic illudit capto seni, ut Philenium Demenæto, Asin. V, 2, 89, 91. Sed hoc loco magis decorum, nempe a servo nequam, magis amarum, nempe jam verberato convicium objicitur. N.

10. *Bacchæ ergo*, etc. Non ita mentitur, ut non aliquid veri sermone insit. Baccha enim bacchans

ANC. Nugatur sciens : nam, ecastor, nunc Bacchæ nullæ ludunt.

STAL. Oblitus fui : sed tamen Bacchæ. CLEOSTR. Quid Bacchæ? id fieri non potest.

ANC. Times, ecastor. STAL. Egone? CLEOSTR. Haud mentire, hercle; nam palam'st.

Hic in MSS lacuna est versuum novem.

STAL. Non taces? OLYMP. Non hercle vero taceo : nam tu maxumo

Me obsecravisti opere, Casinam ut poscerem uxorem mihi.

STAL. Tui amoris causa ego istuc feci. CLEOSTR. Imo, hercle, illius,

[Ni] te quidem oppressissem. STAL. Feci ego istæc dicta, quæ vos dicitis?

CLEOSTR. Rogitas etiam? STAL. Siquidem, hercle, feci, feci nequiter.

CLEOSTR. Redi modo huc intro : monebo, siquidem meministi minus.

illum thyrso sæviter excepit, et una pro multis. Cf. Amph. II, 2, 73 : « Baccha bacchanti si velis advorsarier, Ex insana insaniorem facies, sæpius feriet ». N.

13. *Nam palam 'st.* Aiunt hic desse versus novem, idque patere ex MS Camerarii. At vetus codex Paris. addit : « Nam paro eloqui quæcumque cætera vidi ». Hinc si sic legamus, aut parum, aut nihil deesse videbitur ad sensum : « OL. Haud mentire, hercle, nam palam est Jam, et paro eloqui quæcumque vidi cætera. ST. Non taces? OL. Non hercle vero taceo ». DISSALD.

14. *Non taces?* En premit senem ipse stupri consors, ut Argyrippus Demenætum Asin. V, 2, 80, 88. N.

16. *Tui amoris causa. Tui*, i. e. erga te. Hæc Olympioni respondet. Cf. Bacch. III, 3, 9 : « tuam fiduciam ». N. — *Illius*, Casinæ.

17. *Ni te quidem oppressissem.* Vulgatæ : « te quidem oppressisse ». Codex noster, *oppressissem*. Supplevimus *ni*. Opprimere est deprehendere, intercipere. Conf. sup. sc. 2, vs. 16. N.

19. *Redi modo huc intro.* Jam audisti consimile huic uxorio imperio sævitiæque, « surge, amator, i domum », Asinar. V, 2, 71. 73 et seqq. — *Monebo*, in memoriam revocabo. Nam videtur oblitus fuisse, quæ acta sunt. Vid. vs. 12. N.

STAL. Hercle, opinor, potius vobis credam, quod vos dicitis.
Sed viro da hanc veniam, uxor. Murrhina, ora Cleostratam:
Si unquam posthac aut amasso Casinam, aut obcepso modo,
Ne ut eam amasso, si ego unquam adeo posthac tale admisero,
Nulla causa 'st, quin pendentem me, uxor, virgis verberes.
MUR. Censeo, ecastor, hanc dandam veniam. CLEOSTR. Faciam, ut jubes.
Propter eam rem hanc tibi nunc veniam minus gravate prospero;
Hanc ex longa longiorem ne faciamus fabulam.
STAL. Non irata es? CLEOSTR. Non sum irata. STAL. Tuæ fidei credo? CLEOSTR. Meæ.
STAL. Lepidiorem uxorem nemo quisquam, quam ego habeo hanc, habet.
CLEOSTR. Age tu, redde huic scipionem et pallium. CHAL. Tene. STAL. Lubet.
CHAL. Mihi quidem, edepol, insignite facta 'st magna injuria.
Duobus nubsi: neuter fecit, quod novæ nubtæ solet.

21. *Hanc veniam.* Veniam talem, sub hac lege, quam ipse ponit in vers. præc. N.

22. *Obcepso*, occepero. Quid interest inter *amasso* et *obcepso amare?* Nostratibus videtur paululum aut nihil, antiquis vero multum. Namque illorum amare magis ad corpus, quam ad animum pertinebat. Cf. quæ adnotavimus ad Argum. acrostich. Asin. vs. 1. N.

23. *Ne ut eam amasso.* Nonnulli scribunt *nedum;* sed particula *dum* sane vacat: quia in nulla nec Gruteri, nec nostrarum membranarum reperitur. *Ne* interdum pro *Nedum* eleganter dicitur. Vide nostra ad Livii lib. III, cap. 52. GRON.

24. *Nulla causa 'st, quin.* I. e. non recuso, quominus, etc. N.

26. *Prospero*, ex animi tui sententia largior. LAMB. — Sic codd. At Gulielmus emendat *propero.* N.

27. *Longiorem ne faciamus fabulam.* Sarsinati placet ludum histrionicum nudare. N.

28. *Meæ.* Formula affirmandi. Cf. Amph. I, 1, 235. N.

29. *Quam ego h. hanc, habet.* Sic cod. noster. Vulg. male, « quam habeo. OL. Hanc habe ». Vide quam beatus ille, qui vapulavit maritus. N.

GREX.

Spectatores, quod futurum 'st intus, heic memorabimus.
Hæc Casina hujus reperietur filia esse e proxumo,
Eaque nubet Euthynico nostro herili filio.
Nunc vos æquom 'st, manibus meritis meritam mercedem dare.
Qui faxit, clam uxorem ducat scortum semper, quod volet.
Verum qui non manibus clare, quantum poterit, plauserit,
Ei pro scorto subponetur hircus unctus nautea.

* *Grex.* Chalinum pro grege alloquutum spectatores ex seqq. apparet. N.

1. *Quod futurum 'st intus, heic memorabimus.* Sic promptum fuit antiquis aliquando ex abrupto catastropham transigere. Cf. Cistell. epilog. Terentius, eadem fere formula, sed antea diligentius, quæ ad mutationem rerum faciunt, expositis, Andriam concludit : « Ne exspectetis dum exeant huc, intus despondebitur. Intus transigetur, si quid est quod restat. Plaudite ». N.

2. *Hujus*, Alcesimi.

3. *Nostro herili filio*, filio nostri heri. Cf. Asin. II, 2, 1; Bacch. II, 3, 132. N.

4. *Meritis*, scil. histrionibus : quibus ita meritis manuum plausus debetur. Nec recte Lambinus « manus meritas » conjungit. TAUBM. — Pronuntiando enim vox *meritis* a v. *manibus* ita spernitur, ut vocem *meritam* urgeat. Sic postulat paronomasiæ conflictus. N.

7. *Subponetur.* Proprie *subponetur.* « Nam ut subduci dicuntur quæ nolumus amittere, ita supponi quæ non desideramus ». DON. — *Nautea.* Vide notas Asin. V, 2, 44. — Hunc epilogum Academicus professor idem et poeta ingeniosissimus (Ill. LEMERCIER), lectionibus de arte poetica, epilogo fabulæ nostratis, Heredis testamentarii, (*le Légataire*) scite contulit, hæc adfabulatus : « Ne conseillons pas à nos poètes de prendre de semblables licences avec le public moderne. Ils s'apercevraient à leurs dépens que les légers Français n'entendent pas encore raillerie comme les graves Romains ».

Sed ea, quæ Asinariæ præfatus sum, etiamnunc atque etiam itero ac moneo. Crimen impudicitiæ, quidquid id est, communi omnium utendi familiariter inter se loquendique mori, quam ipsius poetæ licentiæ, imputandum est. Ille quidem sermone lascivit, rebus spectatores castigat. Ea mens illi quum fuerit, vix possis dubitare, quum festivissimum illud hymenæum occentatum, IV, 4, 3-5, atque Olympionem et Stalinonem expressis verbis flagitium suum pudore summo fatentes, turpiterque supplicem uxori virum, audieris. N.



TABULA


RERUM QUÆ IN HOC PRIMO PLAUTI VOLUMINE CONTINENTUR.

FINIS PRIMI VOLUMINIS.



ERRATA.

Pag. 25, not. col. 1, lin. 7, pro *qui* legatur *quod.*
— 37, not. col. 1, lin. 20, pro *Mercurio, advenienti* l. *Mercurio, qui advenienti.*
— 38, not. col. 1, lin. 8, pro *tor, II,* 8, 23, «*apage te a me*», l. *tor, apage te a me*», *II*, 8, 24.
— 46, not. col. 2, lin. 15, pro *asyndeton* l. *anacoluthum.*
— 62, vers. 63, pro *servus* l. *servos.*
— 74, vers. 12, pro *illi* l. *illei.*
— 75, vers. 148, pro *illi* l. *illei.*
— 78, not. col. 2, lin. 2, pro *amenti* l. *amens.*
— 101, vers. 5, figatur comma post *illuc.*
— 102, vers. 18, fig. punctum post *sic statuit.*
— 104, vers. 40, fig. colon post *adagium.*
— 106, vers. 1, pro AMPH. *Quis* legatur SUP. *Quis.*
— 179, not. col. 1, lin. 6, pro *prius* l. 61. *Prius.*
— 181, vers. 85, pro *postrem out* l. *postremo ut.*
— 183, not. col. 1, lin. 27, pro *auguriis auspicioque* l. *augurio auspiciisque.*
— 204, not. col. 1, lin. 9, pro *inspectarier* l. *insputarier.*
— 230, vers. 116, pro *ordeo* l. *hordeo.*
— 231, vss. 6, 8, pro *potsum* l. *possum.*
— 236, not. col. 2, lin. 22, pro *iile* l. *ille.*
— 295, vers. 41, pro *farcinatores* l. *sarcinatores.*
— 314, not. col. 1, lin. 22, pro *tenere* leg. *teneri.*



Conditions de la Seconde Souscription.

La collection complète des *Classiques Latins* se compose de 150 gros volumes grand in-8 beau papier, imprimés par Didot, et entièrement publiés, à 4 fr. 50 c. le volume; total : 675 fr. au lieu de 1981 fr. 50 c., prix de la première souscription.

Les livraisons seront de 2 ou 4 volumes tous les dix jours, ou d'un plus grand nombre, au choix des souscripteurs. On versera, en souscrivant, 9 fr. imputables sur les deux derniers volumes. Pour les départements et l'étranger, chaque ballot de 10 volumes coûtera en sus pour l'emballage 50 c., et 75 c. pour 20 volumes; le port à la charge du souscripteur.

En prenant dès à présent livraison de toute la collection, les 150 volumes ne coûteront que 625 fr. y compris emballage et port pour la France; 330 fr. pour chaque moitié, et 170 fr. pour chaque quart de la collection.

Après les 25 premiers souscripteurs le prix sera porté à 6 fr. le volume.

Vu le petit nombre d'exemplaires on ne servira que les 50 premiers souscripteurs à la collection complète.

Quelques exemplaires des divers auteurs se vendent séparément au prix de :

vol.		fr.		fr.
1	Catulle,	6	au lieu de	16.
20	Cicéron,	100	—	365.
3	Claudien,	11	—	37.
1	Florus,	6	—	13.
3	Horace,	18	—	38.
1	Justin,	6	—	16.
3	Juvénal et Perse,	16	—	49.
2	Juvénal seul,	12	—	32.
3	Lucain,	16	—	38
3	Martial,	16	—	48
10	Ovide,	60	—	125.
	1 Les Métamorphoses en grec,	6	—	16.
2	Phèdre,	12	—	37.
4	Plaute,	24	—	61.
13	Pline l'ancien,	63	—	186.
	2 La zoologie avec notes de Cuvier,	12	—	30.
2	Pline le jeune,	10	—	25.

vol.		fr.		fr.
1	Properce,	8	au lieu de	16.
3	Quinte-Curce,	17	—	50
7	Quintilien,	35	—	94.
10	Sénèque, phil. et trag.	50	—	146.
2	Silius Italicus,	10	—	32.
4	Stace,	20	—	61.
2	Suétone,	14	—	36.
3	Térence,	16	—	38.
1	Tibulle,	6	—	16.
13	Tite-Live,	65	—	163.
2	Val. Flaccus,	10	—	27.
3	Val. Maxime,	13	—	35.
1	Vell. Paterculus,	6	—	16.
8	Poetæ minores,	36	—	113.
4	César.			
1	Corn. Nepos,	Ne se vendront pas séparément.		
1	Salluste,			
6	Tacite,			
9	Virgile,			

SOUS PRESSE :

T. LUCRÈCE, servant de complément à la Collection.

2 VOLUMES, qui seront livrés aux souscripteurs à la collection complète, au prix des autres volumes.

N. B. Quelques volumes incomplets de la première souscription circulant dans le commerce, on ne garantit que les exemplaires revêtus de la présente couverture et provenant de la seconde souscription

Imprimerie de H. Fournier et comp., rue de Seine, 14.

